CANDIDATUS JURISPRUDENTIA E SACRAE, SEU JURIS CANONICI, SECUNDÙM...

Veit Pichler

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 II
13

13.21.6.77



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CANDIDATUS JURISPRUDENTIÆ SACRÆ,

SEU

Juris Canonici, ſecundùm GREGORII PAPÆ IX. Decretalium Titulos explicati,

LIBER IV.

Exhibens brevi, clara, & ſolida methodo copioſam SS. Canonum doctrinam, Candidatis ad Examen pro conſequenda Juris laurea aſpirantibus maximè proficuam, ſolutis paſſim Adverſantium Argumentis firmatam.

Cum Titulis Reſiduis ex Lib. III.

In lucem datus

Pertinet ad Bibliothecam S. Fran. Rom.

P. VITO PICHLER,

Soc. JESU, SS. Theol. & SS. Canonum Doctore, horúmq; in Alma & Electorali Univerſitate Ingolſtadiana Profeſſore Ordinario, & Juris Primario.

Cum Facultate Superiorum.

Sumptibus GEORGII SCHLÜTER, & MARTINI HAPPACH, Bibliopol. Auguſtan.

Et

Typis Thomæ Graſs, Typog. Acad. Ingolſtad.

Anno M. DCC. XX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

FACULTAS
R.P. Provincialis cum Privilegio Cæsareo.

EGo *Franciscus Xaverius Amrhyn, Soc. JESU per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, facta mihi potestate à Patre Nostro Michaële Angelo Tamburino, Societatis Universæ Præposito Generali, librum, cui Titulus est (*Candidatus Jurisprudentiæ Sacræ, seu, Juris Canonici, secundùm Gregorij Papæ IX. Decretalium Titulos explanati, Liber IV. cum Titulis Residuis ex Lib. III.*)* à P. Vito Pichler, *Societatis Nostræ Sacerdote, SS. Theol. & SS. Canonum Doctore, conscriptum, & à deputatis ejusdem Societatis Patribus lectum probatúmque, typis in lucem edi permitto, ac Dominis Georgio Schlüter, & Martino Happach, Bibliopolis Augustanis, jus concedo usurpandi Privilegij Cæsarei, quo Typographis ac Bibliopolis omnibus adimitur copia, vulgatos à Societatis JESU Patribus libros absque Superiorum, Authorúmque consensu in eadem, vel diversa lingua recudendi, vel intra S. R. I. & Provinciarum S. Cæsareæ Majestati hæreditario jure subjectarum fines importandi. Facultatem hanc, de una duntaxat impressione intellectam, manu mea, & officij Sigillo firmavi. Landsbergæ 20. Aug. 1720.*

(L.S.)

Franc. Xaver. Amrhyn.

APPROBATIO THEOLOGICA.

CAndidatus hic Jurisprudentiæ Sacræ Orthodoxæ Fidei contrarium nil continet. Succinctam præterea claritatem, miram eruditionem, ac doctrinam omnibus Jurisprudentiæ Candidatis utilissimam, ad causas, etiam intricatissimas, dirimendas aptissimam proponit. Quapropter hunc partum, tanto suo Auctore dignissimum, non tantùm omnibus commendandum, sed etiam luce publica dignissimum censet. Ingolstadij 18. Julij 1720.

MAXIMILIANUS FERDINANDUS IGNATIUS de PLANCK, SS. Theol. Doctor, Sereniss. Elect. Bavariæ, ac Reverendiss. & Celsiss. Princ. & Episcopi Eystett. Consiliarius Ecclesiasticus, Cathedralis Eystettensis Canonicus, Controversiarum Fidei Professor Ordinarius, ad Speciosam Virginem Parochus, ac pro tempore Sacræ Facultatis Decanus.

Digitized by Google

APPROBATIO JURIDICA.

LIber hic quartus Decretalium (unà cum reſiduis Libri III. Titulis) à præſtantiſſimo Auctore ſuo plurimâ induſtriâ ac felicitate clariſſimè, ſolidiſſimè, & utiliſſimè elaboratus, ſumma commendatione, & prælo eſt digniſſimus.

Ita cenſet

HERMANNUS ANTONIUS de CHLINGENSPERG, Sereniſſ. Elect. Bav. Conſil. & Inſtit. Imperial. Profeſſor Ordin. Facult. Jurid. Decanus.

Digitized by

ELENCHUS TITULORUM

Reſiduorum ex Libro III.

Titulus XXXI. De Regularibus & Transeuntibus ad Religionem. pag. 709.

Titulus XXXII. De Converſione Conjugatorum. 723.

Titulus XXXIII. De Converſione Infidelium. 726.

Titulus XXXIV. De Voto, & Voti Redemptione. 727.

Titulus XXXV. De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium. 739.

Titulus XXXVI. De Religioſis Domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ. 744.

Titulus XXXVII. De Capellis Monachorum, & aliorum Religioſorum. 748.

Titulus XXXVIII. De Jure Patronatûs. 750.

§. 1. Quid & quotuplex ſit Jus Patronatûs: quæ jura & onera Patronorum. 751.

§. 2. Quomodo acquiratur, transferatur, & amittatur Jus Patronatûs. 765.

Titulus XXXIX. De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus. 778.

Titulus XL. De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris. 786.

Titulus XLI. De Celebratione Miſſarum, & Sacramento Evchariſtiæ, & Divinis Officijs. 792.

Titulus XLII. De Baptiſmo, & ejus Effectu. 798.

Titulus XLIII. De Presbytero non Baptizato. 799.

Titulus XLIV. De Cuſtodia Evchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum. 800.

Titulus XLV. De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum. 801.

Titulus XLVI. De Obſervatione Jejuniorum. 803.

Titulus XLVII. De Purificatione poſt Partum. 808.

Titulus XLVIII. De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis. 812.

Titulus XLIX. De Immunitate Eccleſiarum,

Cœme-

Cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium. 815.

§. 1. De Immunitate Locali Eccleſiarum &c. & Jure Aſyli. 817.

§. 2. De Immunitate Eccleſiaſtica Reali à Tributis &c. 849.

Titulus L. Ne Clerici vel Monachi Sæcularibus negotijs ſe immiſceant. 865.

TITULI RESIDUI

TITULI RESIDUI
EX
Libro III. Decretalium.

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem.

SUMMARIUM.

1. *Regulares & Religiosi qui dicantur.*
2. 3. *Religio quid, & quotuplex.*
4. *Transire ad Religionem dupliciter quis potest, per Novitiatum & Professionem.*
5. *Religionem ingredi nemo quidem tenetur;*
6. *Possunt tamen regulariter omnes.*
7. *Novitiatus ingredientium qualis esse debeat.*
8. *Novitiorum privilegia & obligationes.*
9. *Professionis Religiosæ effectus.*

SCiendum 1. Sicut hucusque de *Secularibus*, seu in Sæculo vel Mundo degentibus, sive Clerici sint sive Laici, ita modò de *Regularibus* personis, seu juxta certam Regulam extra Mundum, uti loquimur, & in Religione, seu in Ordine Religioso viventibus, sive Clerici sive Laici sint, convenienter tractari per aliquot subsequentes Titulos. *Regulares* autem, h. e. *Religiosi* dicuntur & sunt, qui studiô Evangelicæ perfectionis â Sæculo abstracti, Deóque per nuncupationem certorum votorum Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ, consecrati in

communitate ſtabiliter vivunt juxta Regulam ab Eccleſia approbatam. Sumitur hæc deſcriptio ex doctrina tum Chriſti *Matth.* 19. *v.* 21. *Luc.* 9. in fine tum Eccleſiæ *can.* 1. *cauſ.* 16. *q.* 1. *c. un. de Voto in* 6. *c. fin. X. & c. un. de Relig. dom. in* 6. *Extrav. Quorundam* 1. *Jo. XXII. de V. S. Bulla Aſcendente Domino Gregorij XIII.* tum ex communi Doctorum. Quamvis enim omnes Chriſtiani teneantur ad perfectionem ſuo ſtatui competentem, quæ conſiſtit in obſervatione *Mandatorum. Matth. c. cit. v.* 17. ad ampliorem tamen ſe adſtringunt, qui per dicta vota ad obſervationem *Conſiliorum* quoque Evangelicorum ſe adſtringunt abdicando ſe dominiò ac libera diſpoſitione rerum & bonorum temporalium fortunæ, voluptatibus carnis, etiam licitis in Matrimonio, & voluntate propria, ac inſuper obſervando certas regulas, modúmque vivendi ab Eccleſia approbatum, ſcilicet hodie poſt Conc. Lateran. IV. 1216. à Summo Pontifice, licèt olim ſuffecerit approbatio ab Epiſcopo facta. Itaque homo Religioſus, ſeu amplectens ſtatum vel Ordinem Religioſum aut Regularem, perfectum fit holocauſtum Deo, omnia ſua eidem in perpetuum conſecrans, nempe *res temporales* & externas per votum paupertatis, *corpus* per votum caſtitatis, & *animam* per votum obedientiæ, qua abnegat ſe ipſum, propriámque voluntatem & judicium in rebus agendis: aliud enim nihil habet. Ex quibus patet, quàm perverſos eſſe oporteat illos, vel nomine etiam Chriſtiano indignos, qui vilipendunt, ſpernunt, perſequuntur Religioſos, uti faciunt Hæretici, & multi ex profligatæ conſcientiæ Catholicis.

2 Sc. 2. Per *Religionem*, qua de in Rubrica fit mentio, & à qua Religioſi denominationem accipiunt, non intelligi complexum articulorum omnium Fidei, quod *Religio Catholica* appellatur, neque ſpecialem illam virtutem *Religionis* dictam, qua debitus Deo honor exhibetur, ſed modum ſtabilem in communi vivendi ab Eccle-

cleſia approbatum, in quo fideles editis prædictis votis ſubſtantialibus ad Evangelicam Chriſtianæ vitæ & charitatis perfectionem tendunt. Unde ad eſſentiam Religionis, ſeu Statûs Religioſi & Regularis, quatuor puncta requiruntur. 1. Specialis cultus & obſervatio trium Conſiliorum Evangelicorum, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. 2. Vota harum trium virtutum, quibus inducitur perpetuitas, qualem ex natura ſua exigit *ſtatus:* non tamen eſt neceſſe, ut hæc vota ſint ſolennia, in quibus ſit mutuus contractus, vi cujus tam Religio ſe obligat amplectenti talem ſtatum, quam amplectens ſe Religioni, ſed ſufficit, licèt vota ſint ſimplicia, in quibus ſe aliquis Religioni, non verò Religio ipſi ſe obligat, módò Religio acceptet vota, uti ſit in *Scholaſticis* Societatis JESU, qui verè ſunt Religioſi juxta deciſionem Bullæ Gregorianæ *Aſcendente Domino cit.* licèt Societas ſe viciſſim non obliget ad illos perpetuò retinendos. 3. Submiſſio in juriſdictionem alicujus Superioris ad ſervandas certas regulas compellere potentis, à quibus Religioſi vocantur *Regulares.* Quare Religioſi non ſunt, qui editô paupertatis & caſtitatis votô obedientiam vovent Confeſſario, vel Epiſcopo, manentes in ſæculo, & in communi non viventes. Adde, quòd hæc vitæ ratio & ſubjectio non ſit ſpecialiter acceptata & approbata ab Eccleſia; ſiquidem requiritur 4. Approbatio Eccleſiæ, nimirum Summi Pontificis, & quidem in vim veræ Religionis, & non tantùm in vim qualiscunque pii modi vivendi: nec ſufficit mera toleratio. Ratio, quia ſecluſa approbatione Eccleſiæ non poteſt Religio acceptare donationem & traditionem ejus, qui ſe ipſum devovet Religioni; quæ acceptatio tamen neceſſaria eſt ad valorem dictæ donationis. Cæterùm nomine *caſtitatis* intelligitur perfecta & abſoluta, non verò limitata aut conjugalis: quapropter propriè Religioſi probabiliùs non ſunt alumni illorum Ordinum Militarium ab Eccleſia approbatorum, qui tantùm

conjugalem caſtitatem vovent, licèt oppoſitum non omnino improbabile eſſe oſtendat Palao *tr. 16. d. 1. pu. 1. n. 4.* & licèt perſonæ Eccleſiaſticæ ſint. Verè tamen Religioſi eſſe cenſentur Milites & Equites Teutonici S. Mariæ, item Jeroſolymitani S. Joannis, ſeu Melitenſes, vel Rhodienſes, Maltheſer / ac alii dicta tria vota ſubſtantialia Religionis emittentes. Neceſſe tamen non eſt, ut hæc vota omnia emittantur explicitè, modò id fiat implicitè, ut ſi Benedictinus, vel Canonicus Regularis, ſic dicat: *voveo obedientiam S. Benedicti*, vel *S. Auguſtini*; talis enim vovet hoc ipſo omnia, quæ ſubſtantialiter tali Regulæ ſunt annexa.

Sc. 3. Religionem paulò antè deſcriptam, licèt eſſentialiter ſpectata ſit unica, ac omnes Religioſi Ordines non niſi numerò differant, quia in ſubſtantialibus conveniunt omnes, accidentaliter tamen ſpectatam & ſecundùm diverſos ſpeciales fines, ac media ſeu regulas, quibus ad hos fines tenditur, eſſe multiplicem. Si attendantur *Fines* diverſi, alia eſt *Contemplativa*, quæ ex inſtituto ſuo principaliter ordinatur ad contemplationem rerum Divinarum, Deóque vacandum per orationem, lectionem ſacram &c. utì Religio S. Baſilij, S. Hieronymi, S. Benedicti, S. Bernardi, S. Brunonis &c. Alia *Activa*, quæ ex inſtituto ſuo principaliter ordinatur ad vitam activam, & ad vacandum proximo propter Deum per opera charitatis ac miſericordiæ tum corporalia tùm ſpiritualia, utì faciunt Religioſi Militares, Hoſpitalarij, Fratres miſericordiæ. Alia autem *Mixtæ*, quæ utramque complectituur, & ex fine ſuo ſpeciali ac primæva inſtitutione ordinatur ad vacandum Deo per orationem & contemplationem, ac ſimul proximo per opera miſericordiæ, maximè ſpiritualia, docendo rudes, prædicando verbum Dei, Confeſſiones audiendo &c. utì eſt Ordo Dominicanorum, Franciſcanorum, Auguſtinianorum, Societatis JEſu &c. Religio, quæ profitetur hanc vitam mixtam eſt perfectior cæteris, quia proximè accedit ad de-

doctrinam & exemplum Christi: purè contemplativa autem antecellit purè activam, quia teste Christo meliorem partem elegit Maria Magdalena contemplando ad pedes Christi, quàm Martha serviendo per opera & obsequia sua. S. Thomas 2. 2. *q.* 188. *a.* 6. Si autem attendantur *Media* & *Regulæ*, Religio dividitur præcipuè in 4. Ordines, nempe S. Basilij, S. Augustini, S. Benedicti, & S. Francisci, quorum Regulas alij Ordines plerique amplexati sunt cum aliqua tamen earum variatione: sic sub Regula principali S. Basilij militant ferè omnes Monachi Orientalis Ecclesiæ: sub Regula S. Augustini, qui duos Ordines, Canonicorum & Eremitarum, instituit, Præmonstratenses, Dominicani, Servitæ, plures Ordines Militares &c. sub Regula S. Benedicti, quæ fuit prima ex approbatis à Summo Pontifice, Greg. M. & Zacharia, Cluniacenses, Camaldulenses, Cistercienses, plures Ordines Militares &c. sub Regula S. Francisci non modò, quos vocant *Observantes*, vel *Reformatos*, vel *Recollectos*, vel *Discalceatos* (qui inter se non discrepant) sed etiam *Conventuales*, *Capucini*, Moniales *Clarissæ*, *Tertiarij* utriusque Sexûs, licèt hi ultimi verè Religiosi non sint, saltem illi, qui tria vota substantialia non emiserunt. Religio Societatis Jesu habet proprias Regulas ac Constitutiones (uti & Carthusianorum, ac Minimorum S. Francisci de Paula) nullam ex dictis 4. principalibus Regulis amplectens. Vid. Barb. *J. E. U. l.* 1. *c.* 41. Rursus aliæ Religiones sunt *Clericales*, quæ ex natura & primæva institutione sua obeunt ministeria Clericis propria. Aliæ *Monachales*, quæ ex instituto suo principaliùs ordinantur ad vitam solitariam, ac ministeria Clericis quà talibus non propria. Aliæ *Mendicantes*, quæ vi sui instituti nulla possident bona immobilia etiam in communi, quales de Jure Communi sunt quatuor, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum. *c. un.* §. 2. *de Relig. Dom. in 6.* Quibus ex declaratione Summorum Pon-

tificum accesserunt Ordines Societatis Jesu, Theatinorum, Paulinorum, ac aliorum. Omnes tamen Mendicantes ex dispositione Tridentini, *S. 25. c. 3. de Regular.* bona immobilia, eorúmque dominium in communi possidere possunt, exceptis *Minoribus*, seu *Franciscanis strictæ observantiæ*, & *Capucinis*, quos imitantur *Domus Professæ* Societatis Jesu. Aliæ demum *Militares*, quæ vi institutionis suæ principaliter ordinatæ sunt ad militandum pro defensione Fidei & Ecclesiæ Catholicæ.

4 Sc. 4. Per *transeuntes ad Religionem* intelligi vel eos, qui ingrediuntur Novitiatum, & probationem, emissioni votorum præmittendam, vel illos, qui finito Novitiatu emittunt actualiter Vota, aut Professionem Religiosam. Unde tam de Novitijs quàm de Professis aliqua sunt breviter dicenda. *Professio* autem est contractus sacer, per quem homo per emissionem votorum paupertatis, castitatis, & obedientiæ, Deo & Religioni approbatæ se consecrat, tradit, & obligat, interveniente acceptatione & reciproca obligatione Religionis nomine Dei per Prælatum Regularem. Si Religio se reciprocè obliget, est propriè Professio, & vota evadunt *solennia*, si verò tantùm acceptet, uti fit in Societate post Novitiatum, vota tantùm sunt *simplicia*, nec propriè fit Professio. Ad quem Prælatum Regularem, an ad solum, vel etiam ad Capitulum simul, pertineat acceptare Vota, & reciprocè obligare Religionem, discendum est ex singulorum Ordinum ordinationibus & consuetudinibus. Professio alia dicitur *Expressa*, quæ verbò, scriptò, vel utroque, aut alio simili modo emittitur: alia autem *Tacita*, quæ facto aliquo, ex quo animus profitendi elicitur, ut siquis post annum Novitiatûs gestet habitum Professis proprium, vel exerceat actum solis Professis competentem, v. g. ferat votum in Capitulo. Sed hæc tacita Professio, quamvis à Tridentino juxta communem sublata non sit, perrara tamen est, & hodie vix alicubi in usu.

Dico

Dico 1. Religionem ingredi nemo tenetur, nisi ad 5
eam ingrediendam se votô obstrinxerit. Ratio est clara, quia hic status ob arduitatem suam per se non est præcepti, sed meri consilij: *si vis perfectus esse*, ait Christus *Matth. 19. vade, vende omnia, & sequere me.* Unde Trident. *s. 25. c. 18. de Regular.* excommunicat omnes, qui fœminam invitam cogunt ad ingressum Novitiatûs, vel ad Professionem.

Dico 2. Religionem ingredi possunt omnes, qui sui 6
sunt juris, & impedimentô carent. Ratio rursus liquet, quia Deo se dicare, suámque salutem, & perfectionem promovere Christianam, utique licitum & laudabile est. Qui verò sui juris non sunt, sed sub aliena potestate, utique ingrediuntur & suscipiuntur saltem illicitè, uti & impedimentô laborantes: quales sunt 1. Servi, non modò propriè dicti: sed etiam adscriptitij, originarij, & homines proprij, qui sine domini consensu admissi intra triennium revocari possunt. 2. Obligati ad ratiocinia, antequam rationes reddiderint, suísque Principalibus satisfecerint. 3. Ære alieno gravati, si adhuc spem habeant intra paucos annos satisfaciendi creditoribus. 4. Corpore vitiati, aut morbô caduco, leprâ &c. laborãtes, ita ut functionibus, quas Religio exigit, pares non sint, vel communitatem Religiosam perturbent &c. 5. Qui pauperes habent parentes, nempe vel in gravi vel extrema necessitate constitutos; modò probabilis & propinqua affulgeat spes, quòd manens in sæculo possit juvare parentes absque manifesto & proximo propriæ salutispericulo. Extrà hunc casum non sunt in hoc negotio attendendi parentes, etiam repugnantes, cùm potior sit causa Dei & propriæ salutis ac perfectionis, quàm parentum, licèt deceat eorum consensum exquirere, si credantur non impedituri ingressum. Sumuntur hæc ex *can. un. d. 53. can. 12. 23. d. 54. ex tit. de corp. vit.* atque ex præcepto 4. Decalogi. Dixi, *illicitè saltem*: invalidè autem ingrediuntur per Professionem 1. Mente capti. 2.

Digitized by Google

Impuberes, & 16. annô ætatis minores. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 15. *de Regular.* Unde ineptiunt Lutherus & Calvinus; quorum prior 70. vel 80. annos in viris, poſterior 60. in fœminis ad votum continentiæ emittendum requirit. In Societate JESU requiruntur 17. anni ætatis ad emiſſionem votorum poſt finitum tyrocinium. 3. Qui non per integrum & continuum annum priùs in Novitiatu & probatione ſteterunt. Trid. *lo. cit.* 4. Metu gravi injuſtè incuſſo ad profeſſionem adacti. *c.* 1. *h. t. c.* 1. *de his, quæ vi.* 5. Matrimoniô ligati ſine debito comparis conſenſu, de quibus *tit. ſeq.* 6. Epiſcopi jam confirmati, vel conſecrati, ſine conſenſu Pontificis. *c.* 18. *h. t. c.* 2. *ſeqq. de translat. Epiſc.* Demum 6. laborantes impedimento ſubſtantiali ſeu dirimente, quale in Societate JESU eſt receſſiſſe â gremio Sanctæ Eccleſiæ, fidem obnegando &c. habitum ſumpſiſſe alicujus Religionis &c.

Dico 1. Annus Noviatiatûs (idem eſt de annis 16. ætatis) debet eſſe completus Mathematicè à momento ad momentum. 2. Item continuus ſeu non interruptus. 3. Non tamen neceſſariò tranſigendus in Monaſterio. 4. Vel in habitu Religioſo. Pars 1. conſtat ex Trident. *lo. cit.* requirente, ut admittendus ad Profeſſionem non *minori tempore, quàm per annum in probatione ſteterit: & non ante decimum ſextum ætatis annum expletum.* Accedit ratio, quòd tam Novitio, quàm Monaſterio, magis proficuum ſit, ſi computatio temporis & anni fiat Mathematicè; cùm per Profeſſionem contrahatur gravis obligatio ex parte utriusque: adeóque Profeſſionem non anticipari utrique favorabile eſt. Unde ruit argumentum in oppoſitum, quòd in favorabilibus ultima dies anni inchoata habeatur pro completa. Interim à S. Pio V. Monialibus S. Dominici conceſſum eſt in articulo mortis etiam nondum expletô annô probationis Profeſſionem emittere ad lucrandas Indulgentias, de novo tamen emittendam expletô annô, ſi convaluerint. Quam gratiam etiam communicant

alij

alii Religiosi, qui aliàs in privilegiis cum Dominicanis communicant. Pars 2. sumitur ex eodem Trid. & indè, quòd annus & tempus à Jure præscriptum non censeatur exactum esse etiam in aliis materiis, nisi illud continuum sit. *arg. l. 3. l. 4. l. 7. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Annus autem non continuus, sed interruptus, censeretur, si Novitius dimisso habitu egrederetur vel per horam Monasteriò, cum animo deserendi Religionem; proin, casu quo pœnitentiâ ductus regrederetur Novitius, de novo inchare deberet Novitiatum. P. Wex cum communi, atque ita decisum ajunt à Rota. Si Novitius non dimisso habitu cum dicta intentione egrederetur, & statim reverteretur, non interrumpi Novitiatum aliqui non improbabiliter autumant. Pars 3. eruitur clarè ex *c. 17. h. t. c. fin. qui Clerici vel Vov.* cùm Religionis onera etiam extra Monasterium experiri quis possit: quia tamen meliùs capitur experimentum tam onerum claustralium à Novitio, quàm qualitatis & aptitudinis Novitij à Religione, si is perseveret in Monasterio, hinc sine gravi causa extra Monasterium vivere permittendus non est. Pars 4. probatur ex *c. 3. h. t. in 6.* & exinde, quòd Novitius, per totum ferè tempus in lecto decumbens ob ægritudinem, utique maneat Novitius, & expletô annô possit admitti ad Professionem. Oppones 1. Trid. *c. 15. cit.* exigit annum *post susceptum habitum.* 2. Qui non gestat habitum, non experitur asperitatem habitûs. R. ad 1. Concilium per dicta verba non præcipit habitûs gestationem, sed eam tanquam ordinarium quid supponit pro tempore, quo inchoatur Novitiatus. Ad 2. non est necesse, ut quis omnes omnino Religionis asperitates experiatur, modò sub obedientiæ jugo existat, ut fert communis doctrina.

§ Dico 4. Novitii gaudent privilegiô Fori & Canonis, atque alijs sui Ordinis, quæ Professis competunt, nisi particulari Jure vel consuetudine ijs priventur. 2. Non tamen, licèt sub jurisdictione Prælati Regularis quoad

forum internum & externum existant, per se & directè obligantur sub peccato in conscientia ad servandas regulas & præcepta Superioris, ad Horas Canonicas &c. minùs ligantur votis. 3. Libérè ac licitè regredi ad sæculum possunt per se. 4. Quæ libertas ut magis maneret salva, voluit Tridentinum *s. 25. c. 16. de Regular.* ut non valeat ulla renuntiatio aut dispositio, quam faciunt in Novitiatu de bonis suis, etiam jurata, vel in favorem causæ piæ, nisi fiat ultimis duobus mensibus ante Professionem, ac Episcopi vel Vicarii Generalis licentia accedat, & insuper Professio ipsa sequatur. 5. Si autem in Novitiatu, vel ante, de bonis suis non disponant Novitii, in iis omnibus succedit Monasterium, si bonorum temporalium sit capax, non jure hæreditario, sed acquisitionis omnium jurium & rerum, quas Professus una cum sui traditione censetur transtulisse in Monasterium. Pars 1. sumitur ex communi regula, quòd favores sint ampliandi, & proximè cingendus habeatur pro cincto: cùm igitur Novitii sint in via ad Professionem, ac onera Religionis sentiant, in favorabilibus rectè habentur pro Religiosis, ut gaudeant horum privilegiis, Indulgentiis &c. Accedit *c. 21. §. quamvis de sent. Excom. in 6.* Pars 2. suadetur ex eo, quòd Novitius nullum ediderit votum servandi, nec ad rectam illius gubernationem & probationem necessarium sit eum obligari sub culpa ad servandas regulas &c. sed sufficiat, si teneatur sustinere pœnam, si contra illas delinquat. Pars 3. clarè habetur *c. 20. c. 23. h. t.* nisi nempe aliquis priùs vovisset ingredi Religionem; talis enim, si ex levitate, sensualitate, aut sine justa causa egrederetur, peccaret graviter, cùm non ingressum in Novitiatum, sed Professionem, si nempe statum hunc pro se quadrare experiatur, censeatur voviſſe. Egrediens sponte, vel coactè, ad nullas tenetur expensas, in victum illius, vestitum, & in alia necessaria à Monasterio factas, secluso pacto speciali de ijs refundendis, & nisi simulatè ingressus decepisset

Monasterium. Pars 4. Totidem ferè verbis est expressa in Trid. *lo. cit.* à qua tamen non irritatur dispositio de bonis per ultimam voluntatem, utpote quæ semper est revocabilis, nec impedit liberum egressum: neque dispositio per contractus oneroſos; quia per tales tantum recipitur, quantum datur: neque donatio vel renuntiatio rei modicæ, vel quod offertur pro victu aut vestitu tempore Novitiatûs. An verò se extendat dispositio Tridentini ad eum, qui intuitu Novitiatûs, quem tamen nondum ingressus est, & futuræ Professionis donat res suas aliis &c. per actum inter vivos gratuitum, disputant DD. probabilitate ferè æquali in utramque partem. Planè ratio Tridentini, quæ est anima legum, etiam procedit de eo, qui ante ingressum, sed tamen illius intuitu se spoliat bonis, & sic libertatem regrediendi sibi adimit. Istud adhuc adverte, quòd solennitas illa de licentia Episcopi vel ejus Vicarii in multis Religionibus non sit usu recepta. Pars 5. reperitur *in Auth. Siqua mulier C. de SS. Eccl. & in Auth. Nunc autem C. de Episc. & Cler.* canonizatis *in can. 7. cauſ. 19. q. 3.* Imò etiam illa bona, de quibus per ultimam voluntatem disposuit quis ante Professionem, pertinent quoad usumfructum ad Monasterium usque ad mortem naturalem Professi: si autem is, cui per ultimam voluntatem relicta sunt, moriatur ante dictum Professum, evanescit illa ultima voluntas, & bona, etiam quoad proprietatem, debentur Monasterio; nisi nempe disponens expressè voluerit, ut statim post emissam Professionem illa bona fiant ejus, cui reliquit. Molin. *d. 140. num. 4. tr. 2.*

Dico 5. Inter alios effectus validæ Professionis facilè præcipuus est obligatio perpetua ad servanda vota substantialia, & ad manendum in Religione, ita ut neque Professus à Religione recedere, quin fiat apostata vel fugitivus, neque Religio eum possit dimittere, nisi ad alium Ordinem strictiorem transire vellit; quamvis ei

justa

juſtis cauſis eijcere poſſit, & Profeſſus ſuæ profeſſionis valorem impugnare per integrum quiquennium. Aſſertio, quam tenent communiter omnes, fundatur in *c. 5. 7. & 18. h. t. c. 6. & fin. de Statu Monach. c. 4. de Voto. Trid. ſ. 25. de Regul. c. 19.* &c. & roboratur explicando ſingula membra. Dixi enim 1. *Obligatio perpetua ad ſervanda vota*, ita ut neque Papa diſpenſare poſſit, ut quis maneat ſimul Religioſus juxta modernam formam Religionis ab Eccleſia determinatam, & ſimul nullo, vel ſaltem uno ex dictis votis non ligetur. *c. 6. cit.* licèt abſolutè valeat diſpenſare Papa. per *c. un. de Vot. in 6.* ſed tunc diſpenſatus deſinit eſſe Religioſus. Unde, ſi Religioſus fiat Epiſcopus, quia manet adhuc Religioſus, *c. penult. de vit. & hon. Cler.* manet ligatus votis ſubſtantialibus; quamvis ad regulas & diſciplinam domeſticam ſui Ordinis, utì ad jejunia, ſilentium, certas preces &c. niſi ex quadam decentia, non ſit adſtrictus. *can. un. cauſ. 18. q. 1.* Quoad habitum in forma & figura conformare ſe poteſt cum Epiſcopis ſæcularibus, retento tamen colore, utì ordinavit Clemens VIII. Dixi 2. *Quin fiat apoſtata, vel fugitivus*; qui enim recedit ſine licentia Superioris à Monaſterio vel Ordine cum animo deſerendi omnino Inſtitutum Religioſum, *Apoſtata*; qui verò ſine licentia recedit, etiam ſub prætextu accedendi Superiores mediatos (ſed hoc intellige, ſi nec petierit licentiam) aut liberè vagatur, cum animo tamen redeundi (ſive dein habitum deponat, ſive retineat) *fugitivus* appellatur. Circa hos fugitivos & apoſtatas obſervanda ſunt ea, quæ ſingulorum Ordinum conſtitutiones & ordinationes præſcribunt. Dixi 3. *Neque Religio dimittere*; quod nulli eſt permiſſum, niſi Societati Jeſu reſpectu illorum, qui ſimplicia tantùm emiſerunt vota, non Profeſſionem, ad quam in hoc Ordine ſoli, non tamen omnes admittuntur *Patres*. Dixi 4. *Niſi ad alium Ordinem ſtrictiorem tranſire velit*; quod cum licentia Superioris, ſaltem petita, & cum litteris

teris dimissoriis, ex bona intentione (non ex levitate vel temeritate) licitum est utriusque sexûs Religiosis. *c. 18. & c. 4. citt.* Si vellet transire ad Ordinem laxiorem vel paris rigoris, & quidem absque justa causa, v. g. infirmitatis, dissidiorum &c. opus foret licentiâ Papæ; licèt cum simili causa sufficiat licentia Superioris Regularis & Capituli, si Monasterium sit exemptum; si non sit exemptum, accedente consensu Episcopi. Semper autem requiritur consensus Prælati, ad cujus Ordinem fit transitus, & novus probationis annus. Nomine *strictioris Ordinis* intelligitur ille, qui est austerior in externis observationibus non tantùm ex primæva sua institutione, sed etiam ex moderna observantia. Mendicantibus ad non Mendicantes (exceptis Carthusianis) transire nunquam licet sine speciali licentia Papæ. *Extrav. 1. inter Comm. h. t.* saltem sub prætextu indulti, vel melioris observantiæ. Hominibus tamen Societatis licet cum facultate Generalis transire ad alios Ordines, etiam non Mendicantes, ex indulto Gregorii XIII. *in constit. Cùm aliàs.* Qui verò ad alios Ordines cum debita licentia transierunt, saltem à Mendicantibus ad non Mendicantes, sunt inhabiles ad Prioratus, Officia, vocem in Capitulo, curam animarum, & ad quodcunque regimen ac administrationem. *Clem. 1. h. t.* Imò ad beneficia curata sæcularia inhabiles sunt quicunque translati ab uno Ordine in alium. Trid. *s. 14. c. 11. de Ref.*

Dixi 5. *Quamvis ex justis causis eijcere possit:* cujusmodi causa hodie tantùm est incorrigibilitas in crimine gravi, & publico, prævia terna correctione, monitione, ac punitione, & insuper incarceratione unius anni in jejunio & pœnitentia, uti statuit S. Congreg. in Decreto de Regular. Apostatis &c. edita jussu Urban. VIII. Item nullitas Professionis detecta. Ejectus ob incorrigibilitatem manet quidem obligatus votis, licèt ob statum sui non ita strictè, non tamen probabiliter regulis quoad jejunia, vigilias &c. in Ordine præscriptas; tenetur qup-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

que habitum geſtare, niſi in pœnam eô ſit privatus, aq per emendationem ſe diſponere ad iteratam receptionem, atque, ſi revocetur, redire, imò & Religio emendatum, etiam non petentem, tenetur rurſus recipere. Vid. Barb. & alii ex *c. f. h. t.* Dixi 6. *Et Profeſſus ſuæ Profeſſionis valorem impugnare per quinquennium.* Trid. *c.* 19. *cit.* quæ impugnatio cenſetur etiam permiſſa Religioni: finitô autem quinquenniô non ampliùs auditur impugnare volens, etiam in caſu ignorantiæ impedimenti, ſed compellitur talis ad ſe gerendum pro Religioſo: auditur tamen ignorans, vel aliàs à reclamando impeditus, per viam reſtitutionis in integrum, licèt majorennis ſit, quâ recuperatur jus reclamandi amiſſum per lapſum quinquennii. *arg. l. 1. ff. Ex quib. cauſ. Majores.* Sanch. Barb. alii. Sed hæc procedunt de foro externo. Pro foro interno, ſi alicui nullitas Profeſſionis eſt certa, eam tamen probare nequit, non tenetur ratificare per novum conſenſum Profeſſionem, ſed poteſt occultò diſcedere ſecluſô ſcandalô: bene autem facit, ſi ratificet, imò ad ratificationem inducendus eſt à Confeſſario, ſi ſine ſcandalo vel gravi præjudicio diſcedere nequeat. Ad ratificationem non eſt neceſſaria nova acceptatio à Prælato poſita. per *c.* 11. *h. t.* & Trid. *c.* 19. *cit.* Reiffenſtuel *h. n.* 217. *ſeqq.* cùm acceptatio & conſenſus Religionis ſemel poſitus cenſeatur adhuc moraliter perſeverare, vel, ſi non perſeveraret, Papa ſuppleret. Ratificatur autem Profeſſio per novum conſenſum, ſive expreſſum ſive tacitum; non tamen, niſi eundem ponens ſciverit priùs, ſe initiò nulliter eſſe profeſſum, vel ſaltem expreſsè apud ſe ſtatuerit, quòd Profeſſionem, ſi fortè invalida fuiſſet, velit hìc & nunc validam.

TITU-

TITULUS XXXII.

De Converſione Conjugatorum.

SUMMARIUM.

1. *Converſio conjugatorum eſt eorum ingreſſus in Religionem.*
2. *Exiſtentes in Matrimonio Rato liberè eam ingredi, & ſic diſſolvere Matrimonium poſſunt.*
3. *Exiſtentes in Conſummato nonniſi cum certis limitationibus ingredi, non verò diſſolvere Matrimonium per ingreſſum.*

SCiendum, per *Converſionem conjugatorum* intelligi eorum in Religionem ingreſſum; *conjugatos* autem dupliciter eſſe poſſe, nimirum ſi ſint vel in Matrimonio *Rato* tantùm, quod ritè eſt quidem contractum, ſed absque ſubſequente copula carnali perfecta; vel in *Conſummato*, ſeu quod debitè contractum ſubſecuta eſt copula præfata. Adeóque præſens Titulus eſt appendix prioris. 1

Dico 1. Exiſtentes in Matrimonio præcisè Rato ante illius conſummationem, ad quam ante lapſum duorum menſium non adſtringuntur etiam exigente altera parte, poſſunt vel ambo, vel unus, etiam invitô alterô, licitè ac liberè quocunque tempore Religionem ingredi: Profeſſione autem emiſſa diſſolvitur tale Matrimonium quoad vinculũ, ita ut remanens in ſæculo aliud Matrimonium validè ac licitè contrahat. Quæ tamen non procedunt de eo, qui ſuſcipit Ordinem Sacrum poſt Matrimonium Ratum. Communis & certa ex *c.* 2. 7. 14. *h. t.* Ubi Matrimonio præcisè Rato annectitur hæc tacita conditio, *niſi Religionem intravero* ante conſummationem illius, ſo- 2

ſcilicet in favorem Matrimonij ſpiritualis, quod contrahitur per vota vel Profeſſionem Religioſam. Dixi autem 1. *Ante illius Conſummationem*, ſi proin copula carnalis inter contrahentes fuit habita, antequam contraxerint Matrimonium, ea non obſtat ingreſſui Religionis; cùm per eam, utpote fornicariam, non conſummetur Matrimonium, neque ſignificetur conjunctio Chriſti cum Eccleſia: neque fingitur à Jure facta eſſe in Matrimonio, ſicut in *c. 6. qui filij ſint legit.* fingitur contigiſſe in Matrimonio in ordine ad legitimandam prolem propter hujus ſpecialem favorem. Utrùm verò conſummatio, per vim vel metum injuſtè incuſſum extorta, obſtet ingreſſui, diſceptant Doctores. Communior, & mihi probabilior, cum Fagn. Sanch. Pirh. &c. contra Sylv. Covarr. Engel, ſaltem ſi conjunx, cui vis paratur, excipiens dicat, ſe conſtituiſſe Religionem ingredi, vel de ingreſſu deliberare adhuc, negat; quia per injuriam alterius nemo debet privari ſuo jure, nec injuriam inferens indè referre commodum. Accedit, quòd per copulam injuſtè extortam non ſignificetur conjunctio vera Chriſti cum Eccleſia, adeóque vera conſummatio Matrimonij non fiat, ſi verò fieret quidem vera conſummatio, utì multis videtur, tamen propterea ingreſſus Religionis non deberet negari innocenti, licèt per eum Matrimonium non diſſolveretur, & injuriam inferens perpetuò vivere extra conjugium deberet. Dixi 2. *ad quam ante lapſum duorum menſium &c.* eò usque enim conceditur conjugibus deliberare de ingreſſu: elapſo autem bimeſtri, ſi una pars inſtet, & debitum conjugale petat, finitur ſpatium deliberandi, & urget obligatio vel ſtatim ingrediendi, vel Matrimonium conſummandi. per *c. 7. cit.* Dixi 3. *Quocunque tempore*, etiam poſt unum vel plures annos, ſi interea conſummatio non contigit. Dixi 4. *Profeſſione autem emiſſa diſſolvitur Matrimonium*, non antè: igitur manens in ſæculo tenetur exſpectare usque ad Profeſſionem, non obſtante, quòd fortè interea patiatur

grave

grave periculum incontinentiæ ; *quoniam in conjugio multi caſus occurrunt, in quibus conjuges ſine culpa, ſed non ſine cauſa, continere coguntur. c. fin. §. ſi autem. Ut lit. non conteſt.* v. g. ſi conjunx ægrotet, abſit &c. Addidi , *quæ non procedunt de eo &c.* quia tantum privilegium Profeſſioni Religioſæ legitur conceſſum *cc. citt.* non verò Ordinibus Sacris. *Extrav. Antiquæ Jo. XXII. de Voto.*

Dico 2. Exiſtentes in Matrimonio conſummato validè & licitè ingrediuntur Religionem ambo , interveniente tamen mutuo conſenſu. 2. Etiam unus tantùm, altero tamen ſponte conſentiente , & ſaltem votum continentiæ emittente. 3. Item ſi altera pars commiſit adulterium. 4. Vel incidit in hæreſim, propter quam à Judice per ſententiam decretum & permiſſum eſt divortium. 5. Quæ pleraque procedunt etiam in eo, qui ſuſcipit SS. Ordines. Pars 1. eſt extra controverſiam , quia neutri fit injuria. Pars 2. conſtat ex *c. 4. 9. 13. 18. h. t.* ſi autem ſine ſpontaneo & expreſſo alterius conſenſu , Profeſſio ingreſſi eſſet invalida. *c. 17. eod.* poſſétque Profeſſus revocari , tenetúrque debitum petenti reddere ; quamvis non liceat ei petere , vel mortuo conjuge aliud Matrimonium inire ; quia profitendo Religionem ex præſumptione Juris cenſetur voviſſe caſtitatem , quantùm potuit , adeóque votum ſimplex caſtitatis emiſiſſe. *c. 3. & 12. eod.* licèt non cenſeatur voto ſimplici ſe obligâſſe ad paupertatem & obedientiam ; quia hæ virtutes majorem habent connexionem cum ſtatu Regulari & Religioſo, quam caſtitas. Si verò altera pars quidem ſponte conſenſiſſet in ingreſſum alterius, non tamen ingrederetur & ipſa, neque in Sæculo votum perpetuæ continentiæ emiſiſſet , valeret quidem Profeſſio , ſed illicita foret. *c. 9. cit.* nempe ob periculum incontinentiæ , quod incurrit pars remanens in ſæculo , eò quòd Matrimonium conſummatum per Profeſſionem Religioſam non diſſolvatur , & ideo novum non valeat contrahi ab

3

eadem. Sed nec ſemper ſufficit ad licitum ingreſſum unius, ſi altera pars non ſimul ingrediatur, & tantùm velit continentiam perpetuam vovere in Sæculo; ſed ſolùm tunc, quando eſt ſenex, & ſimul non ſuſpecta de incontinentia propter mores. *c. 4. 13. h. t.* quanta autem debeat eſſe ſenectus, ut ratione hujus cenſeatur abeſſe periculum incontinentiæ, meliùs relinquitur arbitrio Epiſcopi vel Judicis, cùm Jus non determinet, quàm ſtatuitur à quibusdam determinatè in viro annus ſexageſimus, & in fœmina quinquageſimus. Si autem fœmina ex ignorantia Juris, quæ in illa toleratur, poſt datam viro licentiam nec Religionem ingreſſa eſt, nec in Sæculo caſtitatem vovit, ac propterea verſatur in periculo incontinentiæ, Epiſcopus poterit virum, licèt ejus Profeſſio fuerit valida, jubere ad uxorem redire, eíque exigenti reddere debitum. *c. 1. eod.* Pars 3. liquet ex *c. 15. 16. eod.* non obſtante, quòd pars adulterans ſit invita: huic autem, ſi pars innocens non conſentiat, idem non eſt permiſſum. Jura tamen nullibi obligant partem adulteram, ut & ipſa ingrediatur Religionem, vel caſtitatem voveat, ſi innocens Religionem ingrediatur. Pars 4. ex *c. 21. eod. & c. 6. de divort.* non obſtante, quòd pars in hæreſim lapſa reverti cupiat, ſi per ſententiam Judicis jam factum ſit divortium. Pars 5. eruitur ex *citt. Juribus*, & paritate rationis; id quod fuſiùs explicavimus ad *Tit. III. de Clericis conjug.* Id tamen diſcriminis datur, quòd Ordo ſacer, ſine licentia uxoris ſuſceptus, valeat, votúmque ſolenne caſtitatis inducat, licèt contra præjudicium uxoris quoad petitionem debiti; non verò valeat Profeſſio Religioſa absque licentia uxoris emiſſa.

TITULUS XXXIII.

De Converſione Infidelium.

SUMMARIUM.

1. *Quid denotent verba Rubricæ.*

2. *Quid*

Digitized by Google

2. *Quid de conversis ad Fidem hoc Titulo statutum.*

SCiendum, occasione conversionis seu transitûs Conjugatorum ad Religiosum Ordinem hìc intérseri Titulum de *Conversione* seu transitu *Infidelium* ad Religionem Catholicam, per quos *Infideles* denotantur hìc presèe tales, qui nimirum nunquam susceperunt Baptismum, & in eo Fidem Catholicam, utì Gentiles, Judæi, Pagani, Turcæ &c. nam Hæretici non dicuntur propriè *converti*, sed *reverti*, ad fidem, â qua semel recepta defecerunt. 1

Dico. In duobus *cc. hujus Tit.* statuuntur duo. 1. Impedimentum dirimens Matrimonii inter infidelem & fidelem, qui communi opera machinati sunt in mortem conjugis, ut hoc sublato ipsi inter se contrahant matrimonium, si infidelis post patratam cædem se convertat ad fidem. 2. Ut, si unus conjugum infidelium convertatur, alter autem persistat in infidelitate, proles nondum doli capax sequatur & educetur apud conversum, sive pater sive mater sit, non obstante, quòd secundùm leges Civiles liberi alias sint in potestate & cura patris. §. *fin. Inst. de patr. pot.* ac eidem incumbat alere prolem. *l. 9. C. eod.* nam favor Religionis & bonum Fidei prævalet dispositioni Juris Civilis. Dixi autem notanter, *nondum doli capax*; si enim doli & rationis jam esset capax, suæ libertati relinquendum foret, num parentem infidelem vel conversum sequi malit; cùm nemo positivè invitus ad fidem Christianam compellendus sit. *can. 33. caus. 23. q. 5. c. 9. de Judæis.* 2

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid sit votum, ejus causæ, & effectus.*

3. *Quid redemptio Voti, ſcilicet irritatio, commutatio, diſpenſatio Voti, ac materiæ deficientia.*
4. 5. *An metus, ignorantia, error faciat votum irritum.*
6. *Diviſio Voti, præſertim in Reale & Perſonale.*
7. *Materia Voti. An poſſit eſſe res indifferens.*
8. *Obligatio Voti.*
9. *Hanc tollere per Irritationem,*
10. *Vel per Diſpenſationem,*
11. *Vel per Commutationem quis valeat.*

1 SCiendum 1. cùm ſine voto eſſentia Religionis non ſubſiſtat, rectè de *Voto* hìc agi, quo nomine, licèt in genere veniat quodcunque deſiderium, ſpecificè tamen & huic loco propriè denotatur lex quædam privata, quam ſibi ſponte aliquis ponit ſe obligando ad rem quampiam, vel actionem, aut omiſſionem, per promiſſionem Deo factam. Illa igitur res, vel actio, vel omiſſio, quæ promittitur ad Dei honorem, eſt materia voti: obligatio autem ex tali promiſſione reſultans eſt effectus voti: & cauſa efficiens eſt voluntas ac intentio deliberata voventis: finis verò cultus Dei.

2 Sc. 2. *Redemptionem* voti, quæ eſt ſecunda pars Rubricæ, quamvìs preſsè ſumpta ſignificet translationem obligationis voti perſonalis in opus aliquod reale, v. g. in eleemoſynam, hìc tamen rectè ſumi generaliùs pro liberatione ab obligatione voti nondum exſoluti; quæ quadruplex eſt. 1. *Irritatio*, qua tollitur obligatio voti à Superiore poteſtatem habente vel in ipſam perſonam & voluntatem voventis, vel in materiam promiſſam, abſque omni alia cauſa, præter beneplacitum irritantis: ſi Superior habeat poteſtatem dominativam in ipſam perſonam voventis, & actum ipſum vovendi annullet, eſt irritatio *directa*: quando verò dominium vel jurisdictionem in materiam promiſſam, & hanc ſubtrahit vel prohibet, eſt *indirecta*: prior tollit votum omnino: poſte-

posterior ponit illi impedimentum, & obligationem tantùm suspendit, quamdiu durat impedimentum. 2. *Commutatio*, per quam non quidem omnino tollitur obligatio voti, sed tantùm mutatur, & pro materia votô promissa substituitur alia, vel minùs vel æquè bona, v. g. pro jejunio eleemosyna, pro peregrinatione certæ preces. Et hæc requirit justam causam, qualis v. g. est difficultas nimia in præstanda re votô promissa &c. & ferè authoritatem Superioris, nisi mutatio fiat in opus evidenter Deo gratius. 3. *Dispensatio*, per quam nomine Dei remittitur omnino obligatio voti: sed iterum requiritur justa causa, & quidem major, quàm in commutatione, atque authoritas Superioris Ecclesiastici, vel Confessarii, ad id privilegiô instructi. Mera dispensatio plerumque habet locum in votis majoribus, quæ propter dignitatem materiæ non possunt commutari in opus aliqualiter æquivalens aut proportionatum; alia enim potiùs commutanda sunt. Imò non facilè, etiam à Papa conceditur mera dispensatio voti sine admixta commutatione: cùm obligatio voti, quâ quis adstringitur immediatè Deo, meliori, quo potest, modo implenda sit. 4. *Deficientia materiæ*, si nempe materia voti vel ex toto, vel ex parte destruatur, si evadat impossibilis, si desinat esse de meliori bono.

Dico 1. Votum est *deliberata promissio Deo facta de meliori bono*. Ita communis. Per vocem *promissio* differt â mero proposito ututcumque serio, per quod nemo se intendit obligare ad id, quod statuit apud se. In dubio, an quis votum fecerit, vel propositum tantùm, præsumendum est contra votum, cùm libertas sit in possessione, eáque non stringenda, nisi certò constet de obligatione contracta. *Deliberatio* debet esse tanta, quanta sufficit & requiritur ad peccandum mortaliter, & se obligandum diabolo, adeóque perfecta; aliàs votum non tenet; cùm nemo censeatur sibi legem voluisse ponere absque perfecta advertentia & intentione. In dubio, 3

an votum sit factum cum sufficienti deliberatione, quamvis communior sententia asserat standum pro voto, verius tamen esse existimo cum Palao & Tambur. tale votum non obligare, nec esse in possessione contra libertatem, quia hoc ipso, quòd dubitetur de aliqua ejus parte essentiali, dubitatur, an verè sit factum. Neque dicas, *in dubio tutiorem viam esse tenendam. c. 18. de homicid.* Id enim est de consilio, non de præcepto, nisi quis versetur in dubio practico. In *c. 18. cit.* exstat speciale præceptum sequendi tutiora in casu irregularitatis ex homicidio ortæ, licèt dubium sit, an occisus mortem obierit ex vulnere à te inflicto &c. Per vocem *Deo* indicatur, quòd votum non sit, si homini, vel Confessario promittas v. g. emendationem. Si tamen Beatissimæ Virgini, aut alicui Sancto promittas rem vel actionem piam, erit votum, quia principaliter & ultimatò talis promissio fit Deo, & ad hujus cultum, atque in memoriam duntaxat Sanctorum, ut isti suis precibus nos adjuvent: quo modo etiam templa & altaria eriguntur Sanctis. Si tamen quiesceres per tuam promissionem in cultu Sanctorum, & non referres ultimatò ad colendum Deum, talis actus non foret propriè votum & cultus latriæ, qualis de se est votum, sed actus duliæ & singularis observantia erga Sanctos. Per verba, *de meliori bono*, indicatur qualitas materiæ voti.

4 Quæres, an metus gravis injustè incussus, vel ignorantia, aut error ita obstent deliberationi, ut faciant votum irritum? R. 1. Metus quicunque non irritat votum, si non sit gravis & incussus injustè ad extorquendum votum, ut habet communis; imò neque hic ultimus metus irritat vota simplicia, sed tantùm solennia, ut contra communem DD. traditionem apud Pirhing docet Sylv. Suar. Palao, Perez, Wiestner; Schmalzgrueber & alii ab his allegati. Ratio, quia spectato Jure Naturali valent, Jure autem Positivo, licèt sint facilè solubilia, tamen non leguntur irritata; nam Jura, quæ in oppo-

situm

ſtum adducuntur, loquuntur tantùm de votis ſolennibus, ſeu de Profeſſione Religioſa, utì *c. 1. de his, quæ vi.* Neque dicas, Deum non acceptare vota coacta; quia metu extorta non ſunt ſimpliciter coacta, ſed abſolutè adhuc liberè edita: retorſio fieri poteſt in votis metu levi, vel gravi, non tamen eum in finem incuſſo, ut extorqueatur votum &c. Si replices, votum ingrediendi Religionem, ſi valeat, obligare ad actum nullum; cùm Profeſſio Religioſa metu extorta etiam juxta nos ſit nulla: repono, obligare quidem tale votum ad Religionem, at non ſtante metu, ſed eo fortè ceſſante, ingrediendam.

R. 2. Si ignorantiâ vel errore laborans ita eſt conſtitutus, ut cenſeatur ſe noluiſſe obligare, ſi rem ſciviſſet, prout eſt, votum utique eſt nullum; quia omnem ſuam vim habet à voluntate & intentione voventis, utpote lex privata, quam ſibi ipſi quis ponit. Sic non obligatur, ſi vovens erret circa ſubſtantiam voti, vel circa accidentia & circumſtantias magnæ conſiderationis, quas ſi ſciviſſet, non voviſſet; vel ſi certis circumſtantiis alligâſſet ſuum votum, quæ tamen non dari deprehenduntur poſtea; vel ſi errâſſet circa finem, ut ſi vovit Petro dare eleemoſynam ad ſublevandam ejus egeſtatem, quem tamen poſtea deprehendit non eſſe pauperem. Oppones 1. Si circumſtantiæ magni momenti ignoratæ faciunt votum nullum, etiam vota Religioſa, & votum caſtitatis, ſi poſtea ſe prodit magna difficultas, priùs ignorata, aut non prævisa, erunt nulla: conſequens eſt abſurdum, & contra communem ſenſum, ac praxim. 2. Contractus non reſcinduntur propter difficultates poſtea emergentes: ergo nec votum ob circumſtantias magni momenti priùs ignoratas. R. ad 1. *N. Ma.* Vota ſolennia, utì & caſtitatis, ſi ignorantia vel error ſolùm verſetur circa accidentia vel circumſtantias, non verò circa ſubſtantiam rei promiſſæ, valent partim ideo, quia aliàs ſequerentur gravia ſcandala, perturbationes, & varij prætex-

tus, quibus facilè omnis obligatio illorum eluderetur. *arg. c. 14. de converſ. conjug.* partim quia omnes difficultates, ſi non fuit error vel ignorantia circa ſubſtantiam, facilè potuerunt prævideri in confuſo, & præſumuntur prævisæ, atque ideò vota abſolutè edita. Ad 2. *Tranſ. Ant. N. Conſ. & parit.* quia contractus abſolutè ineuntur inter homines, atque acceptantur mutuò; & , ſi poſſent ſimili exceptione reſcindi, nulla forent firma commercia, & tribunalia obruerentur litibus : vota autem à Deo, cui principaliter fiunt, non acceptantur; quia Deus cognoſcit internam animi conſtitutionem, ſe nolentis obligare in talibus circumſtantiis magni momenti, à vovente ignoratis. Neque in votis pugnat ratio multitudinis litium &c.

6 Dico 2. Votum dividitur 1. in ſolenne & ſimplex: *Solenne* dicitur, quod ab Eccleſia ſpecialiter acceptatur loco Dei, & ex diſpoſitione Juris voventem reddit inhabilem ad actus voto repugnantes, qualia vota involvit Profeſſio Religioſa; & ſuſceptio Ordinis ſacri; per hujusmodi enim vovens redditur inhabilis ad Matrimonium validè contrahendum, ad dominium rerum temporalium obtinendum &c. *Simplex*, quod non ita acceptatur ab Eccleſia, ſolúmque reddit illicitos actus voto repugnantes, non verò invalidos, exceptis votis ſimplicibus Societatis Jeſu, quæ voventem reddunt inhabilem ad Matrimonium, ſicut Profeſſio Religioſa. 2. In *Reſervatum* ſummo Pontifici quoad diſpenſationem & commutationem, ac in *non-reſervatum*. Reſervata ſunt quinque : votum perfectum integræ & perpetuæ caſtitatis, de quo vid. in *Lib. IV. Tit. XVI. n. 17.* votum Religionis ingrediendæ : votum Peregrinationis Romanæ : Ieroſolymitanæ : & Compoſtellanæ. 3. In *Purum*, quod abſolutè emittitur, & ſtatim obligat, ac in *Conditionale*, quod ſub conditione emittitur, & cujus obligatio ſuſpenditur usque ad illius eventum. Si conditionatum contineat pœnam, eſt votum *Conditionale pœnale*. v.g. ſi di-

Digitized by Google

ſi dicas : voveo me jejunaturum per integrum diem in pane & aqua, ſi iterum blasphemavero. 4. In Reale, Perſonale, & Mixtum. *Reale* eſt, per quod promittitur res, v. g. pecunia, calix &c. *Perſonale*, per quod promittitur actio perſonæ, vel omiſſio actionis, v. g. peregrinatio, jejunium, abſtinentia à luſu. *Mixtum*, per quod promittitur ſimul actio & res, v. g. peregrinatio ad B. Virginem Oetinganam cum oblatione alicujus donarij, ſeu tam res danda, quàm actio facienda. Hæc differentia probè notanda eſt; nam votum perſonale implendum eſt ab ipſo vovente, nec impletio alteri poteſt committi, neque eſt obligatio illud implendi per alium, ſi vovens per ſe ipſum implere nequeat, niſi, ut excipit Sanch. non tam ſui afflictionem, quàm alterius, v. g. animarum in Purgatorio juvamen intendiſſet; cùm in hoc ultimo caſu finis voti etiam per alium obtineri poſſet: ſi tamen alius haberi commodè non poſſet, non videtur mihi vovens etiam hoc caſu obligatus ad implendũ votum per alium; eò quòd non ſit præſumendus ſe ad id obligare voluiſſe. Rurſus, votum perſonale non tranſit ad hæredes, neque per ſe ad ſucceſſores: quare ſi fortè aliqua communitas, vel civitas, voveat jejunium, peregrinationem &c. ſucceſſores hoc voto non obligantur, licèt ſæpe obligentur ex pacto, conſuetudine, vel ſtatuto cùm approbatione ſaltem tacita Epiſcopi facto. Econtra votum Reale poteſt, &, ſi ab ipſo vovente nequeat, etiam debet impleri per alium, item tranſit ad hæredes (licèt non ultra vires hæreditatis) atque ad ſucceſſores. per *c. 6. h. t. & c. 18. de cenſib. l. 2. §. 2. ff. de pollicitat.* quia res tranſit cum onere. Sed obligatio hæredum non eſt Religionis, ſicut fuit ex parte ventis, ſed Juſtitiæ. Mixtum ab hærede præſtari debet quoad partem realem, non verò quoad actionem perſonalem. Nec obſtat *c. 6. cit.* ubi Papa mandat, ut hæres & ſucceſſor Regni impleat votum parentis mixtum etiam quoad partem perſonalem; nam id Pontifex mandavit, quia ibi filius

ſponte jam ſpecialiter ſe obligârat, adeóq; ob promiſſionẽ propriam, non ex vi voti paterni. Interim ſi votũ Mixtum reſpicit rem dandam & actionem faciendam indiviſim, vel actionem principaliter, rem verò tantùm acceſſoriè, tunc ceſſante obligatione ad actionem etiam ceſſat obligatio ad rem, ſeu ad id, quod reale eſt in voto Mixto.

7 Dico 3. Materia voti debet eſſe poſſibilis, honeſta, & de meliori bono, h. e. melior & Deo magis grata, quàm ſit oppoſitum illius. Ita omnes, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio, & DEus, cui fiunt vota, non acceptat tanquam ſibi grata, niſi materia ſit de ſe bona, & non merè indifferens, imò niſi ſit melior, quàm contradictorium ejus. Unde invalidum eſt 1. Votum nunquam peccandi venialiter per totam vitam, cùm moraliter ſit impoſſibile humanæ fragilitati diu vitare omnia venialia peccata cum gratiis ordinariis. 2. Votum non nendi die Sabbathi, non fricandi barbam, non geſtandi gladium, non ludendi &c. quia hæc objecta ſunt de ſe indifferentia, nec bona nec mala: ſi tamen ex fine bono, per ſe conducente ad cultum Dei, aliquis voveret prædicta omittere, v. g. ut evitet peccata, ad quæ concitatur per luſum, ut domet aliquam inordinatam paſſionem, vel nimium affectum erga rem creatam &c. votum valeret. 3. Votum contrahendi Matrimonium; quia ejus oppoſitum eſt melius, nempe virginitas vel cœlibatus, cujus impeditivum eſt Matrimonium, imò ſublativum: ſi tamen per Matrimonium poſſet procurari majus bonum, v. g. pax publica, vel vovens eriperetur ex ſtatu & manifeſto periculo peccatorum gravium, tale votum per accidens redderetur validum. Oppones: ſi votum de re indifferenti vel ex ſe minùs bona poſſit reddi validum propter finem bonum adjectum, ex quo res promiſſa ſit bona, vel melior ſuâ oppoſitâ, tunc etiam votum de re honeſta & meliori poterit reddi invalidum propter adjectum finem malum, ut ſi voveres orare in templo expanſis brachiis, ut lauderis & habearis pro ho-

homine valde pio: vel jejunare die Sabbathi, ut die Dominica tibi magis ſapiant cibi &c. ſed hoc eſt contra communem; ergo. R. *diſt. Ma.* poterit reddi invalidum, ſi finis malus ſit finis ipſius rei promiſſæ, & hanc voti materiam ordinet aliquis tanquam medium ad obtinendum finem malum. v. g. ſi fur voveat eleemoſynam vel preces, ut furtum bene ſuccedat. *C. Ma.* Si finis malus ſe teneat tantùm ex parte voventis, & actus vovendi tanquam medium ordinetur ad finem malum, v. g. ſi coram multis voveas eleemoſynam, ut illi audientes aliquam de tua virtute exiſtimationem concipiant. *N. Ma.* nam finis voventis relinquit rem promiſſam in ſua bonitate; ideo votum valebit, licèt vovens peccet per ſiniſtram intentionem: finis autem rei promiſſæ, ſi vitioſus ſit, ipſam rem & materiam voti reddit malam, quia res illa à vovente intenditur tanquam medium ad obtinendum finem malum. Ad dignoſcendum igitur, an in allatis exemplis vota reddantur invalida ob adjectum vitioſum finem, attendi debet; an vovens rem promiſſam ordinet tanquam medium ad malum finem, ita ut finis rei promiſſæ ſit malus; vel an tantùm finis voventis, rei extrinſecus, ſit malus: in priori caſu votum vitiatur, in poſteriori tantùm actus voventis vitiatur & fit illicitus, non materia voti, conſequenter nec ipſum votum redditur invalidum.

Dico 4. Votum validum parit obligationem, gravem vel levem, exequendi id, quod promiſſum eſt, & quidem ſtatim moraliter, niſi juſta cauſa dilationem excuſet, vel vovens certum tempus executioni deſignaverit. Iterum communis, fundata in lumine Naturæ, & S. Scriptura *Deut.* 23. ibi: *cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere &c. & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Planè ſi promiſſio homini facta, & ab eodem acceptata, obliget, cur non obliget promiſſio Deo facta & acceptata? Dixi, *gravem vel levem*, prout nempe materia voti fuerit gravis vel levis,

vis, aut prout fuerit intentio voventis, in cujus arbitrio eſt ſicut vovere vel non vovere, ita etiam ſub gravi vel levi peccato ſe obligare, etiamſi materia voti ſecundùm ſe eſſet res gravis & magna. Palao *d. 1. de Voto pu.* 11. *n. 3. 4.* Si tamen vovens non expreſſit, an ſub gravi vel levi ſe velit obligatum, cenſetur ſe voluiſſe obligare ſecundùm proportionem materiæ, graviter, ſi illa magna, leviter, ſi illa ſit parva.

9 Dico 5. Irritare vota poſſunt illi, quibus vel perſonâ & voluntas voventis, vel materia voti eſt ſubjecta. Communis, & ratio eſt; quia vota illorum, in quibus reperitur alterutra ſubjectio, pendent à conſenſu illius, cui perſona vel res eſt ſubjecta, adeóque talia vota vel ex natura rei, vel ex Juris diſpoſitione includunt hanc tacitam conditionem, *niſi Superior, vel is, cujus intereſt, contradixerit.* Propter *ſubjectionem perſonæ* poteſt Prælatus ſeu Superior Religioſus (non tamen Sub-Prior, vel Miniſter, quia alieno, non proprio pomine imperant) item Præfectæ Monialium irritare omnia vota ſuorum Religioſorum, tempore Religionis emiſſa, licèt Regulari regimini non præjudicent. *can. 2. cauſ. 20. q. 4.* exceptô votô arctiorem Religionem ingrediendi. Item pater omnia ſuorum liberorum impuberum vota. *arg. can. 2. cit. Patris* nomine venit etiam tutor reſpectu pupillorum, quia ſuccedit patri mortuo, item mater, quando hæc mortuo patre vices agit tutoris: præterea etiam avus, & avia, patre ac tutore deficiente. Propter *ſubjectionem materiæ* poteſt maritus irritare omnia, & probabiliùs ſola illa vota uxoris, quæ uſui Matrimonii, eduçationi prolis, aut gubernationi domeſticæ præjudicant, ſive facta ſint ante ſive poſt initum Matrimonium. Idem viciſſim dic de uxore quoad vota mariti, quæ juri uxoris præjudicant. Idem tene de Domino reſpectu votorum Servi, & de aliis quibuscunque, dominium obtinentibus in materiam, quam alius votô promittit; cùm per votum nemo alterius juri efficaciter præjudicare poſſit.

poſſit. Summus Pontifex pollet quidem poteſtate irritandi omnia vota Religioſorum ſimpliciter & directè, ſicuti Prælati Regulares, quia per votum obedientiæ non minùs Pontifici quàm immediatis Prælatis ſubjiciuntur: cœterorum verò fidelium ſolùm indirectè, quando nempe materia voti eſt ſpecialiter ſubjecta regimini vel juri Pontificis.

Dico 6. Diſpenſare in omnibus votis poteſt Papa: 1 Epiſcopus autem, & jurisdictione quaſi-Epiſcopali gaudentes, Capitulum Cathedrale Sede vacante, Superiores Ordinum Mendicantium, imò omnes Religioſi Mendicantes, quibus ſui Superiores hanc poteſtatem non reſtringunt, in votis non-reſervatis; reſervata autē eſſe ſoluñodo quinque diximus *n. 6.* Sed nullus ſine juſta cauſa, quæ ad valorem diſpenſationis requiritur. Religioſi verò ſolùm in-& pro foro interno conſcientiæ. De Pontifice colligitur ex *c. 16. Matth.* de Epiſcopo (uti & de aliis Superioribus) ex *c. 1. c. 7. h. t. & c. 18. Matth.* Reſervatio 5. votorum habetur *Extrav. 5. de pœnit. & remiſſ. inter Com.* quæ debent omnia eſſe perfectè liberè & abſolutè emiſſa. In his tamen urgente gravi neceſſitate, & non patente, ſaltem tam citò, recurſu ad Pontificem, per accidens diſpenſat Epiſcopus, & probabiliter etiam Religioſi mendicantes, ut cum quibusdam ſentit Reiffenſtuel *h. t. n. 40. ſeq.* De Religioſis mendicantibus patet ex eorum privilegiis ab Innoc. VIII. Eugen. IV. Martino V. Paulo III. Gregor. XIII. conceſſis. Neceſſitas juſtæ cauſæ infertur indè, quia nullus hominum diſpenſat in votis ſuô, ſed Dei nomine: Deus autem non cenſetur dediſſe poteſtatem diſpenſandi temerè & absque rationabili cauſa: cujusmodi cauſæ ſunt 1. Imperfectio actûs, ac minùs perfecta deliberatio voventis ob teneram ætatem, paſſionem triſtitiæ, metum &c. 2. Valde magna votum exequendi difficultas. 3. Damnum ſpirituale, vel corporale, proveniens occaſione voti, ut ſi votô caſtitatis ligatus ſæpe labitur in peccata carnis ex fragilitate,

vel

vel ſiquis ob votum multis angitur ſcrupulis &c. 4. Bonum commune, ut ſi utilitas regni promoveatur per nuptias perſonæ, votô caſtitatis ligatæ. Oppones 1. Votum obligat ex Jure Divino: ergo homini nunquam licet in eo diſpenſare. 2. In *c. 6. de ſtat. Monach.* dicitur *cuſtodia caſtitatis adeò annexa Regulæ Monachali, ut nec ſummus Pontifex contra eam poſſit licentiam indulgere:* ergo ſaltem vota ſolennia non ſunt diſpenſabilia á ſummo etiam Pontifice. R. ad 1. *Diſt. Ant.* obligat ex Jure Divino præſuppoſita tamen voluntate humana, ſibi ultro legem ponente, in quam ex permiſſione Dei conceſſa eſt Papæ, Epiſcopi &c. poteſtas. *C. Ant.* voluntate humana non præſuppoſita, ſicut obligant alia præcepta Dei. *N. Ant. & Conſ.* Retorquetur argumentum in Irritatione voti. Ad 2. Ibi tantùm aſſeritur, quòd Papa non poſſit diſpenſare in voto ſolenni caſtitatis ita, ut talis diſpenſatus maneat adhuc Religioſus, non verò ut non liberetur ab obligatione voti ſolennis. Si Papa ſine juſta cauſa cum tali diſpenſaret, maneret quidem ligatus votô eatenus, ut non poſſet petere debitum conjugale, ſi Matrimonium contraheret, Matrimonium tamen valeret, quia votum *ſolenne* ex Jure tantùm Eccleſiaſtico eſt impedimentum dirimens Matrimonij, quod Pontifex validè tollit etiam ſine juſta cauſa.

11 Dico 7. Quicunque habet poteſtatem diſpenſandi in votis, habet quoque poteſtatem ea commutandi in opus evidenter minùs bonum. 2. Non tamen econtra. 3. Ipſe vovens non poteſt commutare ſuum votum in minùs bonum opus, bene tamen in evidenter melius. 4. Et probabiliter etiam in æquale ex cauſa tenui. 5. Sicut autem ad diſpenſationem, ita etiam ad commutationem requiritur juſta cauſa, licèt minor. Pars 1. patet, quia, *cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus. c. 53. de R. J. in 6.* Pars 2. conſtat indè, quòd, cui minus eſt conceſſum, non hoc ipſo, quod majus eſt, conceſſum videatur: ſic quando in Jubilæis datur Confeſſariis omni-

omnibus potestas commutandi vota, non hoc ipso datur potestas dispensandi. Pars 3. Ex eo, quia commutatio in minus bonum involvit aliquid dispensationis, quæ requirit aliquam jurisdictionem: qui verò in opus evidenter melius commutat, votum non infringit, cùm id magis placeat Deo. Pars 4. defenditur à Tambur. *in Decal. l. 3. c. 16. §. 5. n. 14.* quia talis reddit Deo opus æquè gratum: ne tamen commutatio fiat omnino otiosè, adesse debet aliqua causa, saltem tenuis, v. g. major propensio vel devotio voventis, utilitas vel consolatio ipsius &c. ut proin vix unquam defutura sit causa sufficiens commutandi in opus æquale. Pars 5. eruitur ex *c. 1. h. t.* & ex ratione, quia commutatio in opus minus habet aliquid dispensationis admixtum. Debet tamen in qualibet commutatione attendi aliqua proportio, ne opus subrogatum sit nimis exiguum, v. g. ne substituatur unicum *Ave Maria* pro jejunio. Plura de his vide apud Casuistas. Cæterùm si votum principaliter sit factum in- & propter favorem tertij, v. g. pauperis alendi, Ecclesiæ ædificandæ &c. atque ab eodem jam acceptatum, nec dispensatione nec commutatione tolli potest absque consensu illius, in cujus favorem factum est, seclusâ causâ publicâ & publici boni: bene tamen irritari ab eo, qui potestate irritandi præditus est.

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

SUMMARIUM.

1. *Status, Monachi, Canonici Regulares quid denotent.*

2. Ad

2. *Ad quid obliget Religioſos Paupertatis Votum.*
3. *Qualis licentia Superioris requiratur & ſufficiat, ut licitè utantur Religioſi rebus temporalibus.*
4. *Ad quid obliget Caſtitatis Votum,*
5. *Et Obedientiæ.*

1 SCiendum, nomen *ſtatûs* accipi dupliciter. 1. Latiùs pro quavis vitæ conditione, in qua vel ad tempus vel perpetuò quis perſeverat: ſic dicitur v. g. ſtatus innocentiæ, ſtatus vitæ præſentis &c. 2. Strictè pro conditione vitæ ſtabili, per quam alteri tenemur adſtricti. Et in hoc ſenſu tres tantùm in Eccleſia ſtatus reperiuntur, nempe Clericorum, Religioſorum, & Conjugatorum. Nomine *Monachorum & Canonicorum Regularium* venit hìc univerſitas omnium Religioſorum, quorum *vota ſubſtantialia*, per quæ irrevocabiliter addicuntur Religioni, & ſic ponuntur in ſtatu, nunc explicanda ſunt, poſtquam paulò ante de Votis in genère diſſeruimus. De Monialium, quæ etiam ſunt Religioſæ, ſubjectione erga Epiſcopos, utì & de Clauſura tractabimus in *lib. V. de Exceſſib. Prælat.* ne præſentis libelli moles nimiùm excreſcat.

Dico 1. Religioſi in particulari vi voti *Paupertatis* nihil habere proprium poſſunt (exceptis Scholaſticis Societatis Jeſu) neque licitum rerum temporalium uſum ſine aliqua Superiorum licentia. *c. 2. 4. 6. h. t. c. 5. de Regular.* Trid. *S. 25. c. 2. de Regular.* Adeóque ex Jure Eccleſiaſtico ſunt inhabiles ad dominium, & liberum uſum rerum temporalium, ſeu, ne proprium quid habeant, vel aliqua re tanquam propria utantur. Dixi 1. *nihil proprium*, h. e. nullius rei temporalis externæ proprietatem ſeu dominium, ita ut, ſi quis deprehenſus & convictus fuerit proprietarius, ſeu aliquid retinere tanquam proprium, privetur biennió voce activa & paſſiva in Capitulo, ac mortuus ſepulturâ ſacrâ. per Jura *citt.* alia tamen jura, quæ ipſos non reddunt divites, habere

non

non prohibentur: ſic retinent dominium famæ & honoris, ſuorúmque membrorum, poſſident jus eligendi, titulum beneficii, juris dictionem &c. Dixi 2. *in particulari*, ſive dein Superior ſit, ſive ſubditus, neuter enim eſt capax dominii rerum fortunæ, ita ut nec panis, quo veſcitur, nec veſtis, qua tegitur, dominus ſit. Communitates tamen Religioſæ omnes, etiam Mendicantium, exceptis Franciſcanis de obſervantia, & Capucinis (domibúsque Profeſſis Soc. JESU quoad immobilia) capaces ſunt dominii rerum temporalium, etiam immobilium. Trid. *c.* 3. *lo. cit.* Dixi 3. *Exceptis Scholaſticis Societatis JESU*, qui nempe emiſſis poſt Novitiatum votis nondum ad ſtabilem Societatis Gradum (*Profeſſos* inter, vel *Coadjutores Formatos*) pervenerunt per ultima vota, vel ſolennia vel publica; his enim ad tempus, nempe quamdiu Superioribus viſum fuerit, & per aliquot annos relinquitur quidem dominium rerum ſuarum, donec jubeantur ſe illô abdicare, ſed ita vinculatum, ut nec de obulo ſine facultate Superioris diſponere poſſint ſaltem licitè, uti declaravit Gregor. XIII. *in Conſtit. Quantò fructuoſiùs:* ſaltem *licitè*, inquam; utrùm verò validè absque licentia Superioris, quia retinent adhuc dominium radicale, quamvis actuali diſpoſitione careant, controverſia eſt: Suar. Sanch. Laym. Lugo &c. pntant talem diſpoſitionem valere, Molin. Leſſ. Haun. P. Inninger negant valere: deciſio mihi videtur pendére ex eo, utrùm verba Gregorii XIII. *in d. Conſt. nec ulla re tanquam propria & ſine Superioris facultate uti poſſunt*, ſint tantùm narratoria, vel poteſtatem diſponendi auferentia, & ſic irritantia; quod declarare altioris eſt ſubſellij. Dixi 4. *Neque licitum uſum ſine aliqua Superiorum licentia*, ita ut nihil accipere, retinere, donare, permutare, abſumere &c. licitè poſſint & absque peccato (gravi vel levi, prout res fuerit gravis vel levis, aut Superior graviter vel leviter invitus) ſine licentia Superioris, expreſſa vel tacita; ſpeciali vel generali. Sed hinc

3 Quæres, an Religioso ad licitum rerum usum, uti & ad validum, sufficiat licentia Superioris rationabiliter *præsumpta?* 2. An Religiosis possit Superior indulgere aliquod *peculium*, seu *depositum*, ut vocant, vel *libellos*, seu certos reditus & census annuos, à parentibus vel propinquis ad eorum usum assignatos? ℟. ad 1. Sufficit licentia rationabiliter præsumpta (seu talis consensus, qui quidem nec in se & expressè, nec in alio & tacitè datus jam est, sed prudenter creditur dandus, si peteretur) quando commodè peti non potest, ut facilè conspirant DD. Imò etiam sufficit ad vitandum peccatum proprietatis & contra paupertatem, licèt commodè peti posset licentia expressa, si Superior rationabiliter credatur tantùm invitus *quoad modum* (non verò *quoad substantiam*) ut si Superior optet quidem peti semper licentiam expressam, frequenter tamen conniveat, licèt sciat quandoque non peti. Ratio, quia talis licentia præsumpta facit, ut usus vel dispositio non fiat nomine proprio, sed Superioris adhuc, atque cum dependentia ad ejus voluntatem, cùm non fieret, nisi præsumeretur rationabiliter, Superiorem non esse invitum quoad substantiam, etiam circa omissionem petendæ licentiæ, licèt sit aliquo modo invitus quoad modum, seu optet, ut subditus rem non habeat, non accipiat &c. sine petita licentia: quo casu tamen videtur peccare vel contra obedientiam vel aliam virtutem, sed venialiter tantùm, si non petat licentiam, cùm posset. Invitus *quoad substantiam* censetur esse Superior non tantùm tunc, quando non vult, vel non velle creditur, ut subditus rem accipiat, habeat, de ea disponat &c. sed etiam quando simpliciter est vel creditur esse invitus quoad omissionem petitionis licentiæ. Circa licentiam præsumptam monitos velim omnes Religiosos, ut sint admodum cauti, ne fortè etiam graviter peccent contra paupertatem: imò, si rem Monasterii sine omni licentia Superioris accipiant, committunt insuper furtum, & peccant contra justitiam: idem

est,

Digitized by Google

est, si ab extraneo quidem, sed irrevocabiliter ad nutum dantis; quia, quidquid Religiosus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit. Oppones: non sufficit consensus merè præsumptus Superioris ad absolvendum alienum subditum à peccatis, neq; Parochi ad assistendum Matrimonio alieni Parochiani: ergo neque licentia præsumpta Religiosis ad validam & licitâ dispositionem ac usum rerum. R. *N. Conf. & parit.* Quia ad absolvendum & assistendum requiritur actualis jurisdictio vel potestas ex dispositione Juris: Religiosis autem ad vitandum peccatum proprietatis sufficit, modò censeri possint non disponere de rebus nomine proprio, sed auctoritate Superioris: hoc autem adhuc fit per respectum ad licentiam rationabiliter, licèt merè præsumptam.

R. nunc ad 2. possunt habere peculium cum licentia, sed revocabile ad nutum Superiorum, item libellos, saltem probabiliter, si annui reditus consignentur Superioribus, & ab his revocabiles sint. per *c.* 2. *h. t.* Trid. *s.* 25. *de Regular. c.* 2. à quo licèt libelli, & usus fructus, in re immobili Religiosis etiam cum licentia Superiorum assignati, multis videantur reprobati, graves tamen alij DD. intelligunt Tridentinum de libellis ad nutum Superiorum non revocabilibus, & ubi reditus non consignantur in manus Superiorum: quam interpretationem etiam approbat consuetudo.

Dico 2. Religiosi vi voti *Castitatis* obligantur abstinere ab omni voluntaria delectatione carnis Venerea, 4
tam interna quàm externa, etiam alias licita conjugibus. Ita enim exigit natura voti solennis, quo quis se obligat ad continentiam & castitatem perfectam. Unde si Religiosus peccet contra castitatem, duo committit peccata, luxuriæ scilicet & sacrilegii, quorum utrumque est mortale, nisi ob imperfectionem advertentiæ vel deliberationis fiat veniale tantùm; nam in re & delectatione venerea studiosè quæsita, vel plenè voluntariè admissa, non datur parvitas materiæ, excusans à mortali: votum

verò obligat eo modo, quo obligat virtus caſtitatis, cui adjicitur.

5 Dico 3. Religioſi vi voti *Obedientiæ* tenentur ad omnia præſtanda, quæ Superior ipſis præcipit cum voluntate obligandi ſub culpa, modò præcipiat juſta & talia, quæ ad Regulam vel Inſtitutum, quod profitentur, directè vel indirectè pertinent, atque in eo explicitè vel implicitè continentur: item tenentur ad obſervationem Regularum, quæ ſub peccato ex intentione Fundatoris obligant. Ratio, quia obedientiæ votum Religioſos ex natura ſua adſtringit ad omnia præcepta Ordinis ſui & Superioris, at non ultra id, ad quod Religionem certam profeſſi voluerunt ſe adſtringere: ſed voluerunt ſe adſtringere ad omnia & ſola, quæ ſunt ſuo Ordini conformia, & ſub præcepto injunguntur. Nec obſtat, quòd aliquarum Religionum, uti Societatis Jeſu, Regulæ præſcribant, ut alumni obediant Superiori in omnibus, in quibus manifeſtum peccatum non cernitur, adeóque licèt in Regulis non contineantur etiam implicitè; quia obedientia quoad talia non obligatoria & ſtricta eſt, ſed ſupererogatoria & perfectiſſima. Qui Superiori debitè præcipienti non obédit, peccat non modò contra Religionem ob violationem voti, ſed etiam contra Juſtitiam ob violationem juris, quod Superior & Religio in ipſum per ſui traditionem obtinuit, atque contra Fidelitatem & Veracitatem ob violationem promiſſionis in dicta traditione incluſæ.

TITULUS XXXVI.

De Religioſis Domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.

SUMMARIUM.

1. *Domus & loca Religioſa, Sacra, Pia, quid. Item Oratoria tum publica tum privata.*

2. Lo-

2. *Loca Sacra & Religiosa, non verò Pia, subsunt jurisdictioni Episcopi, & quomodo.*
3. *Ad erigenda nova Monasteria, & Religiosorum Domicilia, quorum consensus requiratur.*
4. *Loca Sacra & Religiosa ad usus profanos converti non possunt absque auctoritate Ecclesiastica.*
5. *An & quomodo Religiosorum domus ad alios transferri possint.*

SCiendum, per *domos Religiosas* genericè intelligi loca Divino cultui vel aliis piis usibus auctoritate Episcopi destinata. per *c.* 4. *h. t.* specificè autem, loca & domicilia pietatis operibus authoritate quidem Episcopi deputata, sed citra consecrationem, uti Monasteria, Collegia, & aliæ domus Regularium; item xenodochia pro peregrinis, nosocomia pro ægrotis, orphanotrophia pro orphanis, procotrophia pro mendicantibus invalidis, benephotrophia pro infantibus expositis, leprosoria pro leprosis erecta, quæ communi nomine Hospitalia dicuntur; præterea confraternitates, congregationes &c. Si præter authoritatem Episcopi adhibeatur simul consecratio, propriè & specificè sunt *loca* & *domus Sacræ*, uti sunt Basilicæ, templa, sacella, altaria, pro Divinis Officijs & Missarum solennijs per inunctionem deputata. Si denique neque authoritas Episcopi, neque consecratio intervenerit, nihilominus tamen ad pia opera charitatis &c. sunt destinata, specificè & propriè *loca* & *domus Piæ* appellantur. Quamquam in communi usu sæpius promiscuè accipiantur loca Religiosa, Sacra, & Pia. Oratoria, seu loca ad orandum ordinata, si authoritate Episcopi & in loco publico cum ostio versùs viam publicam erecta sint, vocantur *Publica*; si sine authoritate Episcopi & in loco privato, v. g. in ædibus, castris, palatiis, dicuntur *Privata*. Hæc ultima sunt quidem loca *Pia* specificè sumpta: priora autem *Religiosa*, &, si accessit consecratio, *Sacra*. Si

auctoritate Episcopi, etiam sine consecratione, sunt constituta, licitum est inibi celebrare Missas. per *can. 1. 11. seqq. d. 1. de Consecr.* In dubio, an intervenerit authoritas Ecclesiastica, ea ex conjecturis colligi potest, ut si constructa sint in formam Ecclesiæ: si exstet altare fixum, & campanile: si populus absque discrimine admittatur ad Missas: si adjaceat cœmeterium &c. In Oratoriis privatis, cùm Religiosa loca non sint, non licet celebrare Missas. *can. 33. dist. cit.* exceptis tamen Oratorijs privatis Episcoporum. *c. fin. de privil. in 6.* & exceptis illis, quæ exstant in Religiosorum Monasterijs, hospitijs, infirmariis, gangrijs seu villis, prædiis, & castellis. per *c. 10. eod. X. c. fin. de censib.* & ibi Gonzal. Utrùm Episcopi hodiedum, sicut poterant de Jure Antiquo per *can. 12. dist. cit.* possint dare licentiam celebrandi Missas in Oratoriis privatis, eásque audiendi diebus festis, disputatur. Certè per Bullam *Quoniam Sancta* à moderno Pontifice Clemente XI. anno 1703. editam adempta est Episcopis potestas in domibus laicis erigendi altare portatile, ibique celebrandi, vel faciendi, ut celebretur; item Regularibus, ubicunque fuerint (utì Dominicanis & Franciscanis erat concessũ. *c. 10. de Privil. cit.*) potestas celebrandi in altari portatili absque licentia Ordinarii, utì declaravit S. Congregatio apud P. Schmier *de Person. Reb. & & Jur. Eccles. p. 2. c. 2. n. 35.* An verò Clementina hæc constitutio ubique promulgata vel recepta sit, vehementer subsisto, præsertim in Germania.

2 Dico 1. Non solùm Domus *Sacræ*, sed etiam *Religiosæ*, specificè sumptæ, non verò *Piæ* tantùm, de Jure subsunt jurisdictioni Episcopi, in cujus Diœcesi existunt, nisi nempe probetur earum exemptio. *c. 3. 4. 6. 7. h. t.* Hæc tamen jurisdictio se non extendit eò usque, ut Episcopi de rebus temporalibus ac reditibus dictorum locorum pro libitu disponere valeant, sed tantùm ut ea visitare possint, rationes administrationis exigere (nisi sub

ſub immediata protectione Regum exiſtant, aut aliter in Fundatione conſtitutum ſit. *Clem. 2. h. t.* Trid. *ſ. 22. c. 8. & 9. de Ref.*) & ut reditus applicentur ad finem ac uſum deſtinatum. Pari modo, licèt loca Pia tantùm, utpote profana, non ſubſint jurisdictioni Epiſcoporum, per *c. 4. cit. arg. à contrario*, ipſis tamen competit poteſtas curandi, ut piæ defunctorum voluntates executioni mandentur, atque exigendi rationes. Trid. *loco cit.*

Dico 2. Ut nova Monaſteria, Conventus, & Domi- 8
cilia Religioſorum exſtrui poſſint, requiritur 1. Conſenſus Epiſcopi. 2. Hodie fortè etiam Pontificis. 3. Parochi, vel Capituli, curam animarum in tali loco exercentis. 4. Principis & incolarum ejusdem loci. 5. Religioſorum in vicinia (& quidem, ſi Mendicantes ſint, ad 140. cannas dempto ſpeciali privilegio.) domicilia habentium, quia eleemoſynas per novum Monaſterium, utì & accurſum populi ad Divina, minui facilè contingit. 6. Ut in novo domicilio ſaltem 12. Religioſi habitare, ac ex reditibus, vel eleemoſynis conſuetis, competenter ſuſtentari valeant. Pars 1. ſumitur ex *can. 12. cauſ. 18. q. 2.* Trid. *ſ. 25. de Regular. c. 3.* Pars 2. ex *c. un. h. t. in 6. c. un. de Exceſſ. Præl. in 6.* & maximè ex *Conſtit. Romanus* Urbani VIII. anno 1624. edita, ubi Epiſcopis conceſſa poteſtas revocatur. Et quamvis P. Engel & P. König hæc Jura intelligi velint de Mendicantium novis Monaſterijs, conſequenter hodiedum ad erectionem novorum Monaſteriorum apud Monachos & non-Mendicantes ſufficere licentiam ſolius Epiſcopi, id tamen poſt *Conſtitut. Inſtaurandæ* Innoc. X. anno 1652. editam, ſicubi recepta ſit, defendi ampliùs nequit, cùm expreſſam faciat mentionem etiam *non-Mendicantium*, & poſt repetitas Cardd. declarationes. P. Reiffenſtuel ad *Tit. de Eccl. ædif. n. 38.* cum communi, ut ait, tenet, extra Italiam & Inſulas adjacentes hodie nec apud Mendicantes requiri conſenſum Papæ. Pars. 3. & ſequentes ſumuntur ex *Conſtit.* Clem. VIII. *Quoniam ad inſtitutum* 1603.

Gregorii XV. *Cùm aliàs* 1622. Innoc. XII. quæ incipit, *Nuper*. & Urbani VIII. *cit.* Vid. P. Schmalzgrueber *h. t. à. n.* 28. Pignat. *to.* 1. *Conſult.* 179. *à n.* 47. Vincent. Petra *to.* 3. *Conſtit.* 7. *Clem. IV.*

4 Dico 3. Domus & loca Sacra, vel Religioſa, quæ nempe auctoritate Eccleſiaſtica ſunt erecta, profanis uſibus applicari ſine eadem non poſſunt. *c.* 4. 5. *h. t.* vel mutari ad alium pium uſum. *Clem.* 2. *eod.* Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 8. *de Ref.*

5 Quæres, quid requiratur, ut Domus & Eccleſiæ Regularium certorum transferri poſſint ad alios, ſi fortè priores inquilini, quibus deſtinatæ erant, perversè vivant? R. Tentari reformatio debet per alios, ejusdem tamen Monaſterii Religioſos: in horum defectu advocandi ſunt Religioſi ſtrictioris obſervantiæ, ejusdem Ordinis, ex alio Monaſterio: etiam his deficientibus Religioſi alterius Ordinis: ſi neque per alios Regulares reformatio poſſit inſtitui, ibi collocandi ſunt Clerici Sæculares, ut habet communis cum Gl. & Barb. *in c.* 5. *cit.* Pontifex tamen ad hunc ordinem & hos gradus non adſtringitur, ſed ijs non obſervatis ex juſta cauſa poteſt mutare Eccleſiam Regularem in Sæcularem, ac viciſſim. Pirhing *h. t. n.* 15. & P. Schmalzgrueber *n.* 26. *eod. tit.*

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religioſorum.

SUMMARIUM.

1. *Per Capellam quid intelligatur.*
2. *An & quomodo capellas, ſeu beneficia curata ſuis Monaſteriis unita, Monachi & alii Religioſi adminiſtrare poſſint.*

Scien-

SCiendum, per *Capellam*, cujus etymologia incerta 1
est, licèt in Jure nonnunquam significetur altare in aliquo templo, vel Oratorium templo annexum, vel Oratorium seu sacra ædicula à templo separata, & quandoque omnis Ecclesia, etiam Parochialis (non tamen Collegiata) seorsim existens, ut observant Azor, Gonz. Barb. hoc tamen loco intelligi Ecclesiam Curatam, maximè Parochialem, incorporatam tamen Monasterio vel Ecclesiæ Regulari, & extra Monasterium positam, aut Beneficium, vel Prioratum, eidem unitum.

Dico. Quamvis Jura antiqua statuerint, ut in ejus- 2
modi capellis, & Ecclesiis unitis, curam animarum non exercerent Monachi, utpote vitam solitariam professi, sed Clerici Sæculares. *c. 1. h. t.* nihilominus tamen secundùm Jura recentiora permissum est Regularibus, si Ecclesiæ parochiales eorum Monasteriis pleno jure incorporatæ sint, h. e. ita ut Prælatus Regularis non tantùm decimas & fructus temporales talium Ecclesiarum percipiat, sed etiam principalis Rector & Parochus sit, exponere Religiosum de suo gremio, examinandum & approbandum ab Episcopo, ac per eum curam animarum exercere, subjectum tamen visitationi Episcopali quoad parochialia. Trid. *s. 7. c. 7. de Ref.* Si verò incorporatæ sint plenissimo jure, h. e. non tantùm quoad temporales reditus, & quoad spiritualia, sed etiam ita, ut populus quoque in certo districtu sit ab Episcopo exemptus, nec ab isto examinari, approbari, vel visitari potest Regularis, quem exponit Prælatus in hujusmodi Ecclesijs. Trid. *sess. 25. c. 11. de Regular.* cùm Prælatus sit loco Episcopi, & pro tali districtu jurisdictionem quasi-Episcopalem exerceat. Deberent tamen Religiosi in Parochiis hujusmodi & Prioratibus, si à Monasteriis distent, non vivere solitarij, sed habere socios. *c. 3. 4. h. t. c. 2. de statu Monach.* quibus tamen hodie per privilegia, vel per statuta, vel per consuetudinem contrariam derogatum esse sæpius videmus. Plura huc fa-

cientia tradidimus. *lib. III. Tit. V. num. 27. num. 35. ſeqq.*

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatûs.

SUMMARIUM.

1. 2. *Patronus, Jus Patronatûs, & Præſentatio quid*
3. *Hoc jus eſt honorificum & utile.*
4. *Dividitur in Eccleſiaſticum, Laicum, & Mixtum.*
5. *In Hæreditarium, Gentilitium, Reale, Perſonale.*
6. *Præſentatio an ſit neceſſaria in beneficio Patronato.*
7. *Quid, ſi plures præſentent?*
8. *Aut duo de jure præſentandi litigent,*
9. *Præſertim ſi neuter ſit in poſſeſſione.*
10. 11. *Præſentandus eſt dignus, imò dignior.*
12. *Nullus ſe ipſum præſentare poteſt.*
13. 14. *Plures ſimul præſentare poteſt omnis, ſucceſſivè verò ſolus Laicus patronus.*
15. 16. *Ex pluribus præſentatis quis inſtituendus.*
17. 18. *Quo tempore ſit facienda præſentatio.*
19. *Quibus modis acquiratur Jus Patronatûs.*
20. 21. *Quinam ſint illius capaces.*
22. 23. *Originaliter acquiritur fundatione, conſtructione, dotatione Eccleſiæ.*
24. 25. *Quibus modis transferatur in alios.*
26. *Quibus modis amittatur.*
27. *Quis ſit Judex in cauſa Juris Patronatûs.*
28. *Quid ſint primæ Preces Imperatoris.*
29. *Quousque ſe extendant.*

CUm ad Capellas, aliaque Beneficia, de quibus proximè & in anterioribus hujus Libri III. Titulis plura

plura differuimus, ſæpe promoveri contingat Clericos per Patroni cujusdam præviam præſentationem, opportunè tandem ponitur præſens Titulus de hac præſentatione & Jure, uti vocant, Patronatûs. *Patronus* autem de Jure Canonico ſumitur in longè alio ſenſu, quàm de Jure Civili; nam ſecundùm Leges Patronus dicitur, qui vel ſervum ex juſta ſervitute dimiſit liberum, & ſic libertum effecit: vel qui alienæ in Judicio cauſæ Advocatum agit: ſecundùm Canones verò Patronus ſalutatur, cui *Jus Patronatûs*, h. e. præſentandi Clericum ad Beneficium Eccleſiaſticum competit. Quod jus primùm circa ſæculum V. Fidelibus, qua Laicis, quà Clericis, ut hoc modo allicerentur ad fundandas, conſtruendas, & dotandas Eccleſias, indulgeri cœpit; antea ſiquidem Epiſcopi liberè conſtituebant Beneficiatos. *can. 3. 6. &c. cauſ. 10. q. 1. can. 26. 27. 31. 32. cauſ. 16. q. 7. c. 25. h. t.* Proin quidquid Patronis in ordine ad promotiones Beneficiales competit juris, gratiæ & privilegio Sedis Apoſtolicæ debent.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Jus Patronatûs: quæ jura & onera Patronorum.

SCiendum 1. *Jus Patronatûs* cum Hoſtienſi communiter ſic definiri: *eſt poteſtas nominandi ſeu præſentandi Clericum ad beneficium vacans.* Licèt enim alia quoque jura involvat Jus patronatûs, facultas tamen præſentandi Clericum ad beneficium Eccleſiaſticum, in quo poſtea ab Epiſcopo is inſtituendus eſt per collationem juris in re, & ultimam, præcipuum eſt ac fons reliquorum. Sicut autem collatio libera beneficii nondum vacantis, vel promiſſio, vel inſtitutio in eodem, eſt irrita, ita & præſentatio ad beneficium nondum vacans per *can. 32. cit.* 2

cit. & *c. 8. h. t.* Hoc jus præſentandi non quidem intrinſecè ac in ſe ſpirituale eſt, ut cum *gl. in c. 9. de tranſact.* docuit Panorm. *in c. 16. h. t.* ſed ſpirituali annexum. *c. 16. cit.* ſcilicet antecedenter; quia velut præambulum quoddam ordinatur ad jus ſpirituale, nempe tum ad inſtitutionem in beneficio, quæ ſpiritualis eſt, tum ad officium ſpirituale, quod à Clerico præſentato ratione beneficij obeundum eſt. Dixi, *nominandi ſeu præſentandi*, quæ duo de Jure Communi in præſenti materia ferè non differunt, niſi quòd *nominatio* preſsè ſumpta dicat quaſi electionem perſonæ, at minùs propriè dictam, *præſentatio* verò actum, quo præſens ſiſtitur perſona, ab Epiſcopo, vel alio, ad quem pertinet, inſtituenda. Lotter. *de Re Benefic. l. 2. q. 15. n. 7. ſeqq.* Sic in praxi videmus, Parochianis quandoque, Civitati, aut Univerſitati alicui competere jus nominandi, aliis verò nominatum præſentandi Epiſcopo, & quidem neceſſariò nominatum, quo caſu, qui nominat, propriè Patronus, qui verò præſentat, executor Patroni vocari poteſt. Lotter. *n. 15. ſeqq.* Ferè eodem modo Univerſitati noſtræ Ingolſtadienſi à Sereniſſimis Bavariæ noſtræ Principibus clementiſſimè indultum eſt jus nominandi ad diverſas, præſertim Urbium, parochias, in quibus vel propter vicinos hæreticos vel ob alias cauſas exponendi videntur viri ſpecialiter apti, reſervato ſibi tantùm jure præſentandi.

§ Sc. 2. Jus Patronatûs non modò honorificum eſſe & utile, ſed etiam oneroſum; ſeu Patrono competere quidem jura quædam, at ſimul & onera, juxta vulgatos verſus: *Patrono debetur honos, onus, emolumentum: præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.* Patroni *Jura* ſunt tria. 1. Facultas præſentandi ad beneficium. 2. Præcedentia præ aliis laicis in proceſſionibus, thurificatione, oblatione palmarum, candelarum &c. atque dignior ſedes in Eccleſia. Excipiunt tamen multi Dominum territorialem, eique in Eccleſia patronata primas

tri-

tribuunt præ Patrono. 3. Jus petendi ab Eccleſia, cujus patronus eſt, alimenta, ſi vergat ad inopiam, ac ſe ſuósque non ampliùs juxta ſuum ſtatum valeat ſuſtentare, modò probet, à ſe vel Majoribus ſuis fundatam, vel conſtructam, vel dotatam eſſe Eccleſiam, ac ſimul egeſtatem ſuam (quæ probabiliùs non debet eſſe ſumma) cui à fratre vel alia perſona conjuncta ſuccurri non poſſit, ac modò ſalva maneat ſuſtentatio Parochi ac Miniſtrorum talis Eccleſiæ, ejúsque paramenta ad cultum Divinum neceſſaria. Vid. *can. 30. cauſ. 16. q. 7. c. 25. &c. h. t.* Vivianus *in Praxi Jur. Patron. l. 1. c. 2. à n. 20.* Wieſtner *h. t. n. 69. &c.* Nulla tamen penſio annua, niſi eam in limine fundationis ſibi & ſucceſſoribus ſolvendam conſtituerit cum conſenſu Epiſcopi, ab Eccleſia debetur Patrono. *c. 23. eod. c. 7. 8. de Cenſ. c. 15. ante med. de Teſt.* Econtra *onus* Patroni maximè conſiſtit in obligatione defendendi Eccleſiam, ne à potentioribus opprimatur, ne dos & ejus bona dilapidentur aut alienentur, item in cura, ne officia Divina, per fundationem conſtituta, negligantur; qua de cauſa licitum eſt ipſi Rectorem Eccleſiæ in his delinquentem vel modeſtè monere, vel ad Epiſcopum deferre. per *can. 60. cauſ. cit. q. 1. can. 31. 32. q. 7.* Unde Patronus nonnunquam dicitur etiam *Advocatus* Eccleſiæ; licèt in Germania Advocatus (der Schutz-Herr) ſoleat eſſe diſtinctus à Patrono, & in Imperio Romano ſuprema Advocatia omnium Eccleſiarum ſit penes Imperatorem, ac penes alios Principes quoad Eccleſias in eorum territorijs ſitas, imò quandoque penes inferiores ex conſuetudine vel conventione. Sed nec Patronis, nec Advocatis, ratione dictæ defenſionis & curæ competit ulla jurisdictio in Clericos, vel adminiſtratio bonorum Eccleſiæ per ſe, minùs poteſtas applicandi ſibi aliquos illius fructus, *c. 4. c. 23. h. t.* Trid. *ſ. 24. c. 3. ſ. 25. c. 9. de Ref.* Sereniſſimus tamen Elector Bavariæ ex ſpecialibus Concordatis, præſente Nuntio Apoſtolico initis anno 1583. §.

Wann

Wann die Prælaten/ obtinet potestatem exigendi rationes administrationis à Prælatis Religiosorum non-Mendicantium, & ab inferiorum Ecclesiarum (ac Hospitalium) Rectoribus, si in earum rebus malè versentur, vel saltem suspecti sint. Similem potestatem exigendi rationes de administratione temporalium bonorum Ecclesiæ tum à Beneficiato tum ab aliis illorum administratoribus Patrono Ecclesiastico tribuit *c. 3. §. in Ecclesijs de Privil.*

4 Sc. 3. Jus Patronatûs dividi 1. & principaliter in Ecclesiasticum, Laicum, & Mixtum. *Ecclesiasticum* appellatur, quod vel ex bonis Ecclesiasticis, ad fundandam, constituendam, vel dotandam Ecclesiam applicatis, comparatum est, vel quod alicui competit ratione Dignitatis, Beneficii, Ecclesiæ, loci Pij, v. g. Episcopo, Religiosis &c. *Laicum*, seu *Sæculare*, quod vel ex bonis propriis seu patrimonialibus ad fundandam &c. Ecclesiam applicatis comparatum est, vel competit titulo sæculari absque intuitu Ecclesiæ, v. g. ex donatione &c. sive dein acquirens sit Laicus sive Ecclesiasticus. Unde apparet, non à personis, sed à titulo, ex quo competit, fieri & denominari Jus patronatûs Laicale vel Ecclesiasticum. *Mixtum* denique, quod vel partim Clerico ratione Ecclesiæ, partim Laico ratione dotationis, privilegij &c. competit, vel quod eidem personæ quidem competit, at ex duplici titulo, ut si Clericus fundavit Ecclesiam partim ex Ecclesiasticis partim ex patrimonialibus bonis. Porro ex Jure Patronatûs Laico fieri potest Ecclesiasticum, ut si in communitatem vel personam Ecclesiasticam intuitu Ecclesiæ, loci Pij, Beneficij transferatur: & vice versa ex Ecclesiastico Laicum, ut si comparatum quidem sit ex bonis Ecclesiasticis Ecclesiæ applicatis, auctoritate tamen Apostolica transeat ad Laicum, v. g. permutatione, vel cum universitate bonorum, cui annexum est, sicut quandoque contingit in jure decimandi. Præter hanc essentialem juris patronatûs Laici ab Ecclesiasti-

co

co differentiam utrumque insuper quoad effectum discrepat inter se 1. Quòd Patronus Ecclesiasticus sex, Laicus verò quatuor menses habeat ad præsentandum. 2. Quòd Laicus possit præsentare plures, tam simul, quàm successivè, modò id faciat, antequam unius secuta sit institutio, nec eum, quem semel præsentavit, iterum excludat: Ecclesiasticus verò unum duntaxat, absque potestate variandi postea, quæ tamen variatio licet Laico. 3. Quòd Papa non soleat, & nunquam, nisi clarè exprimat, censeatur derogare juri Patronatûs Laico, bene tamen Ecclesiastico. 4. Quòd Laicus præsentando indignum pro illa vice probabiliter non privetur jure præsentandi, bene tamen Ecclesiasticus. 5. Quòd in Laico patronatu ad Ecclesias Parochiales non habeat locum *Concursus*, quem aliàs requirit Trid. *ſ. 24. c. 18. de Ref.* bene tamen in Ecclesiastico, nisi aliud habeat consuetudo. Quæ omnia partim patebunt ex dicendis, partim constant ex *c. 3. 28. &c. h. t. Concordatis Germ.* & Trid. *lo. cit.*

Sc. 4. Idem ulteriùs dividi 2. in *Hæreditarium*, quod transit ad hæredes quoscunque, etiam extraneos, sive ex testamento, sive ab intestato venientes: cujusmodi præsumitur esse in dubio. Et in *Gentilitium* seu *Familiare*, quod ad eos duntaxat hæredes transit, qui ex sanguine vel familia certa, v. g. Fundatoris, vel à Fundatore nominati, descendunt. 3. In *Reale*, seu *Accessorium*, quod adhæret, velut accessorium quid, rei temporali, v. g. castro, prædio, universitati bonorum vel jurium. Et in *Personale* seu *Principale*, quod adhæret personæ, v. g. fundatoris & hæredum, independenter ab aliqua re, vel universitate bonorum. Istud comitatur personam inseparabiliter, ubicunque illa exstiterit: illud transit ad quemcunque, etiam non-hæredem, modò rem, cui annexum est, acquirat quocunque modo. Censetur autem esse Personale, nisi ex prima fundatione, legitima auctoritate, consuetudine, præscriptione in-

introductum sit; ut semper competat certorum bonorum possessoribus. Engel *h. n.* 23. Jam dispicere oportet, an præsentatio, si beneficium sit patronatum, & quomodo sit necessaria: quis, etiam in casu, quo de jure patronatûs litigant duo, præsentare possit: quos, & quando præsentare necesse sit: an etiam plures præsentare liceat, & quid tunc Juris.

6 Dico 1. Præsentatio a Patrono facta, si beneficium sit patronatum, regulariter est necessaria, & quidem ita, ut collatio beneficii talis, quam facit Episcopus ignorante vel contradicente Patrono, sit nulla. Sumitur ex *can.* 32. *cit. c.* 8. 14. 29. *h. t.* cùm Episcopus excederet limites potestatis suæ, à Jure sibi positos. Aliud foret, si conferret Papa ipse, qui est supra jus Ecclesiasticum, & omni juri patronatûs, etiam Laico, absolutè derogare potest, si velit. Si tamen Patronus, collationis se præterito factæ conscius, debito & sibi ad præsentandum concesso tempore non reclamaret, censeretur collationem tacitè approbare, atque sic sanaretur nullitas. Oppones. In *c.* 8. *cit.* hujusmodi collatio, vel institutio alicujus, à patrono vero non præsentati, facta dicitur *irritanda:* ergo non ipso Jure est irrita. R. cùm aliunde constet ex Jure, præsertim *can.* 32. *c.* 14. *&* 29. *citt.* Episcopo non competere potestatem conferendi validè beneficium patronatum præteritô Patronô, per verbum *irritanda*, uti aliàs sæpius in Jure, intelligitur declaranda tantùm, non primùm per sententiam inducenda nullitas. Amplia Assertionem ad casum, quo Patronus aliquem, absolutè dignum, præsentavit, Episcopus verò non præsentato beneficium confert; nam præsentatus acquisivit jus ad rem. *c.* 5. *&* 18. *eod.* ita ut in potestate Episcopi non sit alteri conferre Beneficium. Istud tamen jus ad rem, si quis à Laico præsentatus sit, infirmum adhuc est, quia Laico variare licet. *c.* 24. *eod.* uti infrà explicabimus *n.* 13.

7 Dico 2. Si præsentatio pertineat ad plures ut universos, & per modum unius corporis, seu jure Collegii aut Capi-

Capituli, invalidè præsentant singuli, aut plures, si vel unicum talis communitatis membrum prætereant, & non vocent, modò commodè vocari posset, & adesse vellet: vel saltè infirma, & cassanda foret præsentatio, suppositò, quòd neglectus, vel neglecti agant de contemptu. *arg. c. 28. 36. 42. de Elect.* cùm ille, qui negligeretur, pro illa vice privaretur injustè jure suo, & cæteris hoc neglectò potestas, saltem illo reclamante, præsentandi non competat. Si verò præsentatio spectaret ad plures ut singulos, singuli etiam non vocatis vel monitis reliquis validè præsentarent, neque censerentur excludere alios, sed isti non præsentando potiùs excluderentur à se ipsis. Id insuper discriminis est inter præsentantes per modum Collegij aut Capituli, & non per modum Collegij aut Capituli, quòd ab illis simul, & omnibus collegialiter congregatis, præsentatio fieri debeat, eáque non teneat, nisi absolutè major pars talis Corporis conspiret in unum. per *c. 28. cit.* non verò ab istis, ad quos ut singulos, non ut universos, præsentatio pertinet: hi enim, sicut singuli, ita & successivè ac seorsim præsentare possunt, sufficitque, si respectivè major pars conspiret, ita ut instituendus sit, qui plura suffragia respectu aliorum simul præsentatorum tulit, licèt non ultra medietatem omnium præsentantium tulerit. v. g. Si sex sint patroni, & tres conspirent in unum, duo in alium, unus in tertium, valebit præsentatio illius, qui à tribus fuit præsentatus, licèt cæteri duo essent digniores. *arg. c. 3. h. t.*

Dico 3. Si duo Patroni litigent de jure Patronatûs, constet verò, quòd unus sit in possessione, & Ecclesia sit patronata, valet præsentatio facta à possessore, licèt is postea in lite succumbat quoad proprietatem juris patronatûs: & præsentatus statim est instituendus. *c. 19. eod. c. 3. de caus. possess.* modò possessor fuerit in bona fide, & non ipsa etiam possessio litigiosa. Ratio, quia præsentatio est fructus juris patronatûs: fructus autem debentur bonæ fidei possessori. *c. 2. Ut lit. pend. & l.*

bonæ fidei 48. ff. de acquir. rer. dom. Oppones 1. cum Azor, Palao, Laym. &c. qui præſentationem talem habent quidem pro valida, inſtitutionem tamen differendam eſſe putant uſque ad finem litis, hoc modo: in *c. 7. h. t.* dicitur præſentatus inſtitui poſſe, *antequàm de Jure Patronatûs controverſia eſſet ſuborta:* ergo à contrario, ſi controverſia jam eſt ſuborta, inſtitui non poteſt. 2. Lite pendente non poſſunt percipi fructus, & percepti debent reſtitui rem poſtea evincenti in Judicio. *l. 22. C. de R. V.* ergo, cùm ſemel inſtitutus in beneficio removeri nequeat, & ſic præſentationis fructus reſtitui domino jus patronatûs evincenti, ante litem finitam non poteſt fieri inſtitutio. R. ad 1. textus eſt exaudiendus de eo, cujus poſſeſſio ipſa eſt litigioſa, & adhuc dubia. Ad 2. Illi tantùm fructus reſtituendi ſunt domino rem evincenti in Petitorio judicio, qui ſunt pretiô æſtimabiles, & percipientem faciunt ditiorem, qualis fructus non eſt præſentatio ad beneficium. Dein nec illi fructus ſunt reſtituendi, qui ſalvo poſſeſſionis uſu & jure reſtitui nequeunt: ſic, qui eſt in poſſeſſione Matrimonij lite pendente, & petit & reddit licitè debitum conjugale, nec ad ullam ſatisfactionem tenetur. Sed

Quæres, an, ſi neuter litigantium ſit in poſſeſſione, ipſis lite pendente currat tempus, ita ut lapſo ad præſentandum conceſſo tempore collatio devolvatur ad Epiſcopum, vel alium, qui habet jus inſtituendi, nec poſt finitam litem pro illa vice liceat victori præſentare? R. currit. *c. 3. 22. 27. h. t.* ne ſcilicet Eccleſia vel animæ ex diuturna beneficij vacatione patiantur damnum. Idque procedit etiam caſu, quo unus eſt in poſſeſſione, durante tamen lite, & tempore ad præſentandum conceſſo non præſentavit. Excipe tamen 1. Si lis vertatur inter ipſum Epiſcopum & Patronum, ac Epiſcopus beneficium neget eſſe Patronatum, aſſeratque liberæ collationis. per *c. 4. de Offic. Jud. ord.* 2. Si penes Epiſcopum ſit, poſtquam litigantes jam totum jus ſuum deduxerunt

in

in Judicium, decîdere vel protelare controverſiam.

Dico 4. Invalidè præſentatur indignus, ſeu carens qualitatibus ad beneficium requiſitis, uti ſunt Laici, illegitimi, excommunicati &c. de quibus egimus *in lib. I. Tit. XIV. de ætate & qual.* Colligitur ex *c. 15. h. t.* licitum tamen eſt Patrono Laico intra ſuum quadrimeſtre (& probabiliter etiam Eccleſiaſtico intra ſuum ſemeſtre præſentationi præfixum) præſentare alium, ſi prior, uti debet, ab Epiſcopo tanquam indignus rejectus eſt: Epiſcopi autem eſt ſtatuere de aptitudine præſentati. Si tamen Patronus Eccleſiaſticus ſcienter præſentet indignum, eum pro illa vice privari jure præſentandi cenſent cum Panormit. non pauci ex *c. 2. de conceſſ. præb.* 10

Dico 5. Illicitè præſentatur minùs dignus relicto digniore, ſaltem ſi beneficium ſit Curatum. DD. paſſim ex Trid. *ſ. 24. c. 1. & 18. de Ref.* Per *digniorem* intellige illum, qui penſatis omnibus judicatur fore utilior Eccleſiæ, & animarum ſaluti procurandæ. Valida tamen eſt præſentatio minùs digni, modò ſimpliciter dignus ſit. per Trid. *ſ. 7. c. 3. de Ref.* nec reperitur ullibi irritata à Jure. Caſu quo autem minùs dignus ab Epiſcopo (licèt fuiſſet obligatus eum inſtituere) rejectus, & alius, quem poſtea præſentavit patronus, ab Epiſcopo inſtitutus eſt, poſterior in Beneficio relinqui debet, non obſtante, quòd prior reclamet etiam coram Judice competente. *c. 5. 29. h. t.* cùm melior ſit conditio poſſidentis; Epiſcopus tamen manet obligatus ad aliâ viâ providendum priori, quem per injuriam rejecit. Addidi, *ſaltem ſi beneficium ſit Curatum*; ſi enim ſit ſimplex, non eſt prohibitum, ſaltem Jure Poſitivo, ad illud præſentare ſimpliciter idoneum relicto digniore, idque etiam inſinuatur in Trid. *ſ. 7. c. 13.* Imò ex eodem Trid. *ſ. 24. c. 18. cit.* multi cum Palao & Garcia Patronum Laicum excuſant à peccato, ſaltem gravi, licèt minùs dignum præſentet ad beneficium etiam Curatum: at non excuſant Guttierez, Sanch. Cardenas *in Propoſ. ab Innoc.* 11

noc. XI. damn. dissert. 28. n. 21. & 38. Certè Jus Naturale videtur prohibere, ne cum periculo animarum promoveatur minùs dignus in præsentia dignioris, saltem notabiliter dignioris, quod periculum non facilè abest in beneficio Curato. Unde, licèt consuetudo, qua passim tam Ecclesiastici quam Laici Patroni se credunt satisfeciisse suæ obligationi, si simpliciter dignos ac idoneos præsentent, ab Episcopo examinandos ulteriùs, Juri Positivo Tridentini derogare possit, non tamen prævalet Naturali. Vid. dicta ad *Tit. VI. de Elect. n. 29. lib. I.*

42 Quæres, an Patronus præsentare possit se ipsum. 2. vel absentem? R. ad 1. negativè. *Text. & gl. in c. 26. h. t.* quia inter dantem & recipientem debet dari distinctio personarum. *c. fin. de Instit.* R. ad 2. affirmativè cum Azor & P. Wiestner *b. n. 78.* contra Abb. Barb. Tusch. Rebuff. Garc. quia nullum Jus irritat vel prohibet præsentationem alicujus absentis, per litteras v. g. vel qui per procuratorem se sistit instituenti. Accedit praxis Regum, qui summo Pontifici in Episcopos plerumque nominant absentes a Curia Romana. Oppones 1. Si Patronus nequeat præsentare se ipsum, deterioris est conditionis, quàm alij; quod videtur indignum, cùm ex sua in Ecclesiam beneficentia referret incommodum. Dein sequeretur, quòd neque filium suum præsentare possit, saltem in patria potestate adhuc constitutum, quia cum hoc censetur esse eadem persona. *l. ult. C. de impub. substit.* 2. In *c. 3. §. 2. de Privil.* requiritur, ut Episcopis *repræsententur:* sed non repræsentantur sine corporali & propria præsentia ac absentes: ergo. Confirm. Trid. *c. 18. cit. v. cùm verò,* statuit, ut non admittantur præsentati, nisi ab Ordinario fuerint priùs examinati: sed nemo in procuratore suo examinari potest, & nisi se ipsum sistat præsentem. R. ad 1. Sufficere debet Patrono, quòd alios præsentare valeat, honorem, & in casu egestatis alimenta percipiat ex sua beneficentia in Ecclesiam

fiam, quo pacto fit compensatio hujus incommodi. Deinde consequi & ipse potest idem beneficium aliâ viâ, si nempe roget eum, penes quem est institutio, ut sibi illud liberè conferat: quod ipsi non facilè negabitur. Fictio Juris, qua pater & filius reputantur pro eadem persona, utì & patria potestas, locum non habet in spiritualibus, sed solùm in casibus Jure expressis. Ad 2. *representari* non semper dicit corporalem & physicam præsentiam, sed quandoque etiam moralem, & per aliquid distinctum: sic nobis repræsentari dicuntur objecta aliquando cognita per species rememorativas, persona aliquando visa &c. licèt nunc corporaliter absint. Ad Confirm. potest examen absentis ab Ordinario delegari alteri, vel eidem aliunde jam esse notoria præsentati absentis idoneitas. Dein quamvis Trid. requirat ibi examen præsentati, tamen non irritat præsentationem, licèt non examinetur propter absentiam præsentatus, utì nec juxta Adversarios irritat institutionem præsentis sine prævio examine.

Dico 6. Idem Patronus, sive Laicus sit sive Ecclesia 18
sticus, potest plures simul præsentare. 2. Variare tamen, seu plures successivè, at non nisi cumulativè, solus Laicus. Pars 1. quam expressè docet Vivian. *l.* 10. *c.* 4. *n.* 4. contra Abb. & plures alios, probatur negativè: quamvis enim Patrono Ecclesiastico prohibita sit variatio, seu plurium præsentatio successiva, non tamen reperitur eidem prohibita simultanea. Nec obstat, quòd ab uno eodémque non possint eligi plures, per *c.* 2. *de Elect. in 6.* quia præsentatio non in omnibus æquiparatur electioni. Pars 2. habetur *c.* 5. 24. 29. *h. t.* Ratio discriminis est, quia Patronus Ecclesiasticus, cui plures, quam Laico, indulgentur menses ad præsentandum, censetur magis nôsse, & ob majus tempus etiam magis inquisivisse in idoneitatem præsentati, præsumiturque magis idoneum præsentâsse. Addidi, *non nisi cumulativè*, nempe unum vel plures addendo, non tamen priorem (qui nondum debet esse institutus, aliàs frustra

adderet alios) iterum excludendo. *c.24. cit.* Ex quo patet, Epiſcopum ſpectato Jure Communi exſpectare debere, donec quadrimeſtre Laico indultum fluxerit; ſi enim priùs inſtitueret initiò præſentatum, variare non ampliùs liceret Patrono: ſpectata tamen praxi licitè & validè ſtatim inſtituitur præſentatus. Cœterùm Patronus Laicus non unum duntaxat, uti tenent omnes, ſuperaddere poteſt, ſed etiam plures, ſeu pluries variare, uti docent Abb. Decius, Zœſ. & alij ex *Clem. 2. eod.* Oppones. In *c. 5. 24. 29. citt.* tantùm eſt ſermo de ſuperaddendo *ſecundo*, item de *alio:* ſed variatio, utpotè odioſa. *Clem. un. de Renunt.* eſt ſtrictæ interpretationis: ergo reſtringenda ad ſecundum, & ad unum duntaxat ſuperaddendum; præſertim cùm facultas ſimpliciter conceſſa finiatur primo actu. per *l. 89. §. 1. ff. de V. S.* R. In *citt. cc.* loquitur Pontifex ſolùm narrativè, non verò definiens certum numerum. Deinde N. *Min.* nam variatio conceditur Laicis ideò, ut ipſi poſſint ſuperaddere digniorem, ſi poſtea reſciverint, & ut Epiſcopus ex pluribus præſentatis eligendi digniorem obtineat facultatem: quod utique cedit in favorem ac utilitatem Eccleſiæ vacantis: ergo variatio eſt favorabilis. *Clem. un. cit.* intelligenda venit de variatione non cumulativa, ſed excluſiva. & *d. l. 89.* de facultate odioſa. Cœterùm nec Laico Patrono variare conceditur caſu, quo inter præſentatum ab ipſo, & inter præſentatum a compatrono, lis pendet. *arg. c. 1. & 2. Ut lit. pend. in 6.* quia per novum præſentatum accederet novus adverſarius alteri, & ſic lis protraheretur facilè cum diſpendio Eccleſiæ.

14 Quæres, an, ſi Laicus habeat compatronum Eccleſiaſticum, etiam huic permittatur variatio? R. negativè; quia Eccleſiaſtico abſolutè eſt prohibita in Jure. Oppones. Laicus propter ſocietatem compatroni Eccleſiaſtici acquirit privilegium 6. menſium ad præſentandum: ergo etiam Eccleſiaſticus propter ſocietatem compatroni Laici acquirit privilegium variandi; præſertim cùm

juxta

juxta receptum axioma *privilegiatus trahat secum non-privilegiatum.* R. *N. Conſ. & parit.* quia variatio eſt privilegium Laico ex ſpeciali cauſa conceſſum, quod non debet extendi, præſertim cùm privilegiatus non ſecum trahat non-privilegiatum, ſi non-privilegiatus ſit dignior privilegiato. Porro neque Laico variare licet, quando præſentavit eundem, quem præſentavit compatronus Eccleſiaſticus; nam taliter præſentatus ab utroque ſemper habebit majora, utpote duo vota, poſterior autem à Laico præſentatus (unus, vel plures) ſemper duntaxat unum.

Dico 7. Si ab uno eodémque Patrono præſententur 15
plures, vel ſimul, vel ſucceſſivè, tenetur Epiſcopus inſtituere digniorem. 2. Si verò æqualis ſint dignitatis aut meriti, datur locus gratificationi. 3. Ita tamen, ut unus ex præſentatis, non verò extraneus inſtituatur. Pars 1. quam tenet Barb. *de Offic. Epiſc. allegat. 72. n. 200.* & communior contra Hoſtiens. aliósque apud Palao, ſuadetur ex *c. 24. h. t.* Trid. *ſ. 24. c. 18. de ref.* & propoſitione 47. damnata ab Innoc. XI. Si tamen Epiſcopus eligeret minùs dignum, valeret inſtitutio. *arg. c. 29. h. t.* ſcilicet ad amputandas lites. Pars 2. videtur deciſa in *c. 24. cit.* conſonat *c. 3. eod.* Pars 3. quam ampleCtuntur Abb. Palao, Pirh. *h. n. 100.* contra Sylv. & Azor, ſumitur ex *c. 8. & 14. eod.* quia præſentati habent aliquod jus, & præferendi propterea utique ſunt extraneis. Oppones. Neque Patronus habet jus petendi, ut ex pluribus à ſe preſentatis æqualiter dignis unus inſtituatur, neque ipſi præſentati; quia juxta *c. 3. cit.* unus præſentatorum debet *adjuvari majoribus meritis:* ergo ſine injuria poteſt Epiſcopus extraneum aſſumere. R. Quamquam nec Patronus, nec præſentati, habeant jus petendi, ut unus eorum determinatè, & præ reliquis inſtituatur, habent tamen jus, ne ipſis ab Epiſcopo præferatur extraneus.

Dico 8. Si à pluribus & diverſis Patronis præſenten- 16

tur plures, & præsentati in votis sint pares, nullius præsentatio tenet, nec ex illis tenetur Episcopus aliquem instituere, saltem si nullus sit dignior. Jo. Andr. Pirhing *n.* 100. *cit.* contra Panormit. *in c.* 24. *cit. n.* 8. Ratio est, quia in tali casu Patroni verè discrepant: in casu autem discordiæ, si & vota sint paria, & æqualis dignitas, nec intra tempus à jure concessum consspirent plura vota in unum, Episcopo liberum est providere. per *c.* 3. *h. t.* Dixi, *saltem si nullus sit dignior*, si enim unus foret dignior, is conformiter Justitiæ distributivæ & *c.* 3. *cit.* præferendus videtur. P. Wiestner *h. n.* 143.

17 Dico 9. Patronus Ecclesiasticus ad præsentandum habet 6. menses, Laicus autem 4. menses. *c.* 22. *c.* 27. *h. t. c. un. eod. in* 6. §. *Verùm.* Qua ratione in tempore quasi compensatur Patrono Ecclesiastico negatio variationis, quam diximus solo Laico esse concessam. Item eidem fit compensatio, quatenus scienter præsentans indignum pro illa vice privatur jure præsentandi, probabiliùs verò non Laicus. Hoc semestre, vel quadrimestre, est continuum, & incipit currere non à die inductæ vacationis beneficii, sed à die vel hora vacationis cognitæ. per *c.* 5. *de conceff. præb.* Præsumitur autem ignorantia, si scientia non probatur. *c.* 47. *de R. J. in* 6. licèt alia impedimenta, quia ferè in facto consistunt, non præsumantur, sed probari debeant. Si intra dictum tempus non fiat præsentatio, beneficium fit liberæ collationis ab Episcopo faciendæ pro illa vice, vel ab alio, cujus fuisset instituere præsentatum. *c.* 3. *cit.* nisi Patronus probaverit impedimentum, v.g. absentiæ &c. vel nisi jus instituendi obtinens gratuitò admittat præsentationem post lapsum temporis. *arg. c.* 2. & 4. *de suppl. neglig.* vel nisi præsentatio effectum non fuisset sortita ex parte vel præsentati, vel instituentis, ut si v. g. præsentatus non acceptâsset, aut præsentationi renuntiâsset, vel ea ex occulto defectu fuisset nulla &c. tunc enim Patrono incipit

no-

novum tempus, & quidem totum. *arg. c. 26. de Elect. in 6.*

Quæres, an non etiam Laico, si habeat compatronum, 8
Ecclesiasticum, indulgeantur 6. menses? R. cum communi contra Palao. indulgentur; quia æquum est, ut in causa individua privilegiatus, si ille sit dignior, trahat secum non privilegiatum. *arg. l. 10. ff. quemadm. servit. amitt.*

§. II.

Quomodo acquiratur, transferatur, & amittatur Jus Patronatûs.

SCiendum, modos, quibus acquiritur jus patronatûs, 9
esse in duplici classe: nam alijs *acquiritur* initiô & originaliter, cujusmodi sunt fundatio, constructio, dotatio Ecclesiæ, juxta versum Glossæ in *can. 26. caus. 16. q. 7. Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus:* alijs autem jam priùs ab aliquo habitum *transfertur* in alios, uti hæreditaria successione, donatione, permutatione &c. Antequam autem hos modos explicemus ulteriùs, præmittendum videtur, quinam habiles sint & capaces Juris Patronatûs. Pòst autem subjungemus modos, quibus semel acquisitum iterum *amittitur*, qui rursus bifariam dispescuntur; alii enim sunt sine delicto, alij verò supponunt delictum.

Dico 1. Omnes sunt capaces Juris patronatûs, etiam 20
Laici & Fœminæ; Minores, Pupilli, & Infantes (quamvis hi ultimi, septennium necdum egressi, non per se ipsos, sed per Tutores actualiter præsentare valeant) uti & Filijfamilias; nec non Excommunicati, Spurii, & alii Irregulares, exceptis tamen iis, qui in Jure specialiter ad id sunt inhabilitati. Text. Gl. DD. *in can. 26. 27. 30. caus. 16. q. 7. cit.* ubi omnes fideles sine discrimine habilitan-

tur ad jus patronatûs, & in ſpecie *Laici* in *c.* 1. 2. 7. 10. 25. *h. t. c. fin. de Conceſſ. præb.* pro habilibus agnoſcuntur, ut hac ratione alliciantur ad pias fundationes: *Fœminæ*, & quidem Regulares *in c. 7. cit.* Sæculares autem in *c. fin. cit.* De *Minoribus*, *Pupillis* &c. probat ſpecialiter ratio, quia ſunt capaces hæreditatis, & bonorum, quibus ſæpe hoc jus eſt annexum: validáque erit actualis præſentatio, quam faciunt ſine conſenſu Curatoris, Tutoris, Patris (licèt deceat, ut non præſentent ſine horum conſenſu) quia Tutoria & Patria poteſtas ſe non extendit ad ſpiritualia. *c. fin. de Judic. in* 6. poſſúntque valida contrahere ſponſalia illis, quibus aliàs ſubſunt, non requiſitis: cur non etiam validè præſentare? Undè ſi Tutor aliquem præſentet, & Pupillus ſeptenniô major alium, iſte, licèt minùs dignus, eſt præferendus: imò ſi Curator ſine conſenſu Minoris ſeu Puberis attentet præſentare, præſentatio eſt nulla; quia Curator datur non perſonis, ſed rebus tantùm Minorum. De *Excommunicatis*, *Spuriis*, & aliis *Irregularibus* conſtat peculiariter etiam indè, quòd poſſint caſtra & villas, quibus annexum eſt jus patronatûs, poſſidere, imò Eccleſias fundare, ædificare, dotare. Excommunicatis *non-toleratis* uſus quidem hujus juris illicitus eſt, nec præſentatio actualis licitè admittitur; ſi tamen *tolerati* ſint, etiam licitè præſentant, & admittitur præſentatio, quamvis repelli poſſet, utì docent probabiliter cum Garcia *de Benef. p. 5. c. 4. à n. 317.* id reſtringente ad patronum Laicum, nam præſentationem Eccleſiaſtici invalidam eſſe cenſet: partim quia excommunicatus toleratus non excluditur à communione cum fidelibus, partim quia ejus præſentatio, ſicut nullibi reperitur irritata, ita nec prohibita in Jure, partim quia præſentatio non eſt actus jurisdictionis aut officii Eccleſiaſtici, à quibus ſuſpenditur excommunicatus. Addidi in Aſſertione, *exceptis tamen ijs, qui in Jure ſunt ſpecialiter ad id inhabilitati*, utì ſunt Judæi, Turcæ, ac alii infideles, ſeu non-Chriſtiani. per *text.* & *gl. in*

Digitized by Google

gl. in can. 26. 27. 30. citt. quibus Vivianus & alii annumerant quoque Simoniacos, publicas meretrices, & omnes infames.

Oppones 1. Laici sunt inhabiles ad jus eligendi Prælatum Ecclesiasticum, & ad alia jura spiritualia, vel spirituali annexa: ergo etiam ad jus præsentandi ad Beneficium Ecclesiasticum, quia etiam est jus spirituali annexum 2. Si Excommunicati sunt capaces juris patronatûs, etiam erunt hæretici, saltem tolerati, quales sunt in nostra Germania: sed hæretici non sunt capaces. per *c. 19. de hæret. in 6.* vi cujus bona hæreticorum cedunt fisco, consequenter & jus patronatûs annexum. Dein jus patronatûs est favor specialis ab Ecclesia concessus, quo vel maximè indigni sunt Hæretici, utpote rebelles, & impugnatores Ecclesiæ: ergo. R. ad 1. *N. Conf.* quia ad jus patronatûs sunt generaliter habilitati in Jure, non autem ad jus eligendi & alia jura spirituali annexa. Ad 2. *N. Ma.* quia non pugnant eadem argumenta contra Excommunicatos, quæ in objectione contra Hæreticos allata sunt. Dein, licèt probabiliùs de Jure Hæretici sint inhabiles ad jus patronatûs, etiam in Germania, quia nec ibi in foro Ecclesiastico sunt tolerati, nihilominus tamen possunt, & sæpe solent, connivente Pontifice, ac ex consuetudine ab Episcopis institui, qui ab Hæreticis præsentantur. 21

Dico 2. Jus Patronatûs primò & originaliter acquiritur tribus modis, nimirum ex fundatione, vel constructione, vel dotatione Ecclesiæ, in qua erigitur beneficium. 2. Ex speciali concessione Pontificis. 3. Ex immemoriali præscriptione. Pars 1. continetur in Trid. *s. 14. c. 12. & s. 25. c. 9. de Ref.* Et quia Trid. *c. 9. cit.* adhibet particulam *vel*, ex *fundatione*, *vel dotatione*, item in *c. 3. h. t.* tantùm de fundatione, in *c. 25. eod.* verò tantùm de constructione fit mentio, DD. rectè inferunt, quòd dicti tres modi non requirantur copulativè, sed disjunctivè tantùm, ita ut vel sola fundatio, vel sola con- 22

constructio, vel sola dotatio Ecclesiæ sufficiat. Nec est necesse, ut fundans, construens, dotans sibi expressè reservet jus patronatûs, ut habet communis contra Zœsium & Schambogen, modò fundans &c. non expressè illud remittat, vel tacitè per actum contrarium: quia Ecclesia id indulget in remunerationem ipso Jure. per *c. 41. de testib.* Porro Ecclesiam *fundare* dicitur, qui dat fundum, seu solum, eum in finem, ut in eo ædificetur Ecclesia, modò postea sequatur ædificatio, & dotatio; aliàs Ecclesia non perfectè reduceretur *à non esse ad esse*, nec fieret patronata: *construere*, qui proprijs sumptibus cum consensu Ordinarij eam ædificat, vel penitus destructam restituit; non verò, qui successivè per partes reparat ruinosam, licèt totam: *dotare* demum, qui Ecclesiæ constructæ assignat sufficientes reditus annuos ad sustentationem Ministrorum ei deservientium congruam, & ad celebranda divina, vel qui dote priore penitus amissa illam de novo dotat prædictô modô; non verò, qui non sufficientes ad præfata reditus assignat, aut qui prima dote adhuc existante novas divitias adjicit, etsi fortè majores, quàm sit prima dos: proin talis quidem erit *Benefactor*, non tamen *Patronus*. Id etiam observandum, quòd reædificatio, vel nova dotatio, fieri debeat cum consensu Ordinarij (non præcisè Vicarij Generalis sine speciali mandato, cùm per jus patronatûs imponatur Ecclesiæ quædam servitus) deinde ut priùs deferatur illis, qui priùs ædificârunt vel dotârunt; quia, si alius ædificat vel dotat, ad hunc deinceps pertinet jus patronatûs, apud illos autem extinguitur, & extinctum censetur cum structura, & cum dote totaliter pereunte. Quamvis autem dictos titulos, ex quibus sibi aliquis adstruit jus patronatûs, per ordinarios probationum à Jure approbatos modos probare oporteat, & regulariter sufficiat; si tamen integra Communitas aut Magnates, jurisdictionem temporalem in tali loco beneficij obtinentes, vel aliàs valde potentes, qui possunt esse suspecti de violenta

lenta aut injuſta uſurpatione hujus juris, illud prætendant, probare tenentur (ſi tamen agant contra ipſam Eccleſiam & ex præſumptione, ac Laici ſint) poſſeſſionem immemorialem, & continuatas 50. ſaltem annis præſentationes, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, per authenticas ſcripturas. Trid. *c. 9. cit.* Pars 2. Aſſertionis per ſe claret ex ſuprema Pontificis poteſtate in Eccleſias & jura ſpiritualia; qui proin Eccleſiæ alias liberæ poteſt adoptare patronum; ut ab eo meliùs defendatur: ſic Principes Sæculares multos jus patronatûs in Eccleſijs Cathedralibus & Dignitatibus fuiſſe conſecutos, haud improbabilis eſt ſuſpicio. Pars 3. ſumitur ex Trid. *lo. cit.* item ex *c.* 26. *de V. S. & l.* 3. *§. fin. ff. de aqua quotid.* vi quorum præſcriptio immemorialis habetur loco tituli probati, qui hodie poſt Trid. *lo. cit. & ſ. 14. c.* 12. ubi omnes patronatus annullavit, non emanantes ex fundatione &c. in hac materia non poteſt eſſe alius, quàm fundatio, vel conſtructio, vel dotatio Eccleſiæ, cujus præſumptionem fortiſſimam inducit tempus immemoriale. Minoris temporis præſcriptio, niſi immemorialis, vel 40. annorum cum titulo, non ſufficit. juxta *c. 9. cit.* Tridentini, & alias Præſcriptionum contra Eccleſiam leges, præſcribenti reſiſtentes.

Oppones 1. Si acquiritur generaliter jus patronatûs 23
ex fundatione &c. etiam acquiretur ex fundatione Eccleſiæ Conventualis, vel Collegiatæ, ſeu in qua plures Clerici, vel Regulares vel Sæculares, commune ſigillum habentes, conſtituunt unum Collegium, ſive tanquam membra unum Corpus, ſub Prælato tanquam capite, qui etiam in foro externo jurisdictionem in dictos Clericos obtinet: ſed hoc eſt falſum; quia tales Eccleſiæ ſunt Electivæ, nec Prælatus per præſentationem, ſed per electionem conſtituitur; imò ſi Laicus fundet talem Eccleſiam, is ne quidem in limine fundationis ſibi ac ſuis hæredibus reſervare poteſt jus coëligendi Prælatum, cùm ſit incapax juris eligendi. per *c. 51. de Elect.* ergo. 2. Si ad

jus

jus patronatûs acquirendum sufficiunt singuli tituli fundationis, constructionis, dotationis disjunctivè, poterunt esse plures Patroni ejusdem beneficij : atqui hoc est inconveniens ; sic enim unus fortè præsentabit Titium, alter Caium, tertius Sempronium ; ergo. 3. Fundatores &c. Ecclesiarum solent sibi expresse jus patronatûs reservare: ergo ipsis non competit ipso Jure & absque speciali reservatione ; quod enim tacitè inest, frustra exprimitur. *l.* 32. *ff. de Condit. Instit.* R. ad 1. Licèt ex fundatione Ecclesiæ Collegiatæ vel Conventualis non acquiri posset jus patronatûs quoad facultatem præsentandi, posset tamen quoad jus præcedendi & alios effectus. Dein *N. Min.* siquidem etiam Laicus in fundatione talis Ecclesiæ cum consensu Episcopi reservare sibi jus præsentandi Prælatum, qui alias de Jure deberet eligi, permittitur: quo casu non magis absurdum est, si præsentet Prælatum, quam si Principes sæculares ex privilegio Apostolico, vel Præscriptione, nominent Episcopos. Ad 2. *N.* iterum *Min.* si enim plures sunt Patroni, possunt vel mutare vices, ut prima vice præsentet fundator, secundâ constructor, tertiâ dotator: vel, si omnes semper præsentare velint, prævalebit, in quem plura conspiraverint vota juxta dicta *n.* 7. Si fortè plures concurrissent ad Ecclesiam ædificandam, vel dotandam, omnes, qui ad ædificationem concurrerunt, habebunt unam tantùm vocem, uti & qui ad dotandam, si simul adsit fundans &c. si verò unus ædificâsset, & fundâsset simul, alius verò dotâsset, priori tanquam ex duplici capite patrono competerent duo vota, posteriori unum. P. Wiestner *b. n.* 36. Ad 3. *dist. Ant.* solent sibi reservare pro majori cautela, sicut ementes cavere de evictione, licèt venditor ex Juris dispositione jam teneatur ad evictionem. *C. Ant.* ex necessitate. *N. Ant. & Conf.*

24 Dico 3. Jus patronatûs, jam semel legitimè acquisitum, transfertur in alios 1. *Hæreditaria successione. c.* 1. 3. *& Clem.* 2. *h. t.* qui ergo in hæreditate succedit habenti

Digitized by Google

benti jus patronatûs, & in isto succedit: si plures sint hæredes, ad omnes & singulos devolvitur in solidum, ac indivisim, quamdiu hæreditas manet indivisa; eâ autem inter hæredes divisâ cedit illi tantùm, cui obvenit res, cui jus patronatûs annexum est. Si jus patronatûs sit reale, & in tali re usumfructũ alicui constituit testator, non ad hæredes, sed ad usufructuarium, quamdiu durat usus-fructus, defertur, eo autem cessante primùm ad hæredes. 2. *Donatione. c. 8. 14. eod.* at, si jus patronatus personale donetur Laico, vel Clerico quidem, non compatrono, sed ut personæ privatæ, non nisi cum consensu Episcopi, ut argumentô à contrario desumitur ex *c. un. eod. in 6.* ubi proin corrigitur *c. 17. eod. X.* ubi requirebatur consensus Episcopi etiam in casu, quo patronatus fuisset donatus communitati Ecclesiasticæ aut Religiosæ. Si Ecclesia ipsa vel Monasterium vellet alicui donare jus patronatûs, opus haberet solennitatibus ad alienationem rerum immobilium & jurium stabilium de Jure requisitis. Si verò privatus donare illud alteri velit, debet ipse primus acquisivisse ex propriis bonis, non ab alio per successionem; si enim haberet per successionem, deberet iterum relinquere ijs, qui habent jus succedendi in ejus bonis. 3. *Permutatione. can. 40. caus. 16. q. 7.* sed non nisi cum alia re vel jure spirituali, &, si jus patronatûs sit personale, interveniente consensu Episcopi, saltem si transferatur in Laicum, vel Clericum privatum: si verò sit reale, cum alia re temporali accessoriè permutari potest, modò non veniat in æstimationem cum re temporali, & pro dicto jure non petatur aliquid temporale; id enim foret Simoniacum. 4. *Venditione*, si sit reale, & propter illud non exigatur majus pretium: nec de eo debet fieri specialis conventio, aut mentio conjunctivè; licèt sine Simonia possit fieri mentio illius declarativè, ut emptor rei, cui annexum est, sciat, & fortè alliciatur indè ad rem promptiùs emendam. Sumitur ex *can. cit. & c. 7. h. t.* Si verò jus patronatûs,

tûs, etiam reale, veniret in contractum, vel propter illud augeretur pretium, committeretur Simonia, & amitteretur ipso facto, Ecclesiaque evaderet libera ex patronata, ac insuper contrahentes, si forent personæ privatæ, essent excommunicandi, si autem communitates; supponendæ interdicto. Trid. *s.* 25. *c.* 9. *cit.* pretium verò applicandum Ecclesiæ, quæ per talem venditionem passa est injuriam. Abb. *in cap.* 16. *cit. num.* 3. Vivian. & alij. Cœterùm, si vendatur res; v. g. castrum, vel universitas bonorum, cui jus patronatûs est annexum, non rectè & propriè dicitur *vendi* ipsum hoc jus, sed *transire* cum re in alium. Oppones: jus patronatûs etiam personale transit ad hæredem per successionem hæreditariam: ergo etiam jus patronatûs person.le, & non tantùm reale, transibit ad emptorem universitatis bonorum. R. N. *Cons. & parit.* nam hæres repræsentat ipsam personam defuncti, atque succedit in omnia hujus jura, etsi non specialiter annexa sint rebus hæreditariis, non ita emptor. Adde, quòd Jus Canonicum specialiter statuerit, ut jus patronatûs etiam personale transeat cum hæreditate, non verò, ut cum universitate rerum vendita. 5. *Præscriptione*, sive ea currat contra privatos, sive contra communitates, vel Ecclesias; modò adsint debita requisita & tempus, quod Jura diversum præscribunt pro diversitate illorum, contra quos currit. Nec obstat, quòd præscribens sit Laicus, quia capaces possidendi jus patronatûs à Jure redditi sunt generaliter omnes Laici, ut diximus *n.* 20.

25 Quæres 1. An jus patronatûs reale transferatur per locationem prædij, cui est annexum, in conductorem? 2 An per emphytevticationem in emphytevtam? 3. An per infeudationem in vasallum? 4. An per oppignorationem seu hypothecationem in creditorem? 5. An per confiscationem bonorum in fiscum? R. Ad 1. affirmativè, saltem si locatio fiat ad tempus longum; quia talis conductor habetur pro possessore. *l.* 1. *§.* 3. *ff. de superficieb.*

ficieb. ad poſſeſſorem autem regulariter pertinent omnes fructus, quos inter etiam cenſetur patronatus. Si locatio eſt ad tempus modicum, h. e. decenniô minus, negant valde multi, eò quòd per illam conductor non poſſeſſionem, ſed meram detentionem rei locatæ conſequatur. Sed alii non pauci cum Barb. *in c. 7. h. t. n.* 4. etiam huic conductori tribuunt jus præſentandi, ídque deſumunt ex *c. 7. cit.* ubi locatio videtur fuiſſe ad tempus modicum, quia facta eſt à Monaſterio ſine ſolennitatibus; & ex hac ratione, quia etiam in locatione ad tempus breve transfertur in conductorẽ jus percipiendi fructus pro tempore locationis, conſequenter & exercitium juris patronatûs, utpote acceſſorium fructibus. R. ad 2. & 3. iterum affirmativè. per *c. 7. cit.* quia in emphytevtam & vaſallum non modò poſſeſſio, ſed etiam dominium utile rei, cui annexum eſſe ponitur jus patronatûs, transfertur. R. ad 4. negativè. per *c. 18. de ſent. & re jud.* quia creditori nec dominium nec poſſeſſio nec uſus pignoris regulariter competit, ſed nuda detentio pro ſecuritate crediti: cùm igitur fructus rei oppignoratæ debeant vel computari in ſortem, vel reſtitui debitori, præſentatio autem, quæ eſt quaſi fructus juris patronatûs, neque computari poſſit in ſortem, utpote aliquid ſpirituali annexum, neque reſtitui, cùm ſemel in beneficio inſtitutus nequeat removeri; præſentatio debet competere debitori, non creditori pignus vel hypothecam detinenti. R. ad 5. affirmativè. Si verò jus patronatûs foret perſonale, & res patroni inferrentur fiſco, non amitteretur per confiſcationem, ſed maneret penes delinquentem, donec per Judicem Eccleſiaſticum eo privaretur tanquam indignus: poſt ſententiam privatoriam verò non tranſit ad fiſcum, ſed vel omnino extinguitur, & Eccleſia fit libera, ſi ſit hæreditarium, vel tranſit ad proximos conſanguineos, ſi ſit gentilitium.

Dico 4. Jus Patronatûs amittitur *ex delicto* 1. Si Pa- 26
tronus fiat apoſtata à tota fide Chriſtiana. Quid autem

Juris ſit, ſi fiat Hæreticus, vel fautor eorum, colliges ex dictis *n.* 21. ſuprà. 2. Si committat crimen læſæ Majeſtatis, proditionis patriæ, vel aliud enorme, inducens confiſcationem bonorum, quibus annexum eſt jus patronatûs: ſi verò hoc jus perſonale ſit, accedente ſententia privatoria. 3. Si Rectorem, vel alium Clericum ſuæ Eccleſiæ patronatæ, occîdat aut mutilet per ſe vel per alium. *c. 12. de pœnis.* 4. Si ſe ingerat in perceptione fructuum beneficij patronati, eos vel in proprium uſum convertendo, vel impediendo, ne ad Beneficiatum perveniant. Trid. *c. 9. cit. ſ. 22. c. 11. de ref.* Denique 5. Si jus patronatûs vendere, vel alio illicito modo contra ſanctiones Canonicas in alium transferre præſumat. Trid. *c. 9.* ſæpius *cit. v. ne dictum jus.* Notandum autem, quòd ſolus delinquens, non compatroni innocentes, nec ejus ſucceſſores, ſi â fundatore ſpecialiter vocati ſint, amittat; item quòd non amittat probabiliùs ante ſententiam declaratoriam criminis, licèt Jus dicat amitti ipſo facto. per ea, quæ traduntur ad *Tit. de Pœnis in lib. V.*

Sine delicto Patroni amittitur, vel potiùs extinguitur jus patronatûs 1. Totali deſtructione Eccleſiæ, vel totali interitu dotis reſpectu dotantis. 2. Extinctione familiæ, pro qua tantùm fuit inſtitutum, & reſervatum. 3. Voluntaria ceſſione, expreſſâ, vel tacitâ, ut ſi Eccleſiam patronatam patiatur patronus converti in Collegiatam vel Conventualem absque ſui juris reſervatione. 4. Unione acceſſoria Eccleſiæ vel Beneficij patronati cum alia Eccleſia vel Beneficio, vel Monaſterio, cum conſenſu patroni, ſibi ſuum jus non reſervantis, factâ. *arg. c. 8. de conſtit.* quia ſic unita cenſetur extincta. 5. Non-uſu per longum tempus, quo inducitur de Jure præſcriptio privativa, intervenientibus interea ſaltem duabus collationibus liberis: idem à fortiori eſt de uſu contrario poſitivo. 6. Suppreſſione, per quam Papa aufert jus patronatûs, uti abſolutè poteſt; quamvis absque juſta cauſa

ſa nec ſoleat, nec licitè poſſit; neque cenſeatur auferre vel derogare illi per reſervationem beneficij, niſi clarè exprimat, ſi patronatus ſit Laicus, originem habens ex fundatione, conſtructione, vel dotatione Eccleſiæ, uti DD. paſſim notant.

Quæres adhuc, quis ſit Judex competens in cauſa ju- 27
ris patronatûs? R. Solus Eccleſiaſticus, ſi moveatur quæſtio Juris, & agatur in Petitorio, ut ſi quæratur, an, & cui competat jus patronatûs, an legitimè acquiſitum, translatum, amiſſum, an, quando, quoties, & quis præſentandus ſit ad beneficium. Item ſi reus conventus ſit perſona vel communitas Eccleſiaſtica. Clarent hæc ex *c. 3. de Judic.* & ex dictis ad *Tit. de Foro Compet. lib. II.* Si verò moveatur quæſtio meri facti, v. g. an, quando, quoties ſit facta præſentatio, vel à quo: aut agatur in mero Poſſeſſorio, ac nulla involvatur quæſtio Juris (ſi tamen id ſit poſſibile) v. g. quis in poſſeſſione fuerit, an in ea turbatus &c. eſt mixti fori, ut etiam Laicus poſſit eſſe Judex, ſed juxtà nos potiùs vi conſuetudinis, & auctoritatis Doctorum, quàm Juris. per ea, quæ tradidi ad *cit. Tit. n. 46. ſeq.* Si Judex Sæcularis ferat ſententiam confiſcationis bonorum propter delictum, dubium eſt, an per eam amittatur jus patronatûs illis annexum. Mihi videtur, per eam amitti quidem, ſed indirectè tantùm & acceſſoriè, ut loquitur Sanch. *Moral. l. 2. c. 19. n. 10.* Oppones 1. In *can. 31. cauſ. 16. q. 7.* dicitur, quòd in cauſa juris patronatûs adeundus ſit Rex. 2. In *c. 41. de teſtib.* refertur, eandem cauſam fuiſſe cognitam à Judice Sabinenſi, qui fuit Sæcularis. 3. Jus patronatûs de Jure etiam competit Laicis: ergo etiam de illo cognoſcere & pronuntiare. R. ad 1. dicitur adeundus eſſe Rex tanquam Advocatus Eccleſiæ, ut extrajudicialiter ab ea damnum avertat; non tanquam Judex. Ad 2. Ille Judex Sabinenſis fuit Vicarius Epiſcopi Sabinenſis, Romæ degentis, adeóque Eccleſiaſticus. Ad 3. N. *Conſ.* ad obtinendum & poſſidendum

jus patronatûs generale habent privilegium Laici, non verò ad judicandum super eo.

Occasione Juris patronatûs, cùm Titulus de ijs non exstet, & sint eidem Juri valde affines,

28 Quæres 1. Quid sint Primæ Preces Imperatoris. R. Sunt *jus nominandi personam de Jure Communi & vi fundationis idoneam, ab Ordinario, vel alio, ad quem collatio pertinet, ad Beneficia vacantia, vel vacatura in Ecclesijs Romano-Germanici Imperij, intra mensem admittendam, privilegiô Pontificis Imperatori, vel Regi Romanorum, recèns electo concessum.* Vocantur *Preces*, quia Imperator, vel Rex Romanorum, non ipse confert hujusmodi Beneficia, sed tantùm conferri petit personæ à se nominatæ; cui tamen petitioni, si Precista, seu nominatus ab Imperatore, sit persona habilis, & intra mensem à notitia vacationis Beneficii numerandum collatori insinuet súam nominationem â se acceptatam, collator deferre tenetur. Dicuntur *Primæ*, quia sunt prima petitio, eáque unica, & non iteranda, in una eadémque Ecclesia: vel etiam *Primariæ*, quia hæc petitio præferenda est cuique alteri nominationi, præsentationi, collationi &c. quæ etiam est invalida, si adsit nominatus ab Imperatore; quem in finem, ut nempe Preces certiorem sortiantur effectum, Papa concedit Imperatori, ut in Ecclesijs, in quibus nominat, constituat executores, in dignitate Ecclesiastica, vel Canonicatu Cathedrali positos, qui authoritate Ecclesiastica possint se opponentes compescere. Habent originem suam, ut omnes Catholici contra Hæreticos Scriptores, qui in hac materia nullius sunt auctoritatis, ex indulto, gratia, & concessione Sedis Apostolicæ, licèt sit usus antiquissimus, uti patet ex indulto Pontificio, quod Rudolpho I. anno 1273. ex Comite Habspurgico in Imperatorem electo, concessum est, & se refert ad antiquam consuetudinem, quâ â Pontificibus hoc privilegium est indultum.

Quæ-

Quæres 2. Quousque ſe extendant primæ Preces? 29
R. Generaliter ad omnia beneficia cum- vel ſine cura, ſimplicia & duplicia, Dignitates, Perſonatus, Canonicatus &c. non obſtante, quòd Pontifici reſervata ſint, vel alternativæ ſubjecta, nec oſtante jure patronatûs Eccleſiaſtici penes alium reſidente, neque *Turno*, ut vocant, neque devolutione ad inferiorem Pontifice ſactâ, neque reſignatione libera in manus Ordinarii. Vid. *Indultum Primarum Precum* à Paulo V. conceſſarum Ferdinando II. & Chokier *ad dict. Indult.* Intellige hæc de uno tantùm beneficio ex dictis, & una vice, in una eadémque Eccleſia, non de omnibus, vel pluribus. Primis tamen Precibus non ſubjacent 1. Dignitates Pontificales, quæ vi Concordatorum in Germania ſunt liberæ electionis. 2. Dignitates Pontificalibus proximæ in Eccleſijs Cathedralibus, Principales ſeu primæ in Collegiatis, & alia beneficia, quæ *in Extrav. Ad Regimen 13. de Præb. int. Comm.* reſervantur Pontifici. 3. Abbatiæ, & Prælaturæ Monaſteriorum, ac beneficia ex natura ſua Regularia. 4. Beneficia ad Sedem Apoſtolicam legitimè devoluta. 5. Beneficia ex cauſa permutationis, vel in favorem tertij coram Ordinario reſignata. 6. Litigioſa lite adhuc pendente. 7. Quæ ſunt juris patronatûs Laici, vel Mixti. 8. Monocularia, ſeu quando collator hoc unum tantùm beneficium conferre poteſt: Imò collatores, niſi habeant jus conferendi ſaltem quatuor beneficia in Imperio Romano, non tenentur admittere Preces Imperiales. 9. Manualia, & ad nutum revocabilia, Vicariæ temporales, Penſiones non datæ in titulum. 10. Perpetuò incorporata Menſæ Epiſcopali, Collegio, Eccleſiæ, Dignitati &c. *Indult. cit.* & ibi Chokier, Conrad. Oligenius *in Diſſertatione de Primarijs Precib.* edita Friburgi Brisgoiæ anno 1707. ut prima pagina aſſerit, Leuren. la Croix, Engel, P. Schmalzgrueber *ad Tit. de Præb. à n.* 343. Porro Imperator, poſtquam unum nominavit ad beneficium, variare

poteſt addendo ſecundum, vel tertium &c. & revocare primum, modò res adhuc ſit integra. Chokier, Hermes, Leuren &c. ratio petitur tum indè, quia Imperator cenſetur ſibi reſervâſſe hoc jus, nec adimere per nominationem unius, tum ex eo, quia nominatus non acquirit jus in beneficio, ſed tantùm implorandi officium Executoris, ut ſibi provideat de beneficio, vel potiùs provideri faciat; cùm probabiliùs non ad Executorem, quem conſtituit Imperator, ſed ad ordinarium Collatorem proviſio pertineat. Chokier & alij. Quæ opponi poſſunt, vide apud P. Schmalzgrueber *ad tit. de Præb. n. 366.* Utrùm verò Imperator Primis Precibus uti & præſentare ad beneficia poſſit absque ſpeciali indulto Pontificis & aſſenſu peculiari de novo obtento, lis eſt inter Doctores, de qua videatur Oligenius *lo. cit.* ubi multis probat neceſſitatem ſpecialis indulti.

TITULUS XXXIX.

De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus.

SUMMARIUM.

1. *Cenſus quid & quotuplex.*
2. 3. *Exactiones, & Procurationes quid &c.*
4. *An Principes ſæculares tributa ſubditis,*
5. 6. *Et cenſus imponere Eccleſijs & Beneficiatis Epiſcopi poſſint?*
7. 8. *An, quomodo, & quando Cathedraticum,*
9. *Et ſubſidium Charitativum.*
10. *Quinam obligentur ad Procurationes.*

SCiendum 1. Cenſus, Exactiones, & Procurationes eſſe Eccleſiarum & Beneficiorum onera, ſicut Jus Patro-

Digitized by Google

Patronatûs, imò magis, de quo in *Tit. præced.* Per *Cenſum* verò genericè ſumptum intelligitur omne id, quod in certa quantitate annuatim præſtatur alteri: ſub qua ratione etiam comprehendit *Tributa*. Quare etiam de his breviter aliquid dicendi anſam arripimus. Quatenus verò cenſus denotat partem fructuum, quos aliquis emit ex re vel induſtria alterius ſibi quot annis ſolvendos, in conſiderationem veniet ad *Tit. de Uſuris*. Hoc loco ſignificat *penſionem annuam ex proventibus Eccleſiaſticis ſolvendam* vel Epiſcopis in ſignum ſubjectionis, vel Patronis aut aliis ex juſta cauſa & cum authoritate Epiſcoporum. Differt ab *Exactionibus*, quòd hæ ſint penſiones extraordinariæ, quæ à plurimis *collectæ* appellantur: cenſus autem (uti & tributa) ſint penſiones ordinariæ, ſtatæ, & ſingulis annis ſolvendæ. Dividitur Cenſus in antiquum & novum. *Antiquus* vocatur, qui ſtatim initio & tempore fundationis eſt Eccleſiæ impoſitus velut onus reale, vel debetur ipſo Jure. *Novus*, qui primùm ex poſtfacto imponitur ab homine. Uterque vel eſt *Perpetuus*, vel *Temporalis* ſeu ad certos annos duntaxat. Antiqui præcipua ſpecies, de Jure debita, eſt *Cathedraticum*, quod ex reditibus Eccleſiæ ſingulis annis ſolvendum eſt Epiſcopo partim in ſignum ſubjectionis, partim in honorem Eccleſiæ Cathedralis. Spectato Jure ſcripto non debet excedere duos ſolidos, ſeu aureos. *can.* 1. *cauſ.* 10. *q.* 3. & confunditur cum *Synodatico c.* 16. *de offic. Ord.* eò quòd olim in Synodis Diœceſanis ſolvi conſueverit.

Sc. 2. per *Exactiones* genericè acceptas intelligi 2
omne id, quod Principes vel Superiores, Sæculares aut Eccleſiaſtici, à ſubditis exigunt extra ordinem, uti ſunt collectæ, ſteuræ, contributiones, tallia, pedagia, quidagia, vectigalia &c. *c.* 5. & 6. §. 2. *h.t.* Sed hoc loco ſignificant *penſionem, quæ extraordinariè ab Epiſcopis ex juſta cauſa exigitur de reditibus Eccleſiaſticis. c.* 6. §. 2. *cit.* cujus præcipua ſpecies eſt *Subſidium charitativum*,

tivum, seu pensio moderata, quæ ex justa & manifesta causa postulatur ab Episcopo ex reditibus Ecclesiasticis cum charitate (licèt solvenda ex obligatione) & à subditis præstatur cum charitate erga suum Pastorem. *arg. c. 18. in fin. h.t. c. 6. & c. 16. citt.* Appellari etiam potest *Donum gratuitum.* Contributio illa, quam Tridentinum *s. 23. c. 18. de Ref.* solvi præcipit ad exactionem & determinationem Episcoporum in conservationem *Seminarij* (quod in quavis Diœcesi vult erigi, si nempe non aliunde sit provisum per Academias & Gymnasia, in quo Juvenes ad Statum Clericalem aspirantes in litteris, moribus, & disciplina Ecclesiastica bene instruantur) ab omnibus totius Diœcesis beneficiis, locis piis, & Monasteriis non-Mendicantium, non habentibus tale Seminarium actu, potiùs ad *Censum* pertinet, quatenus singulis annis præstanda est; licèt ad *Exactiones* referri possit, quatenus non stabiliter debetur; quia Tridentinum tamdiu duntaxat eam permittit, donec Seminarium sufficienter sit fundatum.

3 Sc. 3. *Procurationes* in præsenti non esse aliud, quàm necessarios sumptus ac expensas, quibus Episcopi, vel alii illorum loco, actualiter visitantes Diœcesim vel Ecclesias indigent pro sustentatione competenti. *arg. c. 23. h. t.* Trid. *s. 24. c. 3. de ref.* Sustentatio hæc comprehendit victum & habitationem visitatoris honestique comitatûs, atque equorum necessariorum. Debet esse moderata, ne Ecclesiæ nimiùm graventur. Debetur toties, quoties instituitur visitatio, modò hæc intra annum non fiat ultra binas vices, non obstante, quòd Episcopus &c. aliunde habeat largos reditus; quia nemo tenetur suis stipendijs laborare in alienam utilitatem. Debita foret etiam Legatis Sedis Apostolicæ transeuntibus: sed hodie per usum videtur esse abrogata. Olim debebant victualia dari in natura: hodie verò Trid. *loc. cit.* permisit eorum loco accipere pecunias. Si Visitator, Notarius, comes, vel famulus aliquis ipsius accipiat mu-

Digitized by Google

munus ex cauſa vel occaſione viſitationis etiam gratis oblatum, peccat, & intra menſem tenetur reſtituere in duplo. *c.* 23. *h. t. c.* 2. *eodem. in* 6. Trid. *loc. cit.* Viſitatori non licet ſubſiſtere extra caſum neceſſitatis in eadem Eccleſia ultra unum diem, neque ultra unam procurationem accipere uno die, licèt plures viſitet Eccleſias, &, ſi commodè poſſit, viſitare debeat uno die; quæ proin ſumptus inter ſe partientur, ut nimirum quàm minimè graventur. *c.* 23. *cit. c.* 3. *eod. in* 6.

Dico 1. Tributa imponere Laicis poſſunt Principes & Magiſtratus Sæculares, qui in ſuo territorio Superiorem non recognoſcunt, & inferiores etiam Principes, Status, ac Civitates, quibus hæc poteſtas à ſupremo Principe conceſſa eſt. 2. At non niſi ex legitima cauſa, quæ ferè tantùm eſt utilitas vel neceſſitas publica Communitatis, utì eſt profeſſio poteſtatis in Principe, ac ſubjectionis in populo, ſuſtentatio honorifica Principis ac ejus familiæ, juſtum bellum: viarum & itinerum publicorum reparatio, defenſio, ſecuritatis præſtatio, profectio neceſſaria, inauguratio, pacis redemptio, Eccleſiarum, vel ſcholarum cura &c. Atque has vel ſimiles cauſas debet Princeps, ejúsque Conſiliarii ſub reatu culpæ mortalis (imò ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ in *Bulla Cœnæ* §. 5.) & ſub onere reſtitutionis priùs ritè examinare ac perſpectas habere, antequam tributis gravent populum. 3. Tributum non debet eſſe majus, quàm poſtulet cauſa neceſſitatis vel utilitatis publicæ: nec durare diutiùs, quàm cauſa ſubſiſtat: nec inſumi in uſus alios, v. g. in prodigas largitiones, luſus, luxum, inutiles expenſas &c. Ita cum S. Thoma, Cajet. Bart. Palao, Suar. Menoch. Gailio, Leſſ. & communi Theologorum ac Canoniſtarum P. Antonius Söll *in tract. de Tributis à n.* 13. *à n.* 75. *& n.* 330. ex 2. *feud.* 56. *l.* 3. *& fin. C. de ſtat. & imag. l. un. C. de expenſ.* atque ex æquitate naturali & natura Juſtitiæ. Neutiquam enim perſuadere ſibi debent Principes, ſuorum ſubdi-

torum bona esse in sua potestate & dispositione libera, modò ipsis relinquant tenuem victum & vestitum, uti detestandi adulatores ac profligatæ conscientiæ Consiliarij quidam, Machiavellistica peste infecti, nihil Christiani præter nomen habentes, quandoque ipsis præcinunt. Sed cum omnibus bonis & rectè sentientibus omnino persuasum sibi habeant, optimum Principis ærarium esse divites subditos: hos non esse propter Principem, sed Principem propter subditos: sibi quidem competere dominium jurisdictionis in subditos, vi cujus tributa exigunt, non proprietatis in bona subditorum: omnem potestatem, in se translatam, esse à populo &c.

5 Dico 2. Censum antiquum (vel tributum) Ecclesijs aut Beneficijs Ecclesiasticis, tam perpetuum quàm temporalem, imponere potest 1. Papa, v. g. in signum subjectionis, vel in recognitionem exemptionis. 2. Episcopus tempore fundationis, dotationis, vel consecrationis Ecclesiæ, tam in propriam, quam patroni vel alterius utilitatem: uti & Prælatus jurisdictionem quasi-Episcopalem obtinens in limine fundationis. 3. Potest verò non nisi in utilitatem alterius Ecclesiæ vel pij loci ex justa causa. 4. Patronus in limine fundationis cum consensu Episcopi. Hæc ferè sunt certa, & primum quidem ex *c. 2. de Præb. in 6. c. 8. de Privil.* Secundum ex *can. 30. caus. 18. q. 2. c. 23. de Jur. patron. c. 7. 16. 21. h. t.* Tertium & quartum ex *c. 23. cit.*

6 Dico 3. Censum novum perpetuum ijsdem nemo, Papâ inferior, adeóque nec Episcopus, saltem in suæ vel Capituli mensæ utilitatem, imponere valet, aut antiquum augere. Text. & DD. *in c. 3. 7. h. t. Clem. 1. §. Eâdem quoque. de supplend. negl.* Excipe casum, quo Episcopus cum consensu Capituli & Superioris authoritate ex justa causa remittit alicui Ecclesiæ jura Episcopalia, seu illam à sua jurisdictione eximit. *c. 6. de Relig. Dom.* Item casum, quo pensio de novo Ecclesiæ aut beneficio cum consensu Capituli & Superioris imposita obveniet

alte-

alteri, v. g. Eccleſiæ pauperi, aut beneficio tenui, non verò Epiſcopo. *c. 9. de his, quæ fiunt à Præl.* Rurſus penſionem alumnaticam pro Seminario, nondum ſatis fundato, juxta dicta *n.* 2. Dixi in aſſertione, *perpetuum;* nam temporalem, ad certos annos, vel etiam ad vitam beneficiati, injungere poteſt ex juſta cauſa, v. g. pro ſuſtentatione pauperum, ſcholarium &c. pro ſolvendis debitis, aut reparatione Cathedralis Eccleſiæ, ſi collitigans de beneficio velit cedere, vel beneficiatus ægrotus beneficio renuntiare contentus penſione. Vid. dicta ad *Tit. XII. Ut Eccleſ. Benefic. &c.*

Dico 4. Cathedraticum debetur Epiſcopis ab omnibus Eccleſijs, Beneficiis, Capellis, & Parochijs Sæcularibus. 2. Etſi unitæ ſint pleno jure Monaſterijs. 3. Non tamen ab ipſis Monaſteriis & Regularibus, etiam non-exemptis. Fagnanus in *c. conquerente 16. de offic. Ord. n. 10. 43.* cum communi. Pars 1. ſumitur ex *c. 16. cit.* Pars 2. ex *eod. c.* ubi dicitur, quòd *Epiſcopus jura Epiſcopalia in Eccleſijs ſeu Capellis Monaſterij debeat habere.* Concordat *Clem. 1. h. t. c. 12. de Præb.* Pars 3. clarè exprimitur in *can. 8. cauſ. 10. q. 3.* ibi: *Monaſteriorum tamen Baſilicis ab hac ſolutionis penſione ſejunctis*, quia nempe Regulares omnes à Lege *Diœceſana* (vi cujus debetur Epiſcopo Cathedraticum) ſunt exempti. Communis cum Barb. & Fagn. ex *can. 34. cauſ. 16. q. 1. & c. 1. de Stat. Monach.* 7

Quæres, an conſuetudine vel præſcriptione liberari poſſint Eccleſiæ aliàs obligatæ à ſolutione Cathedratici? R. Totaliter non, ſaltem ſtante ſubjectione, ut habet probabilior & communior; quia repugnare videtur, ut quis maneat ſubjectus, & non obligetur ad aliquid, quod in ſignum ſubjectionis præſtandum eſt. Unde tributa quoque & cenſus, qui debentur Principi in ſignum ſubjectionis, nulla præſcriptione tolluntur. *l. 6. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.* Minui tamen quantitas à Jure præſcripta poteſt per conſuetudinem vel præſcriptionem, 8

nem,

nem, utì & tempus, quo ſolvi debeat, variari. Hinc, cùm Synodi, in quibus olim ſolvebatur, vi conſuetudinis non ſoleant celebrari ampliùs ſingulis annis, vi ejusdem ſolvitur in quibusdam Diœceſibus, quando celebratur annuum Capitulum Decanale, ac poſtea â Decano defertur ad Epiſcopum.

9 Dico 5. Subſidium charitativum licet Epiſcopo (& Capitulo Sede vacante, ac Generalibus Ordinum Religioſorum â ſubjectis Monaſteriis) ex juſta & manifeſta cauſa petere ab omnibus Clericis Beneficiatis, etiam Canonicis, ultra congruam ſuſtentationem reditus beneficiales habentibus, per totam Diœceſim ſuam. 2. Non tamen â Monaſteriis & Regularibus. 3. Niſi præſint beneficiis & Eccleſis ſæcularibus. Iterum communis quoad omnia. Membrum 1. habetur *c. 16. cit. c. 6. h. t.* ibi: *ſuſtinemus autem pro multis neceſſitatibus, quæ aliquoties ſuperveniunt, ut, ſi manifeſta & rationabilis cauſa exſtiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium poſtulare.* Cujusmodi cauſæ ſunt, ſi magni ſumptus fuerunt faciendi Epiſcopo in Confirmatione vel Conſecratione ſua, & tunc vocatur Jnful- und Weich-Steur: ſi reparanda ſit fabrica Eccleſiæ Cathedralis: ſi expungenda debita ejusdem: ſi magnæ expenſæ ſint factæ aut faciendæ pro tuendis Eccleſiæ juribus, aut bonis recuperandis: ſi Epiſcopus viſitare velit limina Apoſtolorum, adeat Concilium &c. P. Schmalzgrueber *h. t. n. 60.* Ratio autem, cur tantùm â Beneficiatis, non pauperibus, ſed ultra congruam percipientibus reditus beneficiales debeatur, eſt, quia hoc ſubſidium eſt onus mixtum Clericos obligans propter fructus Eccleſiaſticos, quos percipiunt. Membrum 2. ſumitur ex *cann. 8. 34. & c. 1. citt.* ex quibus eruitur, Monaſteria & Regulares â Lege *Diœceſana*, dependenter â qua procedit facultas exigendi Charitativum, exemptos eſſe. Membrum 3. ex *c. 16. Clem. 1. c. 12. citt.* ex quibus colligitur, capellas & parochias, Monaſteriis uni-

Digitized by Goog

unitas & à Regularibus administratas, non eximi à Lege *Diœcesana*. Et hoc, non plus, probant Adversarii ex *Clem. un. de Excessib. Prælat.* Excipe, nisi à Subsidio charitativo has capellas liberet vel consuetudo, vel speciale privilegium.

Dico 6. Procurationes solvere tenentur Ecclesiæ omnes, tam Regulares, quàm Sæculares, quæ & quando visitantur. *c.* 14. *c.* 23. *h. t.* Trid. *s.* 24. *c.* 3. *de Ref.* Excipiuntur tamen Oratoria privata. *c. fin. h. t.* Ecclesiæ per speciale privilegium ab iis exemptæ. *c.* 17. *eod.* vel quas eximit consuetudo saltem universalis alicujus Diœcesis; nam præscriptio alicujus Ecclesiæ particularis probabiliùs non excusat. per *c.* 17. *cit.* & *c.* 11. *de Præscript.* Item Ecclesiæ pauperes, quæ sufficientes reditus non habent ad procurationes visitatoribus præstandas. per *c.* 11. *§. insuper de Rescr. in 6.* & *c.* 17. *cit.* Neque apud habentes augeri possunt procurationes, in prima fundatione constitutæ, nisi illarum reditus notabiliter creverint. per *c.* 16. *h. t.* Excipiunt plerique etiam hospitalia, & alia pia loca pro pauperibus aut infirmis deputata. per *Clem. quia contingit de Relig. Dom.* Fagn. *in c. Venerabili.* 24. *h. t. n.* 34. *seqq.* Visitare autem Episcopi vel per se vel per alios possunt & debent singulis annis, vel saltem intra biennium omnes Ecclesias, Monasteria, & Capitula suæ Diœcesis, demptis tamen Exemptis. Trid. *s.* 6. *c.* 4. *de Ref. s.* 7. *c.* 8. *de Ref. s.* 24. *c.* 3. *de Ref.* Imò non tantùm personas Ecclesiasticas, sed etiam Laicales & populum quoad fidem orthodoxam, præceptorum observantiam, crimina & scandala in ordine ad ea corrigenda. per *c.* 1. *pr. h. t. in* 6. & Trid. *s.* 24. *c.* 3. *cit.* Cœterùm procurationibus quoad substantiam, uti notavimus, præscribi nequit. per *c.* 17. *cit. c.* 11. & 16. *de præscript.* saltem nisi præscriptio sit immemorialis. Ipsi autem visitationi, seu contra jus visitandi, neque per immemorialem præscribi posse videtur, nisi simul præscribatur exemptio. per *c.* 16. *cit.* quia visita-

sitatio videtur necessariò consequens ad subjectionem. Porro *visitare* nihil est aliud, quàm inquirere in excessus ac defectus, inventósque castigare ac emendare.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

SUMMARIUM.

1. *Quæ res consecrari vel benedicti soleant.*
2. *Quid Ecclesia: quid & quotuplex Altare.*
3. *Quid sit consecratio, à quo &c. fiat.*
4. *Quid sit Ecclesiam (vel Altare) execrari, pollui seu violari, & reconciliari.*
5. *Ecclesia, ubi celebrentur Divina, debet consecrari, vel benedici, vel saltem deputari specialiter.*
6. 7. *Quænam ulteriùs consecrari debeant, & à quo.*
8. *Et quænam benedici in ordine ad Sacrificium Missæ.*
9. *Quomodo, & à quo reconlietur Ecclesia polluta.*

1 SCiendum 1. post *Census*, qui plerumque constitui solent & imponi Ecclesiis in earum *Consecratione*, rectè subjungi Titulum præsentem: &, quia etiam *Altaria* consecrari solent, etiam de horum consecratione hìc agitur, ac de benedictione *Cœmeterij*, quod sæpe adhæret Ecclesijs. Item de *Patenis* & *Calicibus*, qui consecrantur, atque de *Paramentis* sacris, quæ benedicuntur, ac in Officiis Divinis adhibentur. Quia verò Ecclesias *execrari* aut *pollui*, uti & altaria ac cœmeteria, nonnunquam contingit, etiam de illorum *Reconciliatione* tractatur.

2 Sc. 2. Per *Ecclesiam* hìc intelligi ædem sacram, in qua

qua fideles ad percipienda Sacramenta & rem Divinam audiendam congregantur. Antequam in ea peragantur Divina, priùs conſecranda vel ſaltem benedicenda eſt. Per *Altare* venit lapis ad ſacrificandum ordinatus & conſecratus. Aliud eſt *Fixum*, ſeu immobile, h. e. certo loco tanquam baſi affixum, cujus ſaltem ſuperior pars debet eſſe lapidea. Et hoc non per ſe, ſed quatenus eſt baſi affixum, conſecratur. Aliud *Portatile*, ſeu mobile, aut viaticum, quod moveri, & ab uno loco in alium transferri poteſt, cujus ſuperior ſaltem pars, ſeu menſa, pariter debet eſſe lapidea tantæ capacitatis, ut capiat calicem & patenam : atque iſtud conſecratur per ſe. Per *Cœmeterium* verò locus ad ſepulturam fidelium deputatus auctoritate Epiſcopi, ſive ſit benedictus ab eodem, ſive non.

Sc. 3. *Conſecrationem* Eccleſiæ & Altaris eſſe dedi- 3
cationem illius factam Deo â legitimo Miniſtro debitâ materiâ & formâ interveniente. *Miniſter* ordinarius eſt Epiſcopus conſecratus : extraordinarius autem Abbas, vel ſimplex Sacerdos, at non niſi ex privilegio vel commiſſione Summi Pontificis. *Materia* eſt oleum & chriſma ; nam Eccleſia, dum conſecratur, inungitur chriſmate in parietibus, & apponuntur cruces : altaria verò inunguntur priùs oleo ſimplici, tum chriſmate in cornibus. Vid. *can.* 14. 32. *d.* 1. *de Conſecr.* & Pontificale Romanum. Deniqua *Forma* conſiſtit in ſolenni verborum pronuntiatione, quibus utitur conſecrans : forma autem accidentalis in ceremoniis, quas præſcribit dictum Pontificale Romanum & conſuetudo. Differt Conſecratio à *Benedictione* præcipuè per hoc, quòd iſta non fiat per aliquam inunctionem, ſed per aſperſionem aquæ luſtralis & certas preces, adhæreátque ſolo ſive pavimento, quod aſpergitur, conſecratio verò adhæreat parietibus & exteriori cruſtæ. Benedictio à ſolo etiam Epiſcopo poteſt committi ſimplici ſacerdoti. Ex privilegio competit etiam Fratribus Minoribus & noſtræ Societatis Superio-

perioribus benedicere ſuas Eccleſias, altaria, & cœmeteria in ordine ad ſuum uſum.

4 Sc. 4. *Eccleſiam execrari*, ſeu amittere conſecrationem, ſi conflagret, corruat, deſtruatur vel ex toto, vel ex majori parte ſimul & ſemel, ita ut, licèt ex iisdem lapidibus reædificetur, indigeat nova conſecratione. Si verò non deſtruatur ſimul & ſemel, ſed per partes ſucceſſivè, ita tamen, ut major pars ſemper maneat, non pro execrata habetur, licèt ſucceſſivè tota deſtruatur & reparetur; quia cenſetur eſſe Eccleſia antiqua, ſicut v. g. eadem eſſe legio militum cenſetur vel populus, licèt prioribus militibus vel hominibus demortuis ſubſtituantur novi: quare tali caſu nec opus habet nova conſecratione, ſed ſemper pars minor cenſetur conſecrari in æſtimatione morali per majorem veterem. *arg. c. 3. h. t.* cùm dignius minùs dignum, & majus ad ſe trahat minus. *c. un. h. t. in 6.* In deſtructione verò Eccleſiæ attenditur maximè, num parietes interiores, in quibus fit inunctio, ſint deſtructi, vel, ut multis videtur, eorum cruſta exterior abraſa. *Altare* execratur, ſi menſa ſuperior, ſive lapis fit notabiliter fractus (de quo judicare in dubio ſpectat ad Epiſcopum) vel ita deſtructus, ut in nulla ſui parte integer calicem cum patena, quoad majorem ſaltem partem, poſſit capere: item ſi in altari fixo lapis ſuperpoſitus removeatur à baſi ſeu inferiori ſtructura. Utrùm verò portatile execretur ſeu perdat ſuam conſecrationem per hoc, quòd *Sepulchrum* illius, ſeu loculus & cavitas, in qua reponi ſolent ſacræ Reliquiæ, frangatur vel ſpolietur, dubium eſt apud Auctores. Negat probabiliter Pirhing, quia Reliquiæ non videntur eſſe de eſſentia altaris, & non in omnibus reponi ſoleant. Cœterùm execratâ Eccleſiâ non cenſentur execrata altaria, nec viciſſim. *Polluta* autem Eccleſia (idem dic de cœmeterio) ſeu *violata* moraliter cenſetur, ita ut *reconciliatione* indigeat. 1. Per homicidium, aut humani ſanguinis effuſionem ex vulnere copioſam (non ex nari-

naribus percuſſis) in Eccleſia factam, graviter peccaminoſam. 2. Per voluntariam & illicitam humani ſeminis effuſionem, aut copulam carnalem illicitam (imò etiam per conjugalem, niſi fortè periculum pollutionis excuſet conjuges, fortè diu in templo concluſos) ſed prædicti actus debent eſſe notorij, item facti in ipſa Eccleſia, non in turri, ſacriſtia, crypta, Confeſſionali per murum remoto; quia in odioſis pro Eccleſia ſolùm habetur internum corpus, quod à tecto interiore uſque ad pavimentum, & â porta interna majoris Eccleſiæ uſque ad ultimum parietem nullô intermediô murô diſtinctum protenditur. 3. Per ſepulturam hominis excommunicati, ſaltem non tolerati, item infidelis ſeu non baptizati (qui etiam exhumari debet) notoriam; probabiliùs tamen non, ſi infans Chriſtianorum non baptizatus ibidem ſepeliatur. Effectus autem Eccleſiæ pollutæ eſt, quòd in ea ſine peccato mortali peragi ſacra & divina officia nequeant, vel in illa, aut cœmeterio, ſepeliri mortuus, niſi priùs reconcilietur, aut Epiſcopus (quod probabiliter poteſt, ſi reconciliari tam citò non poſſit) diſpenſet. *Reconciliatio* autem conſiſtit in aſperſione aquæ, vinô cinere & ſale mixtæ, ab Epiſcopo benedictæ, ſi Eccleſia fuit priùs aliquando conſecrata: aut in aſperſione aquæ luſtralis, à ſimplici etiam Sacerdote benedictæ, ſi non conſecrata, ſed tantùm benedicta ab Epiſcopo fuit, aut ab eodem tantùm deputata ad publicum cultum Divinum. Porro pollutâ Eccleſiâ cenſentur etiam polluta altaria intra eam exiſtentia, ac cœmeterium illi contiguum, utpote acceſſoria, non tamen vice verſa. *c. un. h. t. in 6.* Proinde reconciliatâ Eccleſiâ cenſentur quoque & illa reconciliata. per *c. un. cit.* Nec obſtat, quòd execratâ Eccleſiâ non execrentur altaria; quia hæc habent diſtinctam ac ſpecialem conſecrationem; & pollutio totum Eccleſiæ corpus internum afficit, execratio verò ſolos ferè parietes, qui per conſecrationem fuerunt inuncti, reſpicit.

5 Dico 1. Ecclesia, ut in ea liceat celebrare Divina, debet consecrari, vel saltem benedici, vel saltem ad publicum Dei cultum deputari, non convertenda in usus profanos. 2. Et quidem ab Episcopo proprio. 3. Qui tamen consecrare non debet, nisi competenter dotatam, & priùs non consecratam, aut iterum execratam. Pars 1. fundatur in præcepto S. Sylvestri Papæ. *can. 9. 14. 15. d. 1. de Consecr.* & traditur cum communi à Barbosa *l. 2. J. E. U. c. 2.* ubi *n. 28.* dicit, Ecclesiam, si fieri possit, determinatè consecrandam esse: cujus consecrationis ceremonias præscribit Pontificale Romanum *Tit. de Eccles. Dedicat.* Pars 2. habetur *can. 26. caus. 16. q. 7. can. 28. caus. 7. q. 1. c. 1. de Relig. Dom. c. 2. h. t.* Nec potest Episcopus consecrationem committere simplici Sacerdoti, non-Episcopo, cùm sit actus Ordinis Episcopalis. *can. 4. d. 68.* qui ab alio, quàm à Summo Pontifice alteri committi nequit. *c. 9. h. t.* Aliud est de benedictione Ecclesiæ, altaris, cœmeterii. Pars 3. *can. 26. cit.* si verò consecraret sine dote, eam ipse constituere deberet. *arg. c. 2. 4. 16. de præb.*

6 Dico 2. Etiam altare, ut in eo sacrificare liceat, consecrari debet. 2. Et quidem ab Episcopo. Pars prior sumitur ex *c. 1. h. t.* peccat proin graviter, ut communiter sentiunt DD. qui sacrificat in altari non consecrato. Posterior ex *can. 25. d. 1. de consecr.* neque in Episcopi potestate est eam consecrationem committere non-Episcopo. per *c. 9. cit.*

7 Dico 3. Etiam calices & patenæ consecrari debent, & quidem ab Episcopo. Communis. Hæc tamen potestas ex consuetudine immemoriali, quæ inducit præsumptionem privilegii, competit etiam Abbatibus & aliis Prælatis usum Mitræ & Baculi habentibus, probabiliùs etiam pro aliis Ecclesijs, saltem cum licentia Episcopi. P. Schmalzgrueber *h. t. n. 50. 51.* cum aliis. Consecrationem suam amittunt, & sic execrantur, calix & patena, quando notabiliter franguntur, vel amittunt formam

mam ſuam, ita ut ad finem, in quem conſecrati ſunt, non ampliùs ſint apti: ſic amittit calix, ita ut liberè à Laicis tangi, vel etiam vendi poſſit, ſi contundatur, ſi pes illius divellatur à cuppa (niſi eſſet tornatilis, & ex inſtituto ita factus, ut citra fractionem ſeparari poſſit; quia tunc ſola cuppa cenſeretur per ſe conſecrata) ſi verò per uſum diuturnum abſumitur illius deauratio interna, non amittit conſecrationem; licèt videatur de novo conſecrandus probabiliter, ſi inauretur de novo: aliis tamen videtur ſufficere, ſi tali caſu abluatur aquâ benedictâ. P. Schmalzgrueber *n.* 53. Reiffenſtuel *h. n.* 52.

Dico 4. Paramenta & veſtes ſacræ, quæ adhibentur in Sacrificio, nempe *Amictus* ſeu *Humerale*, *Alba*, *Cingulum*, *Stola*, *Manipulus*, *Caſula*, *Corporale*, *Purificatorium*, & *Palla*, qua tegitur calix, benedici debent. 2. Et quidē ab Epiſcopo, & pro ſuis ſaltem Eccleſiis ab Abbatibus & Superioribus Mendicantium poſſunt. Pars 1. ſumitur ex *can. 9. d. 23. can.* 39. 40. *d.* 1. *de Conſecr.* & communi ſenſu. Pars 2. ex *declarat. Card.* apud Gallemart ad *Trid. ſ.* 23. *c.* 10. *de Ref. n.* 1. & apud Gavant. *p.* 4. *tit.* 19. *de Rubr. Bened. n.* 22. atque ex privilegiis Pontificum. Fortè tamen apud nos hæ declarationes & privilegia Regularibus conceſſa per uſum ita ſunt moderata, ut etiam pro *alijs* Eccleſijs benedicere dicta paramenta valeant Superiores Regulares, uti praxis declarat. Imò privilegium benedicendi paramenta Superioribus Regularibus expreſsè conceſſit etiam pro aliis Eccleſiis Innoc. VIII. ut refert Rodriq. Pelliz. &c. cui non cenſentur derogáſſe Cardinales, cùm non expreſſerint. Unde Superiores Minorum, Societatis JESU &c. tutò pergunt in conſuetudine benedicendi paramenta, ubi unctio chriſmatis non intervenit, etiam pro alijs Eccleſijs. Benedictionem ſuam amittunt, quando ſuam formam amittunt, vel inepta redduntur ad uſum, ad quem ordinata ſunt, v. g. ſi ex Stola fiat Manipulus, ſi ex Alba Amictus; aut ſi ita lacerentur, ut ad ſacrum uſum deſervire

nequeant: quo casu præstat ea comburi, & cineres in loco separato recondi, quam ad usus profanos adhiberi. *can. 39. cit.* Si vestes sacræ reparentur per materiam assutam non benedictam, quæ sit minoris quantitatis, hæc participat benedictionem majoris. *arg. c. 3. h.t.*

9 Dico 5. Ecclesia polluta, si priùs fuit consecrata, reconciliari debet ab Episcopo proprio. *c. 9. h.t.* per aquam, vino, cinere, sale mixtam, & à se benedictam. Ex privilegio suas Ecclesias consecratas, & pollutas, reconciliare possunt Superiores Minorum, & Societatis JEsu. 2. Si verò solùm fuit benedicta ab Episcopo, aut solùm deputata ad publicum cultum Divinum, reconciliari potest à simplici Sacerdote per aquam lustralem, à simplici etiam sacerdote benedictam, nec exspectatâ Episcopi licentiâ. per *c. fin. eod.* Porro per solam Missæ celebrationem probabiliùs non reconciliatur Ecclesia polluta; quia id Jure non reperitur expressum. *Canon 24. d. 1. de consecr.* ex quo aliqui id volunt evincere, non agit de Ecclesia polluta, sed de execrata per destructionem, sine altaris tamen motione, vel de casu, quo altare repositum est, & celebratur Missa.

TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officijs.

SUMMARIUM.

1. *Connexio materiarum subsequentium.*
2. *Eucharistia & Sacrificium & Sacramentum est.*
3. *Officium Divinum seu Breviarium vel Horæ Canonicæ.*
4. 5. 6. *In quibus locis liceat celebrare Missam.*

Scien-

Digitized by Google

SCiendum 1. Consecrationem Ecclesiæ eò spectare, 1
ut inibi dignè celebrentur Missæ Sacrificia, conficiantur & distribuantur Sacramenta, præsertim Evchariſtiæ & Baptismi, peragantur Officia Divina, seu Laudes Deo decantentur, Eucharistia, Chrisma, & Sacramentalia ritè custodiantur, Reliquiæ Sanctorum, quæ reponi solent ac debent in Ecclesiis, quando consecrantur, debitè honorentur, & ipse Deus ac Sancti per observationem jejuniorum. Hinc *in seqq. Titulis* de his tractatur. Verùm, quia hæ materiæ ad Theologiam Moralem & Polemicam, imò & Scholasticam potiùs, quàm ad praxim fori externi pertinent, quò sacri Canones præcipuè tendunt, non nisi breviter eas percurremus, explicatis ferè tantùm Rubricis, aut una vel altera quæstione delibatâ potiùs, quàm operosè discussâ: cætera relicturi Theologis, Casistis, & Controversistis.

Sc. 2. *Evchariſtiam* & Sacramentum esse & Sacrifi- 2
cium. Quà *Sacrificium* nihil est aliud quàm *Missa*, quæ definitur esse *verum, sed incruentum, Sacrificium, in quo Christus ipse sub speciebus panis & vini, per consecrationem conversi in Corpus & sanguinem ipsius, offertur æterno Patri in recognitionem supremi dominij, principaliter quidem ab ipso Christo, ministerialiter verò à Sacerdote. 1. Cor. 11. Trid. s. 22. c. 1. & 2. de Sacrif. Missæ. & can. 3. ibid.* Catholici omnes quoad rem. Peragitur in memoriam Passionis Christi, ut applicentur fidelibus merita Christi, dona Dei, ac remissiones peccatorum impetrentur, Deus placetur, eique agantur debitæ pro beneficiis gratiæ. Hoc Sacrificium est repræsentativum illius, quod in Cruce oblatum est, imò quoad substantiam est idem, quia eadem hostia, idem offerens principalis, scilicet Christus, reperitur in utroque, cum hoc tantùm discrimine, quòd in Cruce fuerit oblatum cruentô, in Missa verò offeratur incruentô modô. Unde patet, in Ecclesia Dei nihil sanctius, nihil Deo gratius, nihil hominibus salubrius, nihil majus & præ-

Digitized by Google

ſtantius reperiri quàm Sacrificium Miſſæ. Quà *Sacramentum* eſt cibus animæ, & ſic definitur: *eſt Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ad ſpiritualem animarum refectionem Divinitus inſtitutum.* Et hoc Sacramentum conficitur per conſecrationem Sacerdotis, qua panis & vinum convertuntur in Corpus & Sanguinem Chriſti: ſicut in eadem conſecratione conſiſtit eſſentia Sacrificij; quia per eam fit immutatio, & myſtica ſeparatio Sanguinis à Corpore Chriſti. Suſcipitur, quando conſecrata hoſtia ſumitur. Exiſtit extra actualem ſumptionem ſeu uſum, & rectè aſſervatur in templis, portatur ad ægros, & adoratur cultu latrevtico, utpote DEum & Chriſtum totum continens ſub ſpeciebus panis & vini.

3. Sc. 3. per *Officia Divina*, de quibus fit mentio in Rubrica, intelligi *Horas Canonicas*, ſeu *Breviarium*, quod eſt formula quædam laudandi & precandi Deum mente ſimul & voce, inſtituta ab Eccleſia, & à certis perſonis publicè peragenda ſub obligatione gravi ſingulis diebus. Conſiſtit in *Oratione Dominica*, *Salutatione Angelica*, *Symbolo Fidei*, *Invitatorio*, *Antiphonis*, *Pſalmis*, *Hymnis*, *Canticis*, *Lectionibus*, *Reſponſorijs*, *Verſiculis*, *Benedictionibus*, *Collectis* ſeu *Orationibus.* Dividitur in *Matutinum*, *Laudes*, *Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam*, *Veſperas & Completorium.* Hæ preces à quibusdam decantari in Choro, à quibusdam recitari privatim debent.

4. Dico. Non licet, nec Religioſis, niſi in caſu neceſſitatis, vel ex privilegio poſt Tridentinum obtento celebrare Miſſam in locis non conſecratis, benedictis, aut ſaltem deputatis ab Epiſcopo ad cultum Dei duntaxat: unde celebrare non licet in privatis domibus, Oratoriis Sæcularium non dicto modo dicatis cultui Divino, licèt adhibeatur altare portatile. *can.* 1. 11. 12. 15. 25. *d.* 1. *de Conſecr.* Trident. *ſ.* 22. *in decreto de obſervandis in celebr. Miſſæ.* ubi derogavit quoque *privilegijs*,

legiis, exemptionibus, & consuetudinibus quibuscunque. Accedit Decretum Clementis XI. moderni Pontificis, qui anno 1703. 15. Dec. Tridentinum & datas desuper declarationes instaurans prohibuit, & declaravit, *Episcopis neque sub prætextu privilegii, etiam clausi in Corpore Juris, neque alio quocunque titulo licere extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere altare, ibique sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere. Pari modo in Oratoriis privatis, quæ per sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis aut Instituti, etiam Societatis JEsu, aut alijs quibuscunque Sacerdotibus in ijs celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini, aliisque anni Festis solennioribus ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis verò diebus prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscunque, etiam Episcopis, in privatis Oratorijs celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit - - - declarando in omnibus hujusmodi casibus personas quascunque, dictas Missas audientes, nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfacere. Quo verò ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus suprà dictis, censuit licentias seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in c. in his. de privil. & per aliquos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto altari portatili, in eóque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem sacrum Concilium, ac propterea eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur.* Atque hoc Decretum, teste P. Reiffenstuel *h. t. n. 9.* per Sacram Congregationem transmissum est ad Archi-Episcopum Salisburgensem, & ab hoc ex officio communicatum omnibus Episcopis sub hoc Archi-Episcopatu existentibus Suffraganeis. Quod, si etiam ad alios Archi-Episcopos ita fuit transmissum, communicandum suis Suffraganeis, omnino videtur satis esse etiam apud

nos intimatum. Utrùm verò ſit etiam ubique uſu receptum, utì debebat, ſubſiſto.

5 Limitavi Reſponſionem 1. *Niſi in caſu neceſſitatis.* Proin ſi in loco ſacro, vel debitè deputato, Sacrificium Miſſæ celebrari non poſſit, v. g. tempore peſtis, in bello pro exercitu, in longa peregrinatione per loca infidelium, in navigatione diuturna, in concurſu populi tanto, ut Eccleſia eum non capiat, vel in loco, ubi nulla eſt Eccleſia, vel non niſi diruta, licebit in altari portatili etiam ſub dio vel in alio decenti loco celebrare, non requiſitâ licentiâ Epiſcopi, ne populus carere debeat Miſsâ. per *can. 1. 12. citt. & 30. ſeq.* Num verò diuturna alicujus particularis infirmitas numeranda ſit inter caſus neceſſitatis, ut in domo vel camera infirmi pro illius ſolatio ſuper altari portatili Miſſa celebrari valeat, dubium eſt. Quòd absque licentia Epiſcopi fieri non poſſit, plerique conſpirant, nec à Regularibus propter Decretum Clementis XI. recitatum: an verò cum licentia Epiſcopi, diſſident DD. Mihi videtur cum Suar. Barb. Palao, & aliis apud & cum P. Schmalzgrueber ad *Tit. de Conſecr. Eccl. n. 12.* hanc poteſtatem etiamnum poſt Tridentinum competere Epiſcopis, nempe ex juſta cauſa (licèt non ſit omnino neceſſitas) dandi licentiam, licèt diſſentiat Navar. Azor, Lotter. & alii. Hanc poteſtatem confirmat etiam conſuetudo ab Epiſcopis præſcripta poſt Tridentinum, quam in noſtris partibus paſſim vigere videmus, & cui in Decreto Clementis *cit.* non videtur eſſe derogatum, ſaltem clarè. Accedit, quòd in caſibus frequenter occurrentibus cenſeatur eſſe conceſſa diſpenſandi facultas Epiſcopis in locis Româ valde remotis, ex quibus difficilis eſt illuc recurſus.

6 Limitavi 2. *Vel ex privilegio poſt Tridentinum obtento,* cujusmodi conceſſit Gregorius XIII. *in Conſtit. Uſum. 1. Oct. 1579.* Societati JEſu, ſic exorſus: *Uſum altaris portatilis Societati Veſtræ à fel. record. Paulo Papa III. conceſſum, deinde à Conc. Trid. univerſim ſub-*

sublatum, vobis eatenus restituimus, ut inter Missiones - - - Missæ Sacrificium valeant celebrare super hujusmodi altari ubique Gentium &c. Si Præpositio Generali vel Provinciali sic visum fuerit. Et in *Constit. Decet. 11. Febr. 1576* idem Pontifex eidem concessit Societati, *ut in Oratorijs & Capellis, quæ ipsius Societatis Provinciales per se in domibus, Collegiis, & alijs locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, & ad Divinum duntaxat cultum deputaverint, Missæ & alia Divina Officia, alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, celebrari possint.* Simile privilegium anno 1565. post Trident. Pius IV. Canonicis Regularibus, imò etiam majus dicitur concessisse, vi cujus etiam in Cellis, Cameris, & aliis Monasterii locis super altari portatili Missam legere possint. Reiffenstuel *h. t. n. 29.* dicens, hoc privilegium communicari etiam ab aliis Religiosis, qui alias cum prædictis communicant. Imò neque Tridentinum, neque Decretum Clementis XI. utpote quod se refert tantùm ad privilegia à Tridentino revocata, derogavit privilegiis Regularium, vi quorum in propriis Monasteriis privata Oratoria, & Capellas domesticas habere, ibique celebrare Missam, imò etiam in Cameris & Cellis, ubi infirmus decumbit Religiosus, permittuntur; quia Trid. tantùm revocavit privilegia celebrandi Missam *in privatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam*; Monasteria autem nec sunt domus privatæ, nec omnino extra Ecclesiam; cùm nomine Ecclesiæ veniant etiam Religiosorum claustra, utpote illis æquiparata. *c. 24. de sent. Excom. in 6. & ibi gl. v. Monasteriis.* In privatis Oratorijs Monasteriorum etiam Sæculares Sacerdotes celebrare possunt, & Laici audiendo Missam satisfacere præcepto, quia cententur loca Sacra; non item in Cameris & Cellis, quia non sunt deputatæ ad cultum *duntaxat* Divinum.

TITULUS XLII.

De Baptiſmo, & ejus Effectu.

SUMMARIUM.

1. *Baptiſmus quid & quotuplex.*
2. *Qui ſint ejus effectus.*

¶ SCiendum 1. Baptiſmum fluminis eſſe primum & maximè neceſſarium Sacramentum, ſicut Euchariſtia eſt excellentiſſimum. Dicitur eſſe *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ. Catechiſ. Rom. p. 2. c. 2.* ſeu: *eſt Sacramentum novæ Legis à Chriſto inſtitutum, quod conficitur per exteriorem corporis ablutionem cum aqua elementari ſub præſcripta verborum forma, ſignificante & cauſante gratiam ac interiorem animæ ablutionem.* Quæ ſit Baptiſmi materia, forma, miniſter, neceſſitas, & hujusmodi, Theologis, præcipuè Moralibus, relinquenda ſunt. Dixi; *fluminis*, ſeu aquæ. Siquidem & alius datur baptiſmus duplex, impropriè tamen & Metaphoricè acceptus: unus vocatur *Sanguinis*, & eſt Martyrium, quod ſuſtinetur pro fide aut Chriſto, confértque gratiam ſanctificantem ex opere operato, uti Sacramenta. Alter *Flaminis*, ſeu Spiritûs S. à quo inſpiratur: conſiſtit in contritione, vel dilectione Dei ſuper omnia, præſertim illâ, quæ præcedit realem Sacramenti Baptiſmi perceptionem, atque hujus votum includit, verèque juſtificat, ac vicem ſupplet Baptiſmi aquæ. Neuter eſt Sacramentum propriè, & neuter excuſat â reali ſuſceptione Baptiſmi fluminis, ſuppoſitô, quòd iſte ſuſcipi poſſit. *can. 149. d. 4. de conſ.*

¶ Sc. 2. Effectus Baptiſmi eſſe ſequentes. 1. Confert

per

per se primam gratiam sanctificantem cum habitibus fidei, spei, charitatis. 2. Remittit non solùm peccatum originale, &, si baptizetur adultus habens attritionem de actualiter commissis, actualia, sed etiam delet totum reatum pœnæ peccatis debitæ, licèt non pœnalitates. 3. Imprimit animæ characterem indelebilem, vi cujus reiterari nequit Baptismus in aqua collatus. Habentur hæc *c. 3. h. t. in Concil. Florent. Decret. Fid. Trident. s. 5. can. 5. s. 6. c. 14. de Justif. s. 7. can. 9. de Sacram. in gen.* Præterea est janua vitæ spiritualis, & baptizatum efficit de corpore Ecclesiæ, hujusque jurisdictioni subjicit. *c. 3. & Conc. Florent. cit.* Trident. *s. 14. de Pœnit. c. 2.*

TITVLVS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

SUMMARIUM.

1. *Ordo non-baptizato collatus non valet; quamvis præsumatur baptizatus, qui ex Christianis natus inter Christianos conversatus est.*

SCiendum, cùm Baptismus fluminis janua sit aliorum Sacramentorum. *c. 2. de cognat. spirit. in 6.* Trid. *l. cit.* ita ut illo non tinctus nullum Sacramentum percipere possit validè, nec Evchariſtiam, quæ tamen conficitur extra actualem usum & susceptionem, nisi materialiter tantùm, ideo in *c. 1. & 3. h. t.* declarari, Sacramentum Ordinis, non-baptizato collatum, non esse validum, &, quod indè sequitur, actus illius, qui dependent à valore Ordinis, esse pariter invalidos, uti est Absolutio à peccatis, confectio Evchariſtiæ. Quamvis autem talis non adstringatur voto solenni castitatis, quia Ordo fuit nulliter collatus, cui est annexum, videtur tamen

tamen edidisse votum simplex castitatis, quod potuit edere. *arg. c. 12. de Convers. conjug.* Cœterùm si quis ex parentibus Christianis natus, & inter Christianos est conversatus, præsumptio Juris est tam violenta, eum fuisse baptizatum, ut pro certitudine habeatur, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur. *c. 3. cit. in fine.*

TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

SUMMARIUM.

1. *Ubi & quomodo Eucharistia, Chrisma, Sacramentalia, & sacra supellex asserventur.*

1 SCiendum, in hoc Titulo præcipi 1. ut in Ecclesijs Eucharistia, Chrisma, & alia Sacramenta, seu potiùs Sacramentalia, Sacramentorum usibus deputata, uti oleum infirmorum pro extrema Unctione, oleum catechumenorum pro Baptismo, sub fideli custodia conserventur & custodiantur adhibitis clavibus, quas detineat Parochus vel Rector Ecclesiæ (nunquam autem Laicus) atque negligens puniatur. 2. Ne profana supellectilia reponantur in Ecclesiis (extra casum necessitatis) & ut Oratoria, vasa, corporalia, purificatoria, & reliqua Ecclesiæ, uti & Ministrorum vestimenta, munda & nitida sint. Quod quidam Parochi sibi notent, qui subinde nec ædituos suos ad debitam curam adstringunt, nec ipsi mundiciem cordi habent. Quare fit, ut paramenta sordida aspicientibus nauseam, sacrificantibus autem Purificatoria & Corporalia sordida creent horrorem. Porro Eucharistia asservari potest & debet in solis Ecclesijs Parochialibus, Cathedralibus, & Regularibus, quia præ-

præcipuè asservatur in usum infirmorum, & quidem in mundo tabernaculo (in quo nihil aliud, neque Chrisma, aut olea sacra, reponatur) ac in pixide deaurata cum lumine perpetuo. Ne autem consecratas species Evcharisticas contingat corrumpi, sæpius & fere singulis septimanis antiquæ sumi, & novæ consecrari debent.

TITULUS XLV.

De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum.

SUMMARIUM.

1. *Quid sint Reliquiæ. Quid & quotuplex cultus. Quinam dicantur Sancti. Quinam Beati.*
2. *Quid de Sanctis, eorumque Reliquiis sit hìc statutum.*

SCiendum, per *Reliquias* intelligi corpora Sanctorum, vel eorum partes, utì ossa, carnes, capillos, dentes, cineres, item vestes, rosaria, aut alia eorum usu vel attactu sacrata, pariter instrumenta Martyrii, puta cruces, funes &c. quin & sepulchra &c. Idem est de armis Passionis Christi, vestibus &c. Christi & B. Virginis. *Veneratio* seu *Cultus* Sanctorum alius est *publicus*, qui fit nomine Ecclesiæ, tanquam institutus ab ea, sive dein in loco publico & coram aliis fiat, sive occultè. Alius verò *privatus*, qui non exhibetur nomine Ecclesiæ, & tanquam ab ea institutus, sed ex privata devotione colentis, v. g. per preces, jejunia, mortificationis opera, sive in occulto, sive aliis videntibus exhibeatur. Quisquis autem cultus defertur Sanctis, non *Latriæ*, qui soli Deo competit, sed *Duliæ* tantùm est, tanquam amicis Dei & interccssoribus exhibitus. *Sancti* rursus sunt in duplici classe, alii, qui quidem cum opinione vel fama sanctitatis, vel etiam miraculorum, decesserunt ex hac vita,

vita, canonizati tamen vel beatificati, seu in numerum Sanctorum vel Beatorum ab Ecclesia ritè relati non sunt. Alii verò ab Ecclesia ritè *canonizati* vel *beatificati*, & sic publicæ venerationi expositi sunt. Canonizare, & beatificare spectat ad solum Pontificem. Inter Canonizatos & Beatificatos hoc est discrimen, quòd illos omnibus per universam Ecclesiam quocunque cultu duliæ publico colere liceat, istos verò nonnisi quibusdam, in certo loco, & illis modis, quos & quibus Pontifex specialiter permisit: hinc, nisi Pontifex specialiter concesserit, Beatificatos publicè colere non licet in locis & personis aliis, quàm ubi & quibus permissum est, nec alio modo, v. g. per imagines & picturas publicè in Oratoriis vel Ecclesis appensas, per erectionem altaris, per recitationem Breviarij, per celebrationem Missæ aut Festi, per appositionem Nominum in Calendario, per expositionem Reliquiarum, per invocationem in publicis precibus, nisi similia indulgeantur in specie. Sic enim declaravit S. Congregatio approbante Clemente X. 27. Sept. 1650. Si tamen indultum fuerit, ut de Beato aliquo celebretur Missa, licitum est ejus imaginem super altare exponere, uti & Reliquias, prout declaravit eadem Congregatio.

2 Dico. In hoc Titulo prohibetur 1. Ne aliquis pro Sancto colatur non-canonizatus, seu absque auctoritate Ecclesiæ Romanæ, scilicet cultu publico: privatus enim non censetur prohibitus. 2. Ne Reliquiæ antiquæ ostendantur extra capsam, vel exponantur venales. 3. Ne noviter inventæ exponantur publico cultui, nisi priùs approbatæ â Romano Pontifice. Si tamen una cum Reliquijs inveniatur scriptura aut instrumentum publicum, vel aliunde certò constet, eas esse alicujus Sancti antiquitus approbati, sufficit auctoritas Episcopi. Habentur hæc *c.* 1. & 2. *h. t.* Consonat Trident. *s.* 25. *in Decreto de invocatione, veneratione, reliquiis Sanctorum, & sacris imaginibus*, quod utiliter legetur, & populo explicabitur.

Digitized by Google

plicabitur: uti & ea, quæ trado in meo *Curſu Theologiæ Polemicæ p. 2. controv. partic. 2. art. 2.* De ritu canonizandi Sanctos conſulatur P. Schmalzgrueber *h. t. §. 1.*

TITULUS XLVI.

De Obſervatione Jejuniorum.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Quid & quotuplex ſit Jejunium: quid abſtinentia: quid collatiuncula: quid lacticinia.*
4. *Quinam teneantur certis diebus abſtinere à carnibus, & quinam jejunare, h. e. unam tantùm refectionem adhibere in die.*
5. *Quinam excuſentur à jejunio.*
6. *In diebus jejunij qualis liceat collatiuncula veſpertina.*

SCiendum 1. *Jejunium* in genere eſſe *abſtinentiam à cibis*, ſeu *parſimoniam victûs in quantitate & qualitate.* Eſt duplex, Naturale & Eccleſiaſticum: *Naturale* conſiſtit in abſtinentia ab omni cibo & potu per modum cibi aut potûs ſumpto: cujusmodi præcipitur ante ſumptionem Evchariſtiæ vel celebrationem Miſſæ â media nocte ejusdem diei, & examinatur â Caſiſtis in tractatu de Evchariſtia. *Eccleſiaſticum*, quod ab Eccleſia præſcribitur ſecundùm certam formam. Si Eccleſia præcipiat abſtineri tantùm â certo ciborum genere, nempe à carnibus, uti die Veneris, & ex conſuetudine die Sabbathi, per totum annum, excepto die Natali in hujusmodi diem cadente, vocatur *Abſtinentia.* Si præter carnes vetet ſimul alteram refectionem in die, jubeátque una refectione, integrâ & plenâ, in cibis eſurialibus eſſe contentos, appellatur ſtrictè *Jejunium* ſeu *dies jejunij*:

nij. Tales dies ſunt omnes per Quadrageſimam (exceptis Dominicis, quibus tantùm prohibetur eſus carnium) dies quatuor temporum, nempe Feria 4. 6. & Sabbathum in angariis, vigiliæ Nativitatis Domini & Pentecoſtes, Apoſtolorum omnium (exceptis SS. Philippi & Jacobi in tempus Paſchale, ac S. Joannis Evangeliſtæ, in ferias Natalitias incidentibus) vigilia Aſſumptionis B. V. Mariæ, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Omnium, & pridie S. Laurentij. Si Feſtum, in cujus vigilia celebratur jejunium, cadat in diem Lunæ, anticipatur jejunium in die Sabbathi. *c.* 1. & 2. *h. t.* quia in die Dominica in reverentiam Reſurrectionis Domini nullum celebratur jejunium. *c.* 14. *de V. S. §.* 1.

2 Sc. 2. Prædictum jejunium ſic definiri poſſe: *eſt abſtinentia à certo genere ciborum ſub una refectione ad meridem ſumenda.* Ad ſubſtantiam igitur jejunij juxtà communem DD. requiritur duplex abſtinentia; nempe à *certo genere ciborum*, ſcilicèt à carnibus, ſeu illis cibis, qui ex communi Medicorum & Chriſtianorum judicio ac uſu diſtinguuntur â piſcibus, fructibus, leguminibus, placentis &c. & pro carnibus habentur: item refectio unica, ſeu abſtinentia *à ſecunda refectione*, vel tertiá; ſolùm enim unicam, eámque integram & plenam permittit jejunium Eccleſiaſticum, quæ vi conſuetudinis modernæ debet hodie (ſecluſa cauſa rationabili) ſumi in meridie, olim verò in Quadrageſima debuit inſtitui primùm ad ſolis occaſum; quia verò ſucceſſu temporis vires humanæ tam diuturnam abſtinentiam ægrè tolerârunt, refectio tempore prandij cœpit vi conſuetudinis adhiberi, noctu verò aliqua cœnula, quam vocamus *collatiunculam.* Igitur hæc temporis circumſtantia accidentalis eſt, non de ſubſtantia jejunij, proinde, ſi immutatur absque omni cauſa, v. g. itineris, negotiorum, vel alia, quæ ſufficit, licèt modica ſit, peccatur quidem, at non niſi venialiter: ſi verò carnes in notabili quantitate comedantur, peccatur mortali-

taliter, & quidem toties, quoties ; cùm ſit præceptum *negativum*, obligans pro ſemper : ſi adhibeatur ſecunda refectio, peccatur quidem mortaliter, licèt primùm ad eam perveniatur per plures comeſtiones modicas, quæ coaleſcunt, & ſimul ſumptæ faciunt integram refectionem & plenam. Laym. *l. 4. tr. 8. c. 1. v. quartum.* cum communi ; non tamen toties, quoties : ſed ſemel, ita ut, ſive culpabiliter, ſive inadvertenter aut inculpabiliter, adhibita fuerit altera refectio plena, per tertiam, aut uſum ciborum eſurialium ſubſequentem, non ampliùs peccetur, ſaltem graviter. La Croix *l. 3. p. 2. n. 1265.* cum aliis probabiliter, exiſtimantibus utique, quòd præceptum jejunij quoad hanc partem ſit *affirmativum*, præcipiens, ut homo ſit contentus unica refectione plena : ſi proin adhibeatur altera, jejunium, quoad ſubſtantiam jam deſtructum, non ampliùs urget. Abſtinentia à carnibus fundatur in Jure ſcripto. *can. 4. d. 4. can. 7. 8. 11. d. 3. de conſecr.* abſtinentia verò ab altera refectione in *can. 50. d. 1. de conſecr.* imò magis in traditione & conſuetudine ; cùm clarè in Jure ſcripto non reperiatur. Cæterùm potus non prohibetur in die Jejunij : imò poſt potum licet adjicere unum vel alterum bolum panis, vel electuaria ; quia id fit qer modum medicinæ, ne noceat hauſtus.

Sc. 3. in Quadrageſima de Jure ſcripto etiam prohiberi *can. fin. v. par autem eſt. d. 4. cit.* illos cibos, qui ſementinam carnis originem trahunt, & vocantur *Lacticinia*, uti ſunt lac, butyrum, caſeus, ova. Verùm in noſtris partibus ea permittit conſuetudo. Utrùm verò vi ejusdem conſuetudinis hoc ipſo, quòd permittantur Lacticinia, etiam liceat uſus lardi ſeu pinguedinis porcinæ, ſagiminis, aut adipis anſerum, vel aliorum animalium, cùm propriè caro non ſint, ſed ſolùm ex carne trahant originem, diſputatur in utramque partem. At quia conſuetudo contra legem ſtrictæ interpretationis eſt, & in noſtris partibus non viget quoad dictas pinguedines ;

extendenda non est ad easdem. Putat tamen Laym. *n.* 5. illas à Parocho (vel Confessario) pauperibus ob causam inopiæ, si butyrô careant, concedi posse, imò nec divitem propter illarum usum continuò damnandum esse peccati mortalis, nempe propter auctoritatem Hostiens. Abb. Sylv. Fagund. Dian. qui putant per concessa lacticinia eo ipso concedi memoratas pinguedines.

¶ Dico 1. Abstinere à carnibus tenentur diebus Veneris, Sabbathi, & Jejuniorum omnes, ac soli illi Christiani, qui compleverunt septimum ætatis annum. 2. Ab altera autem refectione, qui compleverunt vigesimum primum (licèt priùs jam sint robusti) nisi aliunde excusentur. 3. Et qui nondum egressi sunt sexagesimum. Pars 1. constat indè, quòd præceptô Ecclesiæ non comprehendantur nisi ratione præditi, quales ante septennium non præsumuntur esse parvuli; hinc ipsis, utì & perpetuò amentibus, licitè apponerentur carnes; quamvis rectè non soleant apponi. Pars 2. ex communi sensu DD. quia minores 21. annis indigent ampliori nutrimento, cùm crescant adhuc: neque Ecclesia attendit ad robustatem, vel consistentiam, quæ per accidens apud aliquos citiùs ádvenit. Pars 3. defenditur â Portell, Jo. Sanch. Palao, Tambur. Burghab. Diana, allegante auctoritatem Pij V. & aliis apud la Croix *n.* 1317. contra Azor, Less. Fagund. Tann. Filliuc. Bonac. Laym. quia ætas ejusmodi senum solet esse infirma, atque indiget cibô frequentiùs sumptô.

§ Dico 2. Excusantur â jejunio aliqui 1. *Impotentiâ* vel physicâ vel morali, utì prægnantes & lactantes fœminæ, infirmi & debiles, convalescentes, qui, nisi cœnent, dormire aut calefieri per majorem noctis partem nequeunt, pauperes cibis ad unam integram ac justam refectionem sufficientibus destituti, v. g. si ordinariè tantùm habeant offam cum olere aut pulmento, vel panem duntaxat, omni alio cibo carentes, conjuges, si alias non possint

ſint reddere debitum &c. 2. *Labore* magnas vires exigente & agitationem corporis vel mentis: unde excuſantur agricolæ, fabri ferrarij & lignarii, ſcriniarij, foſſores, murarij, molitores, ſutores, textores, laniones, piſtores, curſores, iter longum pedibus conficientes, famuli famulæque & alij tantis laboribus diſtenti, ut cum ijs jejunium absque magna difficultate & incommodo conjungi nequeat. Econtra non excuſantur tonſores, ſcribæ, pictores, ſartores, famuli pediſſequi &c. 3. *Pietate:* ſic eos, qui deſerviunt ægris, qui intra hebdomadem ter concionantur, aut per totam diem audiunt Confeſſiones, qui docent pueros in Scholis, imò & Profeſſores Superiorum diſciplinarum, qui exercitationibus ſcholaſticis quotidie diligenter ac operosè incumbunt, excuſant multi; quamvis hi omnes ferè etiam ratione laboris, & fortè præcipuè, excuſentur, cùm illorum labor præſtantiorem corporis ſubſtantiam, nempe ſpiritus vitales, abſumat. 4. *Diſpenſatione*, quam ex juſta cauſa, quæ non omnino ſufficit ex ſe ad excuſandum, vel dubia eſt, non tantùm Epiſcopus, ſed etiam Parochus, & reſpectu Regularium Superiores locales dare poſſunt; Confeſſarij autem potiùs declarant, adeſſe juſtam cauſam excuſantem, quàm diſpenſant. Pro licentia comedendi carnes, licèt adſit juſta cauſa excuſans, debet adiri Parochus, vel Epiſcopus, qui declaret, vel diſpenſet: quod non requiritur in ordine ad ſecundam refectionem, ſi cauſa excuſans eſt certa, adhibendam. 5. *Conſuetudine*, quæ circa jejunium poteſt plurimùm, utì in collatiuncula veſpertina, de qua

Dico 3. Vi conſuetudinis licitum eſt præter unam integram refectionem adhibere veſperi collationem, ſeu cœnulam, ut habet communis, & recepta praxis. Quid autem & quantum liceat ſumere, mirè variant DD. Circa *qualitatem* ciborum multi non improbabiliter cenſent cum Azor. Bonac, Sporer, Burghaber, nihil refer- 6

re, quales ſint cibi, calidi an frigidi, offa, vel piſces, fructus &c. modò non ſint carnes (aut lacticinia in locis, ubi hæc prohibentur) ſed contradicunt ultra 30. DD. apud Dian. niſi conſuetudo ita ferat; qui tantùm permittunt leviores cibos, uti fructus, bellaria, panem, vel, pro more regionis, caſeum. Circa *quantitatem* major adhuc eſt judiciorum diverſitas: aliqui ſtatuunt abſolutam, & reſpectu omnium æqualem, v. g. mediam libram, quæ apud nos ſunt 8. unciæ, nam 16. unciæ (ſeu 32. ſemiunciæ, Loth) faciunt libram: alij verò reſpectivam, & 8. uncias v. g. permittunt illis, qui valde multô indigent cibô, alijs verò tantùm 6. vel etiam 4. uncias: ſic plurimi permittunt quartam partem (alii quintam, alij tertiam) juſti prandij, vel cœnæ integræ ac plenæ, quæ cœna vel prandium cùm reſpectu diverſorum diverſam ciborum quantitatem exigat, etiam quarta illius pars reſpectu diverſorum non erit eadem. Quia verò communiter & ordinariè pro cœna integra ſumi ſolent duæ libræ, â multis abſolutè & generaliter media libra permittitur, licèt fortè per intemperantiam in prandio ità quis ventrem replêſſet, ut hoc pacto non ſentiat difficultatem jejunij, vel per accidens dicta quantitate ſe ſatiaret. Optimè attenditur conſuetudo timoratorum, quæ ſicut ipſam collatiunculam introduxit, ita & moderatur. Siquis hanc quantitatem excedat, peccat magis vel minùs, prout fuerit exceſſus.

TITULUS XLVII.

De Purificatione poſt Partum.

SUMMARIUM.

1. *Purificatio poſt Partum quid.*
2. *In Novo Teſtamento non eſt ſub præcepto.*

Scien-

Digitized by Google

SCiendum, ſicut jejunia in reverentiam Feſtorum Chriſti, B. V. Mariæ, & Sanctorum ſunt introducta, ita *Purificationis* ceremonias poſt partum in reverentiam templorum ab Eccleſia conſuli, quæ in veteri Teſtamento fuit ſub præcepto Divino, vi cujus debebant fœminæ, quæ pepererunt marem, 40. diebus, quæ fœminam, 80. abſtinere ab ingreſſu templi propter immunditiem corporalem, quæ eo tempore cenſebatur perdurare. *Levit.* 12. quo finito offerentes Deo agnum anniculum pro holocauſto, & pullum columbæ vel turturem pro liberatione ab immunditia legali, redimebant in templo infantem, ſi adhuc vixiſſet, Deo oblatum. 1

Dico. Purificatio poſt partum in novo Teſtamento conſilii eſt, non præcepti. Ut adeò mulieribus, ſi velint, & per vires poſſint, ſtatim poſt partum de Jure ſcripto liceat templum ingredi, ſicut priùs; quamquam ad imitationem B. Virginis, quæ, licèt non fuerit obligata, ex ſubmiſſione tamen & devotione ſe ſubjecit legi Purificationis, rectè abſtineant per aliquod tempus ab ingreſſu templi in hujus venerationem. Atque ſic diſpoſuit *c. un. h. t.* imò conſuetudo, quæ meò judicio apud nos cum opinione obligationis videtur eſſe introducta, habet paſſim, ut per aliquot ſeptimanas abſtineant ab ingreſſu Eccleſiæ, & poſt illas à Parocho (non enim id permiſſum eſt Religioſis, utpote jus parochiale) in illam introducantur prævia benedictione & cum ceremoniis, offerentes propterea eidem honorarium. Oppones. Purificatio poſt partum eſt præcepta à Deo. *Levit.* 12. *v.* 2. ergo eſt ſub præcepto Juris Divini. R. hoc Dei præceptum fuit Ceremoniale, per Chriſti mortem & Legem Gratiæ extinctum. Urgebis: ſi fuit lex ceremonialis, neque licitum eſt illam in novo Teſtamento obſervare, tanquam mortiferam, & non tantùm mortuam: ſic Circumciſione, Agni Paſchalis eſu &c. non licet uti. R. non omnes leges ceremoniales antiqui Teſtamenti hodie ſunt mortiferæ, ſed tantùm *typicæ*, quæ nimirum præfigura- 2

bant aliud à Christo subrogatum loco veteris ceremoniæ, uti erat lex Circumcisionis, esus Agni Paschalis &c. non autem *religiosæ*, qualis est lex Purificationis post partum, lex decimarum &c. sunt mortiferæ: quæ posteriores propterea in novo Testamento resuscitari possunt, vel permitti.

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

SUMMARIUM.

1. *Quid & quotuplex sit Ecclesia in hoc loco.*
2. *Quid requiratur, ut ædificetur Ecclesia nova:*
3. *Maximè Parochialis intra fines alterius parochiæ.*
4. *Ecclesia Parochialis, & domus Parochi, à quibus repari debeant, si sint ruinosæ.*
5. *An concurrere debeant Patroni & Decimatores.*

1 SCiendum, per *Ecclesiam* hìc intelligi locum, in quo conveniunt Fideles non tantùm ad orandum, sed etiam ad audiendam Missam & Verbum Dei, atque ad percipienda Sacramenta (de quibus actum est in superioribus Titulis) qui auctoritate Episcopi constitutus, & consecratus, vel benedictus sit. Dividitur in *Cathedralem*, ubi Episcopus tanquam caput speciale, & Canonici tanquam membra constituunt unum corpus: in *Collegiatam*, ubi inferior Prælatus velut caput & Canonici vel alii Clerici velut membra efficiunt unum corpus, communi sigillo & arca instructum: si spectet ad Religiosos, appellatur *Regularis*, aut, si habeat Capitulum cum Superiore, *Conventualis*: denique in *Parochialem*, ubi unus tanquam Rector curam animarum exercens præest po-

populo per certum districtum ab Episcopo designatum. Ecclesia Cathedralis propriè dicitur *Matrix*, & est respectu omnium Diœcesis illius, licèt ex usu etiam inferiores, quæ alias Ecclesias sibi habent subjectas, vocentur hoc nomine, quia sunt quasi Matres, subjectæ autem appellentur *Filiales*. Hic disquiritur 1. quid requiratur, ut ædificetur nova Ecclesia, præsertim Parochialis. 2. Penes quos sit obligatio reparandi Ecclesias Parochiales, uti & Parochorum ædes, si evadant ruinosæ, vel omnino destruantur, vel collabantur; super hoc enim magnæ & frequentes oriuntur lites.

Dico 1. Ut ædificetur Ecclesia nova, requiritur 1. Justa causa, v. g. si populus indigeat loco sacro. 2. Consensus (saltem tacitus aut subsequens) Episcopi; qui tamen requisitus illum absque causa rationabili negare nequit. 3. Locus congruus, in quo Episcopus vel per se vel per alium figat priùs crucem, & primum lapidem ponat. 4. Absentia præjudicii alterius Ecclesiæ, quale tamen esse non censetur imminutio concursûs populi ad talem Ecclesiam. 5. Competentis dotis assignatio. Text. & DD. *in c. fin. h. t. c. 4. de privil. in 6. can. 9. d. 1. de Consecr. can. 43. 44. caus. 16. q. 1. Nov. 67. c. 2.* Præterea mos est & traditio antiquissima, ut Ecclesiæ ædificentur in formam navis oblongam, & ut altare summum collocetur versùs Orientem. Sed hæc necessaria non sunt, & sæpe aliud suadet vel exigit commoditas loci aut decens fabricæ proportio. Dotem constituere debet fundator, vel ejus hæres. *c. 8. de consecr. Eccl. Nov. 67. cit.* Si verò sine dote ædificari permisit Episcopus & consecret, ipse dotare tenetur. *c. 8. cit.* intellige, si habeat bona propria; nam delictum personæ non debet redundare in præjudicium Ecclesiæ. Dos autem debet esse tanta, ut reditus annui sufficiant ad luminaria, sacrum ministerium, custodiam custodúmq; stipendia. *can. 9. & Nov. 67. citt.* olim erat mansus ad minimum unus, liber ab omni onere temporali, seu tanta pars agri fer-

tilis, quam unum par boum per annum colere possit, *text. & gl. in c. 1. de cens.* Hodie relinquitur arbitrio Episcopi determinanda. Dixi, ut *ædificetur Ecclesia nova;* nam Oratoria privata, ubi tamen Missa non celebretur, quilibet domi suæ absque consensu Episcopi erigere possunt. *can. 33. d. 1. de consecr.*

3 Dico 2. Ut ædificetur Ecclesia nova Parochialis intra fines alterius Parochiæ, requiritur, & sufficit 1. Justa causa, qualis est difficultas parochianorum magna in adeunda Ecclesia Parochiali pro audiendis & percipiendis Divinis, v. g. ob nimiam distantiam, interjacentem fluvium, periculum, ne quis decedat sine Sacramentis &c. & tali casu etiam erit obligatio erigendi novam parochiam cum Sacerdote curato, licèt arbitrari de periculo aut incommoditate spectet ad Episcopum. 2. Ut saltem 10. familiæ adsint pro nova parochia. 3. Ut accedat consensus & auctoritas Episcopi. 4. Consensus Capituli, nisi Episcopus procedat ut delegatus Papæ, uti si erigeretur in loco exempto. 5. Ut audiatur parochus antiquus, & alii, quorum interest scire, uti Patronus, licèt eorum consensus non sit necessarius; nisi fortè Patroni, si ex priori Ecclesia constituatur dos. 6. Ut Parocho antiquo relinquatur jus præsentandi ad novam parochiam, si nempe hæc ædificetur vel dotetur ex reditibus antiquæ Ecclesiæ. 7. Ut antiquæ Ecclesiæ servetur competens honor, ab Episcopo determinandus, v. g. census aliquis annuus assignetur. 8. Ut novæ Ecclesiæ statuatur competens dos, nempe sufficiens ad luminaria, ministeria sacra, sustentationem Ministri congruam, assignanda ab Episcopo ex reditibus Ecclesiæ antiquæ seu Matricis, salvâ tamen congruâ Parochi antiqui, vel, si illi non sufficiant, dotare debent novi parochiani, aut, si hos excusset inopia, Abbas vel alius, cui Ecclesia in temporalibus subjecta est, atque his omnibus deficientibus ipse Episcopus, si commodè potest, etiam ex reditibus suæ mensæ. Trid. *sess.* 21. *c.* 4. *de Ref. c. ad audien-*

dientiam 3. & c. fin. h. t. & ibi Fagn. ac alii DD. Item *c. 3. 9. de his, quæ fiunt à Præl. can. 3. cauſ. 10. q. 3. can. 9. cit.* Porro quid requiratur, ut exſtruatur Eccleſia Regularis, Monaſterium, vel domus Religioſorum nova, dixi *Tit. 36. de Relig. Dom. n. 3.* & fuſiùs pertractat Reiffenſtuel *h. t. à n. 29.*

Dico 3. Eccleſia Parochialis collapſa, vel collapſura (idem eſt de ædibus Parochi, Pfarrhoff / juxta communem ex declaratione Cardin. prout vult Barb. & alii *ex c. 1. h. t. & c. fin. de Teſtam.*) reparari ac inſtaurari de Jure debet 1. Ex ipſius Eccleſiæ reditibus, ſi quos & ſufficientes habeat pro fabrica & neceſſitatibus ſuis deſtinatos. 2. His deficientibus ex toto vel ex parte, contribuere & concurrere debent Parochus & Beneficiati de proventibus Beneficialibus, ſi habeant redundantes ultra congruam ſuſtentationem, item Patroni (& alij quicunque) qui fructus aliquos ex tali Eccleſia quomodocunque provenientes percipiunt, pro rata redituum. 3. Si nec Parochus & Beneficiati talis Eccleſiæ habeant ſuperflua, nec Patroni aut alii ex ea aliquid percipiant, reparatio incumbit parochianis (attentis tamen ſingulorum facultatibus) in quorum gratiam reparanda eſt Eccleſia, utpote percipientium ibi Sacramenta & alia Divina. Habentur hæc *can. 10. q. 1. can. 1. ſeqq. q. 3. cauſ. 10. c. 1. 3. 4. h. t. Trid. ſ. 21. c. 7. de Ref.* Ante prædictos omnes obligantur, qui vel ex conventione, vel ſtatuto, vel conſuetudine ad reparationem adſtringuntur. Sic in Archidiœceſi Moguntina vi conſuetudinis dicuntur Decinatores indiſtinctè obligari ad Eccleſiæ Chorum, communitas verò ad Navim illius reparandam. Caſu quo autem nemo ex prædictis foret obligatus ob notoriam paupertatem &c. nec ſpes reparationis ſubeſſet, deberet Eccleſia omnino deſtrui, erectâ tamen ibidem cruce, ac ejus jura ad Matricem, vel viciniorem Eccleſiam deferri auctoritate Epiſcopi. Trid. *lo. cit.* De reparatione Eccleſiæ Cathedralis, a quibus facienda ſit, vide-

videre potes apud P. Schmalzgrueber *h. t. n. 40. seq.* Ex quibus

Quæres, an ergo & quando ad reparationem Ecclesiæ teneantur Patroni, & Decimatores? R. 1. Patroni, seu habentes jus Patronatûs, probabiliùs non tenentur, nisi quando pensionem & reditus aliquos percipiunt; tunc enim pro rata, si reditus fabricæ & alius reparator desint, tenentur concurrere. Lambertin. *de Jur. Patr. l. 3. q. 7. a. 2. n. 5.* Zypæus *in Analysi h. t. n. 12.* Prior pars probatur negativè, posterior insinuatur in Trid. *loc. cit.* R. 2. Decimatores Ecclesiastici, seu qui decimas à spirituali titulo non separatas percipiunt, obligantur concurrere. per Trid. *cit.* quia tales decimæ sunt bona Ecclesiæ, quæ indiget reparatione. At Decimatores Laicales, seu qui decimas sæcularizatas percipiunt, sive sint Laici sive Ecclesiastici (secluſa consuetudine contraria) probabiliùs non obligantur. Navar. *de redit. Eccl. n. 5. 57.* &, ut testis est Zypæus *de Paroch. Consultat. 4. n. 2.* plerique DD. ex ea ratione, quia tales decimæ ab Ecclesia & titulo spirituali avulsæ non ampliùs sunt bona & proventus Ecclesiæ, sed bona temporalia, & instar patrimonialium percipiuntur absque onere bonis ab Ecclesia provenientibus annexo ab illis, qui tales decimas colligunt. Decimæ autem pleræque omnes, quæ â Laicis percipiuntur, in Bavaria censentur esse penitus sæcularizatæ & omnino Laicales teste Cancellar. Schmid *Semicent. 2. Controv. 26. n. 7.* Si tamen observantia vel consuetudo alicujus loci habeat, ut concurrant etiam Decimatores, qui Laicales obtinent decimas, laudabiliter adiguntur ad concurrendum: & adhuc laudabiliùs sponte concurrunt etiam secluſa consuetudine.

TITU-

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium.

SUMMARIUM.

1. *Immunitas Ecclesiastica quid, & quotuplex.*
2. *Localis in quo consistat.*
3. 4. *Maximè prout est asylum.*
5. *Quæ quæstiones hìc tractandæ.*
6. 7. *Imunitas asyli est Juris Ecclesiastici.*
8. *Favorabilis & latæ interpretationis.*
9. *Quibus locis concessa:*
10. 11. *Et quibus personis.*
12. 13. *An etiam Clericis, & Religiosis.*
14. *Quæ delicta privent asylô.*
15. *Quando privet occisio vel mutilatio facta in Ecclesia vel Cœmeterio.*
16. *Seqq. Quid requiratur ad homicidium proditorium, ut excludat asylô.*
20. *Nullum delictum, in Constitutione Gregorij XIV. non expressum, privat asylô.*
21. 22. *Quid agendum, si confuga ad Ecclesiam commisit delictum asylô excludens. Sive id certum sive dubium sit.*
23. *An ad extradendum, vel extrahendum, requiratur licentia Episcopi.*
24. *Pœnæ in violatores asyli statutæ.*
25. *Immunitas Ecclesiastica Realis.*
26. 27. *Quotuplicis generis sint onera, tributa &c.*
28. *Ab oneribus personalibus immunes sunt Clerici & Religiosi.*
29. 30. 31. *An etiam, & à quibus oneribus realibus vel mixtis:*

32. 33. 34. *Et ab accisis, steuris, gabellis, indebitis, vectigalibus &c.*
35. 36. *An ab onere concurrendi ad opera publica.*
37. *Pœnæ in violatores Immunitatis Ecclesiasticæ Realis statutæ.*
38. *Quæ etiam Jure Divino est introducta.*

1 ECclesiarum, de quarum constructione & reparatione primùm egimus, præcipuum privilegium est *Immunitas*, quæ vox significat exemptionem & libertatem à *munere*, seu onere, quo alia loca, res, vel personæ premuntur. *arg. l. 1. ff. de Jure Immunit.* Hæc igitur vox usurpari solet ad denotandam exemptionem, qua gaudent Ecclesia, Res, & Personæ Ecclesiasticæ, quamque vocamus *Immunitatem Ecclesiasticam*: hanc multi & sæpe confundunt cum *Immunitate Ecclesiarum*; sed re vera, si accuratè loqui velimus, discrepant; nam *Immunitas Ecclesiastica* complectitur tanquam genus tres species, Immunitatem Personalem, Realem, & Localem, atque sic definitur: est *jus seu exemptio, qua personæ, res, vel loca Ecclesiastica à muneribus & oneribus sæcularibus libera sunt*: econtra *Immunitas Ecclesiarum* una ex illis est species, nempe Immunitas *localis*. Item Immunitas Ecclesiastica solet adhiberi magis propriè ad exprimendas reliquas duas species, nempe Immunitatem *Personalem* & *Realem*, seu competentem Personis Ecclesiasticis, & Rebus ad has personas vel ad Ecclesias pertinentibus. Nos in hac ampliſſima materia, & scitu digniſſima, imò necessaria, ne nimis prolixi simus, faciemus selectum nobiliorum quæstionum, & doctrinæ utilioris compendium. Sequemur autem ordinem Rubricæ, & in §. 1. agemus de Immunitate *locali* Ecclesiarum &c. & in §. 2. de Immunitate *Reali*, sive rerum ad Ecclesias & Clericos pertinentium. De Immunitate autem *Personali* jam disseruimus copiosè ad *Tit. de For. Comp. à n. 11. usque ad n. 28.*

§. 1.

Digitized by Google

§. I.

De Immunitate Locali Ecclesiarum &c. & Jure Asyli.

SCiendum 1. Immunitatem *localem* Ecclesiarum esse 2
exemptionem seu privilegium, vi cujus omnes actus profani & sæculares, qui sine indecentia & irreverentia loci sacri non fiunt, in ijsdem exerceri prohibentur, ac insuper asylum seu securitas præstatur ad eas confugientibus. Actus hujusmodi sunt non tantùm ex natura sua peccaminosi, uti est occîdere, furari &c. in Ecclesia, qui sæpe propter irreverentiam loco sacro exhibitam, si fiant in Ecclesia, præter propriam malitiam etiam sacrilegi evadunt; verùm etiam aliàs & per se liciti, uti in specie 1. *placitum*, seu quidquid ad strepitum judicialem pertinet; ita ut non Judicia Criminalia tantùm & sanguinis absque pœna excommunicationis, sed etiam Civilia â Laicis absque peccato sacrilegij, ac sine actuum & processuum invaliditate exerceri in Ecclesijs nequeant. *c.* 1. & 5. *X. c.* 2. *in* 6. *h.t.* Ijsdem tamen Laicis non sunt prohibiti actus jurisdictionem contentiosam non requirentes, nec personis Ecclesiasticis judicia Ecclesiastica. per *c.* 25. *de Appell.* quamquam & ista in locis sacris celebrare minùs sit conveniens. 2. Contractus, negotiationes, mercaturæ &c. *c.* 2. *cit.* qui tamen actus non sunt irritati à Jure, si fiant in Ecclesijs vel cœmeteriis: imò consuetudo excusat à peccato illos, qui candelas vel alia ad pietatem servientia ad januam Ecclesiæ vel in cœmeterio vendunt absque strepitu & perturbatione rei Divinæ & devotionis fidelium. 3. Congregationes & concilia collegiorum & communitatum Sæcularium. *c.* 2. *cit.* si instituantur propter negotia profana. 4. Ludi theatrales & spectacula vana, choreæ

& can-

& cantus ad oblectationem præcisè ordinati, & non ad pietatem. *can.* 1. *d.* 92. *c.* 12. *de vita & honeſt. Cler.* Denique & ſingulariter 5. omnis violentia, per quam reus ad Eccleſiam confugiens indè abſtraheretur, & ſic violaretur aſylia ſeu jus aſyli. De hoc

Sc. 2. Immunitatem Eccleſiarum pro *Aſylo* ſumptam, ſeu *Jus Aſyli* vel *Aſyliam*, die Freyung / eſſe privilegium, quo Reis ad Eccleſiam confugientibus, præſtatur ſecuritas, ut indè vi & violentiâ extrahi non poſſint, maximè ut tuti ſint in vita & membris. In re communis. Quid veniat nomine *Reorum*, *Eccleſiæ*, *Violentiæ*, & *Extractionis* prohibitæ, patebit ex dicendis. De hoc jure Aſyli exſtat famoſa Conſtitutio Gregorij XIV. quæ incipit *Cùm aliàs*, edita anno 1591. continens jus noviſſimum in hac materia, atque eum in finem promulgata, ut ſublatis dubiis & variis abuſibus deinceps haberetur certa norma, ſecundùm quam reguletur aſylia. Igitur præſtat ipſam audire, quæ ſic loquitur: *Hac itaque noſtra perpetuò valitura conſtitutione omnia & quæcunque privilegia - - - ſublatâ penitus omni differentiâ ita ad unam tantùm formam reducimus & moderamus, ut Laicis ad Eccleſias, locáque Sacra & Religioſa confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarúmque graſſatores, qui itinera frequentata, publicásque ſtratas obſident, ac viatores ex inſidijs aggrediuntur: aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſijs, earúmque cœmeterijs committere non verentur: aut qui proditoriè proximum ſuum occíderint, aut aſſaſſinij, vel hæreſis, aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiúsmet Principis rei; immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed univerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæterisque Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatis, tam Sæcularibus, quàm cujuscis Ordinis Regularibus, diſtrictè præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut*

Lai-

Laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supradicta Sacra, seu Religiosa, respectivè confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquod judiciò juò commisisse videbuntur, quando à Curia Sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris & Officialibus Curiæ Sæcularis absque irregularitatis nota, aut alicujus censuræ Ecclesiasticæ incursu, tradi & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet & faciat. Ne autem Curiæ Sæcularis prædictâ Ministri facultate illos per se & propria auctoritate extrahendi & abducendi, sibi olim, ut præfertur, attributâ, & per præsentes revocatâ abutantur, volumus, dictáque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia sæcularis, ejusque Judices & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris prædictis Laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus suprà dictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ, ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarij sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores ab hac sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat ----- capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superiùs expressis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi intervenire, & assistere recusârint, tuncque reverentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quo id fieri poterit, scandalo & tumultu extrahere curent. Quòque delinquentes Laici prædicti, postquam, ut præfertur, ab Ecclesijs locisque extracti & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto & firmo carcere, ac opportunâ custodiâ, datâ illis,

si opus

ſi opus fuerit, per Curiam ſæcularem, detineri debeant, nec indè extrahi, curiæque ſæculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperius expreſſa commiſerint: tuncque demum de mandato Epiſcopi per Judicem Eccleſiaſticum Curiæ ſæculari, quacunque appellatione ſepoſita, conſignentur. De crimine verò hæreſis cognitio ad forum Eccleſiaſticum tota pertineat ---- Quodſi quis quacunque dignitate & auctoritate præditus, præmiſſorum, aut alio quovis prætextu quidquam præter, aut contra hujus noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus, eum ipſo facto cenſuras & pœnas incurrere, quæ contra libertatis, Juris, immunitatis Eccleſiaſticæ violatores, per ſacros Canones, & Conciliorum Generalium, noſtrorumque Prædeceſſorum conſtitutiones ſunt promulgatæ. --- Nec non irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his per quoscunque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Atque hæc Conſtitutio Gregoriana, ſicut pro univerſo mundo Chriſtiano condita eſt; ut ſublatâ omni differentiâ uniformitas ubique obſervetur circâ immunitatem localem Eccleſiarum &c. ita teſte Delbene *de Immunit. c.* 16. *dub.* 4. allegante communem DD. ubique obſervanda, & ejus diſpoſitione in utroque foro ſtandum eſt. Certè in noſtris partibus eam in viridi obſervantia eſſe videmus.

4 Sc. 3, Commoda aſyli, favores, & effectus Immunitatis localis eſſe ſequentes; in *can.* 6. 8. 9. 35. 36. *cauſ.* 17. *q.* 4. *c.* 6. *h. t. Conſtitut. Gregor. cit. l.* 2. 3. *& 6. C. de his, qui ad Eccleſ. confug.* proditos. 1. Confugientes ad Eccleſiam recipi debent, nec repelli vel excludi poſſunt: ſúntque tamdiu retinendi, donec Rei ſponte velint egredi, vel tutò in alium locum transportari vel fugere valeant, nullo modo autem tradendi Judici ſæculari ad examen &c. niſi is juratò promiſerit impunitatem vel reſtitutionē: imò non facilè etiam tali promiſſiò

hem

ni juratæ acquiescendum Judicis inferioris, qui jus aggratiandi, seu pœnam ordinariam remittendi non habet. Sed fortè & hoc est prohibitum, uti in fine hujus *sciendi* notabo. 2. Alendi sunt ex bonis Ecclesiæ, Monasterii &c. si ex bonis propriis non habeant alimenta, vel à consanguineis habere nequeant: poterunt tamen postea ab ipsis factæ expensæ repeti, si solvendo sint, vel labor exigi, vel servitium, quo data ipsis alimenta compensentur. Nec illicitum est Rectoribus Ecclesiæ suadere, ut discedant, si securam & absque periculo in alium locum perveniendi viam faciant vel ostendant. 3. Impediendi non sunt, quò minùs vestes, victualia, & alia, quibus indigent, ad se deferri curent: vel ne egrediantur (ad 30. etiam passus) ad exonerandam naturam, si in asylo locus conveniens pro his necessitatibus non sit. Prohibitum tamen Magistratui Sæculari non est Ecclesiæ custodiam militarem apponere ad capiendos reos, si fortè egressi fugere vellent. 4. Existentes in loco asyli capi, vinculis constringi, carcerari, aut vi indè abstrahi nullatenus possunt, licèt fieret securitatis gratiâ, vel sub prætextu, ne aufugerent, dum res examinatur ab Episcopo, ut habet communis contra Clarum & Farinac. cùm Judex Laicus non habeat potestatem exercendi jurisdictionem in alieno, nempe Ecclesiæ territorio. Extracti autem per vim, vel etiam consentientes (cùm immunitas hæc localis sit, non personalis, adeóque non abdicabilis à personis) restitui deberent ante omnia eidem Ecclesiæ, si peteret, vel alteri, in qua æquè forent tuti: omnésque actus, & totus processus contra taliter extractos, vel captos institutus, irriti essent ac nulli. Cum hoc tamen stat, posse existentes in loco asyli precibus, blanditijs, promissionibus (absque dolo tamen) etiam à Judice alicui ad prodeundum: imò licèt dolo vel mendaciis à non-Judice induceretur aliquis ad egrediendum. v. g. dicendo, *nemo est foris, tuta ad fugam via patet: audivi à Judice, vel alijs fide dignis, te nihil passurum in vita vel membris, aut gravi pœna non afficiendum &c.*

capi poſſet à Magiſtratu Sæculari, & debitè puniri. Pirhing *h. n.* 42. Haun. &c. ſibi enim imputare debet, quòd alteri crediderit: aliud foret, ſi ipſe Judex dolo & fallacijs, licèt absque promiſſione prolatis, induceret ad egrediendum; tunc enim reſtitui aſylo deberet: cùm fraus & dolus nemini debeant patrocinari, & Jura ſubveniant deceptis, non decipientibus. Pirh. *ibid.* & alij communiter. 5. Exiſtentes in aſylo condemnari nequeunt ad mortem, vel aliam pœnam corporalem gravem, puta exilij, triremium, ſervitutis &c. poſſunt tamen affici pœnâ Eccleſiaſticâ, vel multari pœnâ pecuniariâ, vel aliâ competenti & leviter corporis afflictivâ, ſed per Judicem Eccleſiaſticum, ut habet communior cum Farinac. & Palao: vel compelli ad ſatisfaciendum læſis per pecuniam: quare & executio licitè fit in eorum bonis, ſi habeant. Ubi autem exiſtens in Aſylo fuit condemnatus ad pœnam pecuniariam vel aliam, poſtea egreſſus condemnari non ampliùs debet ad mortem vel aliam pœnam; quia per ſententiam ſuper aliquo crimine latam exſpirat officium & poteſtas Judicis. *l. Judex* 55. *ff. de re Jud.* Farinac. *in Append. de Immunit. c.* 21. *n.* 340. Palao & alij. Interim, teſte P. Wieſtner *h.t. n.* 157. alios allegante, conſuetudine in quibusdam locis receptum eſt, ut Curia Sæcularis contra exiſtentem in Aſylo procedat per inquiſitionem & citationem, atque in non comparentem habitâ ſufficienti probatione delicti ſententiam proferat, licèt exequi non poſſit. 6. Spoliari rebus ſuis, ſecum in locum aſyli delatis, nequeunt. 7. Cognitio ſuper immunitate hac ad ſolum Epiſcopum, vel ejus Vicarium Generalem pertinet, ita ut neque in caſibus, in quibus propter crimen exceptum cónfuga non gaudet aſylô, Judex Sæcularis absque licentia illius, priùs decidentis, reum non gaudere aſylô, extrahere poſſit, & absque traditione perſonæ Eccleſiaſticæ ad id poteſtatem habentis ab Epiſcopo. *Conſtit. Gregor. cit.* Et quia ibi ſolùm facultas tradendi reos conceditur Epiſcopo

scopo ac Vicario illius, & personis Ecclesiasticis ab eo auctoritatem habentibus pro casu, quo propter crimen exceptum non gaudent, forsan rectè infertur, nec Episcopo, minùs alijs personis Ecclesiasticis, potestatem competere extradendi in crimnibus non exceptis, licèt Judex Sæcularis juret de impunitate impertienda Reo.

Sc. 4. Varias nunc & scitu dignissimas moveri quæ- §
stiones circa asyliam. 1. Quo Jure sit introducta. 2. An tanquam favorabilis amplæ, vel tanquam odiosa strictæ sit interpretationis. 3. Quænam loca gaudeant jure asyli. 4. Quænam personæ protegantur asylô, an etiam infideles, debitores carcerem metuentes, fugitivi ex effracto carcere, item Clerici & Religiosi. 5. Quænam crimina privent asylô, præsertim, quando quis reus esse censendus homicidii *proditorii*, quod est expressum in Bulla Gregoriana, item quando homicidium in Ecclesia commissum excludat asylo, vel an non & alia delicta in loco asyli commissa. 6. Quando & quomodo licitè fiat extractio cónfugæ ex loco asyli. 7. Quas pœnas incurrant violantes asylum.

Dico 1. Immunitas asyli, seu jus asyliæ, non Jure Na- §
turali, uti pauci quidam volunt, neque Jure Divino in Nova Lege, uti sentit Farinac. cum quibusdam, sed tantùm Jure Positivo Humano, tum Civili tum Canonico, introductum est, & quidem valde rationabiliter. Ita communis. Dixi 1. *Non Jure Naturali*; quia aliàs nunquam possent scelerati ex asylo extrahi ad supplicium, quod tamen juxta omnes falsum est; & quamvis Jus Naturæ dictet, reverentiam locis sacris exhibendam esse, tamen non præcipit hunc determinatum modum ea honorandi. 2. *Neque Jure Divino*; quia in Nova Lege nullus exstat Scripturæ textus, neque traditio Apostolica, aut declaratio Ecclesiæ, id asserentis. 3. *Tum Civili*, ut patet ex *t. t. C. de his, qui ad Eccl. confug.* 4. *Tum Canonico*, nempe juxta *can. 6. 8. 9. 35. 36. caus.*

17. q. 4. c. 6. c. 9. &c. h. t. Conſtit. Gregor. XIV. cit. Dixi denique 5. valde *rationabiliter;* quia introductum eſt non in favorem delinquentium, ſed in favorem publicum, ac reverentiam locis ſacris, & Deo dicatis competentem, intuitu Religionis & Fidei Chriſtianæ, cujus templa & aræ utique non debent viliori in pretio eſſe, quàm templum Antiquæ legis, aræ & fana Gentilium falſis dijs erecta, de quibus abſtrahere confugientes ad illa nefas credebant etiam Ethnici.

7 Oppones 1. Jus Naturæ dictat, reverentiam Eccleſijs & locis ſacris exhibendam eſſe, uti agnoverunt omnes Gentes, quæ propterea judicabant parcendum eſſe eò confugientibus, & vi non avellendos: ergo. 2. *Exod.* 21. *Num.* 35. *Deuteron.* 19. *Joſ.* 20. jus aſyli datum eſt civitatibus Refugij & aris ſacratis: Eccleſia autem inſtauravit hoc Jus Divinum in Nova Lege: ergo eſt Juris Divini. 3. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 20. *de Ref.* ait, *Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immnitatem Dei ordinatione & Canonicis ſanctionibus conſtitutam eſſe*: ergo Dei præceptô non minùs ac Eccleſiæ introducta eſt immunitas localis Eccleſiarum. R. ad 1. Jus Naturæ etiam dictat, ſceleratos debitis pœnis afficiendos eſſe. Deinde dictat quidem in genere, reverentiam Eccleſijs exhibendam eſſe, at modum determinatum non præcipit: non omne, quod dictante lumine Naturali conveniens eſt, uti revera conveniens eſt ſceleratos defendi à violentia in locis ſacris, id quod agnoverunt etiam Gentiles, per hoc tamen non ſtatim præceptum eſt. Ad 2. Leges Veteris Teſtamenti de hac re, quia erant Judiciales vel Ceremoniales, non verò Morales, abrogatæ ſunt per mortem Chriſti. *Gal.* 3. *c.* 3. *de Conſtit.* Eccleſia eas nec voluit nec potuit reſuſcitare, ſed ad exemplum Veteris Teſtamenti introduxit jus Aſyli, ſicut de Decimis dictum. Ad 3. *N. Conſ.* nam Tridentinum rectè explicatur de immunitate perſonali, & reali Eccleſiarum, vi cujus res ad Eccleſiam pertinentes à juris-

risdictione Laicali saltem in thesi exemptæ sunt Jure Divino, & non de immunitate locali. Vel dic, Ecclesias quidem esse exemptas Jure Divino, ut Laici nihil possint in ijs disponere per viam jurisdictionis, non tamen ut nequeant sceleratos ibi existentes apprehendere: vel ut hos apprehendere aut extrahere nequeant sine consensu & auctoritate Judicis Ecclesiastici.

Dico 2. Immunitas asyli est favorabilis, adeóque latæ 8
interpretationis. Marius Italus, Ciarlinus, & cum his præcipui nominis DD. teste P. Wiestner *h. t. n.* 42. contra Covarr. & Card. de Luc. *de Immunit. disc.* 2. & 10. Ratio, quia privilegium Principis, præsertim in favorem publicum & Religionis principaliter tendens, ac in Jure Communi clausum, est latissimæ interpretationis tanquam favorabile. *c.* 2. 3. *de Præb. in 6. c.* 30. *de Privil. c.* 16. *de V. S. l.* 43. *ff. de Relig. & sumpt. fun.* sed privilegium immunitatis localis est concessum à Principe tam Sæculari quàm Ecclesiastico, principaliter spectat publicum favorem Ecclesiarum & Religionis, est clausum in Corpore Juris Communi &c. Oppones 1. Immunitas asyli est noxia Reipublicæ, quia delictis impunitatem præstat, quæ Jus Commune & Naturale puniri exigit: ergo stricte interpretanda. 2. Præbet occasionem delinquendi, si amplietur, facitque audaciores ad occidendum &c. ergo. 3. Potiùs favendum est Justitiæ Vindicativæ, quam sceleratis. 4. Quando concurrit bonum publicum & privatum, præferendum est illud: sed bonum publicum exigit puniri scelera, & immunitas solùm privatis hominibus favet: ergo. 5. Non potest Deo majus sacrificium offerri, quàm si delinquentes competenti vigore compescantur. per *can.* 24. 34. *seqq. caus.* 23. *q.* 5. ergo Deus magis colitur, si delinquentes plectantur, quàm si in Ecclesiis securi consistant. R. ad 1. *N. Ant.* aliàs etiam immunitas in antiquo Testamento fuisset noxia Reipublicæ. Dein non omnes delinquentes prótegit Ecclesia, uti videbimus: quos autem protegit,

Digitized by Google

non absolutè vult esse impunes, sed relinquit in salva pœnas pecuniarias, infamiæ, proscriptionis, confiscationis bonorum. Nec Jus Naturale nec Jus Commune exigit plecti omnia omnino crimina, præsertim ubi Principes ipsi impunitatem intuitu Religionis & reverentiæ erga loca Deo sacrata indulgent, vel pœnam mitigant. Ad 2. occasio delinquendi, quam improbi ex hac immunitate arripiunt, est prorsus per accidens, & propter abusum privilegij. *Retorq. argum.* in immunitate veteris Testamenti ab ipso Deo inductæ. Ad 3. *N. suppositum*, quòd Ecclesia intendat per se favere sceleratis; sed spectat reverentiam locis sacris debitam præstando securitatem certis delinquentibus, quibus tantùm secundariò & per accidens obtingit favor. *Retorq.* iterum, sicut priùs. Ad 4. *N. Min. membrum* 2. nam etiam bonum publicum exigit, Ecclesias non violari per extractionem violentam ad eas confugientium, earúmque ac Religionis favor est etiam publicus, & quidem alijs præferendus; cùm *summa sit ratio, quæ facit pro Religione. l.* 43. *cit.* Ad 5. Illud procedit, quando justa causa, aut major Dei cultus non defendit Reos.

9 Dico 3. Immunitate & jure asyli gaudent Ecclesiæ, & omnia loca Sacra & Religiosa, quæ in favorabilibus veniunt nomine *Ecclesiarum*, quæ nempe auctoritate Episcopi sunt constituta, item ijs conjuncta & adhærentia. *c. 9. & fin. h. t. c.* 4. *de Relig. Dom. can.* 10. 20. 36. *cauſ.* 17. *q.* 4. *l.* 3. *C. de his, qui ad Eccl. & arg. l. omnia* 35. *C. de Epiſc. & Cler.* cùm privilegium hoc sit favorabile & latæ interpretationis. Unde in specie gaudent 1. *Templa*, non solùm jam perfectè constructa, sed etiam cœpta construi auctoritate Episcopi: non modò benedicta, vel consecrata, sed etiam simpliciter tantùm deputata ad Divina officia. *c. 9. cit.* item polluta quoque, vel interdicta, sicut Clericus interdictus vel excommunicatus non perdit privilegia personalia Clericorum: imò jam destructa, modò non sint destru-

&a

ta Episcopi auctoritate, vel sine spe & intentione reædificandi: rursus sacristia, turris, tectum, parietes, & januæ, quas quis apprehendit, porticus, atrium templi &c. extensio tamen ad spatium 40. vel 30. passuum à templis, si de jure habeat locum, per consuetudinem videtur esse abrogata. 2. *Cæmeteriam* legitimè erectum, *c. fin. cit.* sive sit contiguum templo, sive ab eo separatum, sive benedictum sit, sive non. 3. *Monasteria*, domus, & domicilia Religiosorum, cùm sint loca Religiosa & Divino cultui deputata, item horti, areæ, stabula animalium, domus famulantium, & ædes, intra septa Monasterii existantes. *arg. can. 10. 20. & l. 3. citt.* 4. *Oratoria* & *Capellæ*, auctoritate Episcopi erectæ, & in perpetuum divino cultui deputatæ, etsi existant in privatis ædibus (quo casu tota domus gaudet) *arg. c. 4. cit.* exceptis capellis, quæ sunt intra ambitum murorum castellorum. *can. 21. cauf. 17. q. 4.* item oratorijs sine auctoritate Episcopi erectis, quantumvis ex licentia Episcopi ibi celebrentur Missæ quotidie; nam censentur esse loca profana, cùm pro arbitrio domini ad alios usus, v. g. in cameram, converti valeant. In dubio, an auctoritate Episcopi sit erectum sacellum, præsumitur sic erectum, si populo ad Divina, quæ ibi celebrantur, indifferenter pateat accessus; item si companam super tectum habeat, & illa pulsetur publicè. 4. *Hospitalia*, auctoritate Episcopi erecta cum altari ad celebrandum. *arg. c. 4. & l. 35. citt.* 5. *Palatia* Episcoporum. *can. 36. cit.* & probabiliter etiam, licèt distent ultra 40. passus ab Ecclesia, & capellam debitè erectam non habeant; quia *d. canon* de neutro mentionem facit. 6. *Tabernaculum*, in quo actu asservatur Evchariſtia. DD. passim ex hac ratione, quòd maximè propter Evchariſtiam, quæ asservari solet in Ecclesijs, his tribuatur immunitas. Unde extendunt etiam ad sacerdotem, qui per plateas ad ægrum deportat Evchariſtiam, sed non de jure, cùm utique talis sacerdos de-

portans non sit locus sacer, sed ex consuetudine & communi sensu, in æquitate fundato: quare confugiens ad sacerdotem talem, ejúsque vestem apprehendens, imò tantùm se associans comitantibus, tutus erit. Dices: ergo etiam tutus erit, qui confugit ad altare portatile, sacrum calicem &c. vel omnino arripit & secum fert in securitatem. R. *N. Illatum*; nam tali neque Jus, quod immunitatem asyli concessit *locis* sacris & religiosis, non *rebus* quomodocunque benedictis vel consecratis, neque consuetudo, neque sensus Doctorum patrocinatur.

10 Dico 4. Capaces immunitatis localis sunt omnes & singuli, quos non excludit aliquod ex criminibus, de quibus *assertione seq.* cujuscunque sint ætatis, sexûs, conditionis, statûs. Communis, desumpta ex *c. 6. h. t. & Constit. Gregoriana Cùm aliàs. cit.* Neque excluduntur 1. Infideles, Judæi, Pagani, Ethnici, ut habet probabilis cum Fagn. & Barb. contra Covarruv. & Clar. saltem si se velint convertere ad Fidem Catholicam, ut habet communior cum P. Wiestner *h. à. n. 75.* quia in *l. 1. C. de his, qui ad Eccl.* solùm excluduntur tunc, quando confugientes ad Ecclesiam simulatè petunt Baptismum: ergo si seriò petant, non excluduntur. Nec obstat, quòd Jus Civile, quando disponit de Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis, etiam in favorem, invalidè disponat. *c. 10. de constit.* nam hæc dispositio Juris Civilis videtur canonizata in *d. c. 6.* ibi: *juxta sacrorum statuta Canonum, & traditiones Legum Civilium ita duximus distinguendum &c.* 2. Neque Hæretici, si ad Ecclesiam confugiant propter alia quàm hæreseos (nam hoc est crimen exceptum, ut patebit ex dicendis) delicta: quia nec Sacri Canones nec Leges Civiles excludunt hæreticos propter alia quàm hæresis crimina, & privilegium hoc est locale, non personale: id quod maximè in Germania locum habet, ubi hæretici propter hæresim non puniuntur à Magistratu Civili. 3. Neque personaliter interdicti, aut excommunicati, etiam vitandi.

Com-

Communis contra Felinum ex allata ratione. 4. Neque servi, si ob grave delictum confugiant ad Ecclesiam; excluduntur tamen, si præcisè aufugiant à domino, absque periculo, ne tradantur Judici ob grave delictum. *l. 6. §. 5. C. de his, qui ad Eccles.* quia Dominus licitè repetit rem suam, & occupat etiam vi. Idem est de servis impropriè dictis, seu colonis adscriptitijs, vel conditioni subjectis personis. *l. 6. cit.* Idem de damnatis ad triremes. Idem de militibus militiam deserentibus. Gonz. *in c. 6. cit. num. 8.* adeóque desertores milites gaudent immunitate contra Duces suos quà Judices, & pœnam mortis, vel æquivalentem exposcentes, non verò contra Duces quà tales, repetentes militem desertorem personaliter adstrictum sibi ad militandum, modò Duces juramentum de illius impunitate præstent. *arg. c. 6. cit. §. si verò.* 5. Neque debitores civiles, si ad evitandum carcerem ad Ecclesiam se recipiunt. per *l. 1. & 6. citt. junct. can. 36. & c. 6. citt.* idque etiam procedit de illis, qui suâ culpâ contraxerunt debita, & de fraudulentis decoctoribus suæ substantiæ, non obstante constitutione Pij V. quæ decoctores hujusmodi excludit; quia per posteriorem Gregorij XIV. ei fuit derogatum. Fagn. *in c. 6. cit. n. 58.* 6. Neque fugitivi ex effracto carcere, vel ex manibus lictorum elapsi: licèt priùs capti & vinculis satellitum jam constricti, si per cœmeterium v. g. ducantur, & ad asylum provocent, eo non protegantur. Si tamen in tali loco se vinculis liberâssent vel manibus lictorum, & ad asylum provocarent, viderentur eo gaudere.

Oppones 1. Ecclesiæ non est judicare de illis, qui foris sunt, ut loquitur Apostolus, seu non potest judicare infideles, & per Baptismum non subjectos sibi: ergo nec privilegium immunitatis localis ipsis concedere. 2. Hæretici sunt indigni, qui protegantur asylo Ecclesiæ, tanquam hostes: ergo. 3. Excommunicatis vitandis nec ingressus in Ecclesiam conceditur: ergo à

fortiori nec asylum Ecclesiæ. 4. Jus Canonicum *Reos* duntaxat vult asylô defendi. per *can. 9. 10. 20. 36. cauſ. 17. q. 4. c. 6. & fin. h. t.* Sed debitores civiles non ſunt propriè Rei : ergo. Confirm. SS Canones dum asylum indulgent, volunt tantùm protegere vitam & membra confugarum, atque eos à pœna corporali liberare. *c. 6. & can. 36. citt.* Sed debitor civilis non periclitatur de vita, & membris, aut pœna corporali. Accedit, quòd creditores jure ſuo fraudentur & ſolutionem non conſequantur, ſi debitores in asylo tuti ſint, qui ſæpe ſuâ culpâ contraxerunt debita. 5. Fugiens ex carcere, vel è lictorum manibus, ſpoliat Judicem jure ſibi jam quæſito : ſed ſpoliato ante omnia reſtituendum eſt, quod ipſi ablatum : ergo. R. ad 1. *N. Conſ.* quamvis enim Ecclesiæ nulla ſit jurisdictio in infideles, ut judicet eos, tamen favorem ſpiritualem ipſis exhibere, præſertim ad baptiſmum aſpirantibus, poteſt, & convenit. Ad 2. Privilegium asyli eſt locale, non perſonale, ac potiùs ſanctitatem loci quàm perſonam delinquentis reſpicit. Ad 3. Excommunicatis & interdictis negatur ingreſſus in Ecclesiam formalis, h. e. ut interſint Officijs Divinis &c. non materialis præcisè. Ad 4. nomine *Reorum* in Jure veniunt omnes tam debitores, quàm delinquentes, tam civiliter quàm criminaliter conventi. per *c. 10. de V. S.* præſertim in materia favorabili, qualis eſt hæc. Ad Confirm. *N. Ma.* nam & à carcere & à vinculis volunt defendere, ut innui videtur *can. 35. cauſ. 17. q. 4.* neque creditoribus imminet majus periculum fraudationis aut damni ex hac protectione debitorum, quàm alias incurriſſent, quia debitores confugæ citari præſtita priùs ſecuritate de non criminaliter condemnandis poſſunt, ac, ſi neque per ſe, neque per procuratorem comparere & cauſam agere velint, vel ſi agant, ſed civiliter condemnentur, non verò ſatisfaciant, tenentur ſufferre immiſſionem in poſſeſſionem bonorum &c. Ad 5. reſtitutio non faci-

enda

enda est spoliato, quando ex restitutione sequeretur damnum irreparabile, v. g. in vita aut membris, vel saltem periculum manifestum.

Quæres, an Clerici & Religiosi defendantur immu- 12
nitate locali? R. 1. defenduntur utique contra Judices Laicos non solùm immunitate personali, sed etiam locali; cùm non debeant esse deterioris conditionis, quam Laici. Ita plerique omnes. R. 2. contra Judices Ecclesiasticos & Superiores suos, quamvis absolutè affirmantium cum Barbos. *ind. c. 6. à. n. 16.* & absolutè negantium cum Panormit. *ibid. n.* 13. magnus sit numerus, nihilominus insuper habita distinctione, quam faciunt tres Franciscani, Roderiquez, Portell, & Reiffenstuel, Clericis sæcularibus, non verò Religiosis asylum concedentes, præplacet mihi distinctio, quam cum Matthæucc. Monacell. allegantibus decisionem Congreg. Episc. 1693. facit P. Schmalzgrueber *h. n. 169.* & aio, Clericos & Religiosos defendi immunitate locali contra Judices etiam Ecclesiasticos & Superiores suos in criminibus non exceptis eatenus, ut ab illis indè extrahi, & Judici brachióque sæculari extradi nequeant puniendi secundùm Leges: non verò eatenus, ut extrahi non possint puniendi correctione & pœnâ Ecclesiasticâ secundùm Canones. Pars prior, quam confirmare videntur decisiones S. Congreg. Cardd. apud Pignatelli *to. 6. Consult. 4. n. 101. & n. 110.* indè fit manifesta, quòd utique Clerici & Religiosi non debeant esse deterioris conditionis quoad protectionem suam contra Judices & Vindices Laicos, quàm ipsi Laici, qui in criminibus non-exceptis ex asylo à Judice Ecclesiastico extracti brachio sæculari tradi non possunt, imò magis merentur defendi, cùm ipsi Ecclesiæ serviant tanquam Ministri. Posterior pars eruitur tum indè, quòd mens Pontificis non fuerit per immunitatem tollere debitam morum correctionem & pœnas à SS. Canonibus præscriptas cum dispendio disciplinæ Ecclesiasticæ; cùm neque

que Laicos ad Ecclesiam confugientes eximat à pœnis Ecclesiasticis, ad correctionem ipsorum ordinatis : tum ex *c. fin. X. & c. 2. de Regular. in 6. & c. 24. de sent. Excomm.* ubi permitttitur, Clericos & Religiosos intra fines ipsius Ecclesiæ corrigi, castigari, & incarcerari.

13 Oppones 1. In *Constit. Gregoriana cit.* ubi Jura antiqua jus asyli concernentia reduci diximus ad unam formam, tantùm fit mentio *Laicorum* expressè & sæpius: sed expressio unius speciei est exclusio alterius. per *text. & gl. in l. si inter 15. ff. de except. rei jud.* ergo Clerici & Religiosi censentur exclusi. 2. Jus asyli eò maximè tendit, ut Rei defendantur contra pœnam sanguinis. per *c. 6. h. t.* sed Judices Ecclesiastici prohibentur pœnam sanguinis infligere. *c. 9. pr. Ne Clerici vel Mon.* ergo contra Judices Ecclesiasticos non datur jus asyli. 3. SS. Canones, & Statuta Ordinum Religiosorum permittunt Clericos & Religiosos delinquentes à suis Judicibus & Superioribus puniri gravibus pœnis carceris, etiam perpetui, verberationis, triremium. *c. 1. de Calumn.* idque confirmat praxis communissima : ergo. 4. Religiosi plerumque habitant constanter in locis jure asyli gaudentibus : ergo, si in ijs forent tuti contra suos Superiores, nunquam vel non nisi rarò debitis pœnis affici possent, non sine ingenti disciplinæ Ecclesiasticæ præjudicio. R. ad 1. In Bulla Gregor. non ideo fit expressa mentio Laicorum, ut excludantur Clerici, sed ideo, ut Laici quoque, quos Judices Sæculares prætextu privilegiorum solebant extrahere de asylo, non verò Clericos, utpote jam aliunde à jurisdictione Laicali exemptos, deinceps essent defensi. Adde, quòd de jure antiquo omnes indiscriminatim, sive Clerici sint sive Laici, defenda[illegible]ldô. *can. 9. 10. 35. cauſ. 17. q. 4. c. 6. cit.* [illegible] per Bullam Gregor. esse sublata vel corre[illegible] ter pro[illegible] a Cleri[illegible] cis

cis abstrahatur. Ad 2. eò quidem præcipuè, non verò unicè respexit Jus Canonicum, sed etiam ut cónfugæ ab omni pœnarum corporalium genere essent secuti respectu Judicis Laici. *can.* 36. *q.* 4. *cit.* & *gl. in d. c.* 6. §. *ad pœnam.* & §. *puniendus.* Ad 3. permittunt puniri per Judicem Ecclesiasticum, & pœnâ à SS. Canonibus præscriptâ. *C. Ant.* per Judicem Laicalem, & secundùm Leges. *N. Ant.* & *Conf.* Ad 4. *dist. Conj.* nunquam vel rarò puniri possent à Judice Laico. *C. Conf* à suis Superioribus debitè corrigi & castigari. *N. Conf.* Deinde Religiosi possunt extra Monasteria existere, & ibi delinquere, patratóque delicto ad Monasterium vel locum sacrum se recipere eo animo, ut fruantur asylô, & sic *Ant.* non est universaliter verum.

Dico 5. Immunitate locali & asyliâ privati existunt rei criminum *exceptorum*, ut vocantur, nempe 8. sequentium tantùm, & tum in Jure antiquo tum in novissima Bulla Gregorij XIV. *Cùm aliàs*, expressorum. Videlicet. 1. *Publici latrones*, seu qui in viis publicis rapinæ causâ per insidias homines aggrediuntur, & resistentes occîdunt, aut juxta aliquos, præsertim Farinac. in privatorum ædibus similem violentiam exercent: quò etiam pertinent piratæ: requiritur tamen, ut non semel tantùm aut bis, sed sœpius (id enim indicat tum vox *publicus*, tum vox *latro*) id faciant, nec in vijs tantùm privatis, sed in publicis & frequentatis, occisione quoque secutâ; debet enim publicus latro hìc strictè accipi. 2. *Viarú grassatores*, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur, vulgò Landt- oder Straſſen-Rauber / qui nimirum prædæ causâ in publicis vijs violentè aggrediuntur homines, sed absque cœde; per quod ultimum differunt à publicis latronibus. Requiritur it[illegible] frequentatio actuum. *S. Congreg.* apud Pignatell[illegible] *sult. 4. cit. n.* 113. & (quod etiam in priori [illegible]tur) notorietas juris vel facti. Farinac. Palao [illegible] alij communiter: sunt tamen, qui 14

qui etiam pro publico latrone, aut viarum graſſatore habere velint eum, qui ex uno actu publico, vel pluribus occultis diffamatus publicè habetur pro latrone, vel viarum graſſatore: qui duo à multis confunduntur, & ideo unam tantùm claſſem ipſis aſſignant. 3. *Depopulatores agrorum*, ſeu qui ſegetes agrorum, fructus vinearum vel arborum, devaſtant ex propoſito, ignem apponendo; modò id ſit notorium. Et licèt Jure Antiquo *c. 6. h. t.* depopulator *nocturnus* tantùm fuerit privatus aſylô; tamen per Bullam Gregorianam, quæ indiſtinctè loquitur, cenſetur communiùs etiam privatus eſſe *diurnus*, ſeu qui de die devaſtat. 4. *Committentes homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, eorúmque cœmeterijs*, *h. e.* qui exiſtentem in Eccleſia (licèt occîdens ſit extra Eccleſiam) vel cœmeterio non præcisè vulnerant, ſed vel omnino occîdunt, vel mutilant, ſeu membrum amputant, vel juxta multos qui tale quid mandant. Azor, Tuſch. Monacell. Sperelli &c. cum Pignatelli excipiunt eum, qui in Eccleſia occîdit non ex propoſito, ſed ex ſubita excandeſcentia. Utrùm verò excludatur aſylô, qui in Eccleſia exiſtens occîdit ſclopô v. g. aut lapide exiſtentem extra Eccleſiam & cœmeterium, controverſia eſt: communior quidem cum Abb. & Covarruv. excludit, alij tamen fortè probabiliùs cum Bonac. Haun. & Matthæucc. non excludunt; cùm talis non *in*, ſed *ex* Eccleſia occîdat, & in delictis attendatur conſummatio potiùs, quàm inchoatio, præſertim in odioſis. 5. *Qui proditoriè proximum ſuum occiderint*: ſed quis proditoriè dicatur occîdere in ordine ad privationem aſyli, poſtea explicabo. 6. Qui rei ſunt *aſſaſſinii*. Aſſaſſinus eſt, qui pro pretio (nempe pecuniâ vel alia re temporali pretiô æſtimabili promiſſâ, vel acceptâ) occîdit hominem, aut in hunc finem dat vel promittit pretium: adeóque tam conducens quàm conductus pretiô, ſeu tam mandans quàm mandatarius, privatur aſylô, modò mors ſecuta ſit (imò juxta multos

ex

ex parte mandantis non requiritur consummatio, & ut mors actu sit illata. *c.* 1. *de homicid. in 6.*) ac pretium determinatum interveniat, & quidem pro ipso scelere, atque ante scelus patratum detur vel promittatur. Requirunt præterea communissimè cum Covaruv. Farinac. Pignat. &c. ut occisus non fuerit inimicus occidentis, seu mandatarij, & pretiô conducti, licèt fuerit inimicus conducentis; item cum Covarruv. ut occisus non infidelis, sed Christianus fuerit, propter *c. 1. cit.* §. 2. Sed neutrum video satis probari, & Bulla Gregoriana neque circumstantiam inimicitiæ, neque Christianitatis, requirit ad assassinium. In *c.* 1. *cit.* assassinium quidem contra Christianos solos committitur, at in ordie ad pœnas, ibi specificatas tantùm, non ad privationem asyli: quare occisum non necessariò Christianum esse existimo cum Farinac. *in Append. de Immunit. c. 8. n.* 120. testante de communi. Idem libenter dicerem de qualitate inimicitiæ respectu conducti, scilicet ex hoc capite frui asylô conductum, si viderem vestigia sufficientia Auctorum, quibus insisterem. 7. Rei *hæreseos*, intellige, si propter ipsum hæresis crimen ad locum asyli se recipiant: quod tamen in Germania nostra locum non habet, cùm à Judice Sæculari nullas timeant pœnas hæretici, utpote tolerati, propter hæresim. 8. Rei *læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis*: ut igitur crimen læsæ, quatenus privat asylô, censeatur commissum, requiritur 1. Ut lædatur ipse Princeps (quo nomine intelligitur, qui Superiorem in sua jurisdictione non agnoscit, uti Summus Pontifex, Imperator, Rex, Duces, imò etiam Comites & Barones, si plenum in suo territorio jus obtinent) in persona: quare non sufficit, si lædatur uxor, filius, minister, statua &c. illius, aut si rebellio concitetur in provincia Principis &c. quamvis in ordine ad alios effectus etiam hæc sint crimina læsæ Majestatis. 2. Ut lædens sit subditus Principi vel ratione originis vel domicilij. per *Clem.* 2. §. *rursus de sent. & re jud.*

3. Ut

3. Ut læsio fiat per actionem positivam, Principi injuriosam vel damnosam, v. g. percutiendo, vulnerando carcerando, occîdendo, hostiliter insequendo, in ipsum conjurando, hostibus tradendo, vel revelando, ut capiatur, aut similes actiones mandando, consulendo, auxilium præstando &c. ut habet communis.

15 Quæres 1. An occîdens vel mutilans in Ecclesia vel cœmeterio excludatur asylô, quando id non facit ex præsumpta spe immunitatis? 2. An propè Ecclesiam vel cœmeterium occîdens spe immunitatis? 3. An etiam furtum vel aliud delictum grave in Ecclesia committens privetur asylô? R. ad 1. cum communi affirmativè; quia Constitutio Gregoriana non facit mentionem hujus perversæ spei, & independenter ab ea statuit privationem asyli. R. ad 2. cum communiore contra Covar. Farinac. &c. negativè; quia dicta Constitutio restringit expressè privationem asyli ad occîdentes *in ipsis Ecclesijs eorúmque cœmeteriis*, &, cùm privatio hæc sit pœna, extensionem non patitur R. ad 3. cum probabiliori rursus negativè contra Abb. Suar. Laym. Pirh. Gonzal. &c. non obstante, quòd forsitan spe immunitatis furtum, vel delicta, homicidiô etiam graviora, quis committat in Ecclesia. Ratio; quia Constitutio Gregoriana solùm excludit *homicidia & mutilationes membrorum* in ipsis Ecclesiis committere non verentes: extensionem verò nec patitur favor Ecclesiæ, nec ratio pœnæ, quam habet exclusio, nec ipsa Bulla Gregorii, quæ §. 2. expressè declarat, sola crimina ibidem expressa privare asylô, *non alia*, etsi *æquipolleant aliis in Jure expressis*, vel adsit *paritas*, *identitas*, *aut majoritas rationis*. Confirmatur ex decisione S. Congreg. *Immunit. 18. Nov. 1631.* de qua testatur P. Schmalzgrueber. *h. n. 119.* Dices: frustra invocat legis auxilium, qui committit seu delinquit *in legem c. fin. h. t. c. 14. de Usuris. & l. 37. in ff. de Minor.* sed qui spe immunitatis delinquit in Ecclesia, committendo furtum &c. delinquit in legem, eámque con-

contemnit. ℣. *dist. Min.* delinquit in legem aliquo modo, nempe locum sacrum violando per suum delictum ibi commissum. *C. Min.* eo modo, qui à Jure punitur privatione asyli. *N. Min.* Urgebis: in *c. fin. cit.* & ejus *Rubrica* generaliter pronuntiatur: *qui sub spe immunitatis in Ecclesijs vel cœmeterijs delinquunt, immunitate non gaudent.* ℣. Gregorius XIV. in sua *Constit. Cùm aliàs.* restrinxit hanc generalitatem ad sola homicidia & mutilationes, uti vidimus.

Dubium hìc magnis Partium studiis, & in nostra quo- 16
que Universitate paucis abhinc annis ardenter agitatum, movetur, quisnam dicatur *proditoriè* occîdere, quem Constitutio Gregoriana asylò vult excluſum, seu quid requiratur ad *homicidium Proditorium* immunitate privans. Aliqui existimant, sufficere proditorium minùs propriè dictum, quando nempe homicidium fit non modò ex proposito sive de industria, sed etiam per insidias, ita ut quis nihil suspicantem, & ad sui defensionem imparatum occîdat, v. g. venenò, vel sclopetò ex latebris, vel de nocte in tenebris, vel transfodiendo à tergo; sive dein occisus fuerit amicus sive inimicus, sive inimicitiæ professio aut rixa, sive amicitiæ species vel simulatio præcesserit. Atque ita sentiunt Covarr. Gutierez, Barbosa *l. 2. J. E. U. c. 3. n. 91. 94.* Sanch. *l. 6. Consil. c. 1. dub. 8. n. 26.* P. Pirhing *h. t. n. 28.* Menoch. Decian. (sed hos duos apertè adversari testis est P. Wiestner) Christoph. de Chlingensperg *in Thesibus super hac quæstione editis Ingolstadij 1797. per tot.* & maximè Hyppolitus Grassetus *Anatom. Necis Proditoriæ §. 9.* citans plures, quorum tamen aliquos ipsi eripit Sperelli *in decis. 185. à n. 5.* A fortiori Molin. *tr. 3. d. 23. n. 3. &* Fachin. *l. 9. Controv. c. 93.* qui ne quidem insidias requirunt, sed solùm industriam & propositum occîdendi. Alij econtra non sufficere contendunt industriam seu propositum meditatum occîdendi cum insidijs, si occîdatur inimicus, licèt

ad defenſionem hìc & nunc imparatus, ſed requiri inſuper, ut dictô modô occîdatur amicus, ſcilicet vel ſub ſpecie amicitiæ, fidelitatis, ſocietatis, officij &c. vel ab aliquo, qui ad amicitiam, fidelitatem &c. erga occiſum ratione ſtatûs, officij &c. ſpecialiter fuit obligatus. Unde ajunt, *homicidium proditorium*, aſylô privans, non eſſe, ſiquis *inimicum* per inſidias, etiam dormientem, perimit, vel â tergo imparatum cónfodit: item ſiquis aliàs amicum in ſubita rixa excandeſcens occîdit, *ob defectum induſtriæ:* aut ſiquis apertè congreditur, & provocans vel provocatus ſternit ſocium, commilitonem, vel amicum aliàs, *propter defectum inſidiarum:* denique ſiquis corrivalem aut æmulum, fortè occurrentem, aggreditur, aut ex inſidijs necat, *ob defectum amicitiæ, fidelitatis &c.* ſimulatæ, vel aliàs ſpecialiter obligatoriæ. Econtra aſylô excludi ajunt eum duntaxat, qui ſimulando amicitiam, fidelitatem &c. adeóque ſub ſpecie amicitiæ alterum occîdit per inſidias ac ad ſui defenſionem imparatum: aut qui nulla præcedente inimicitia, aut hujus indicijs, inſidiosè & imparatum occîdit aliquem, cui ratione ſtatûs, conditionis, muneris, ſpecialiter eſt obligatus ad amicitiam, aut fidelitatem, v. g. qui parentem, prolem (etiam in utero adhuc exiſtentem) conjugem, affinem, conſanguineum, proximum, familiarem, contubernalem, commilitonem, ſocium itineris, dominum ſuum nihil ſuſpicantem, vel ſi caupo interficit hoſpitem ſeu peregrinum ſuſceptum: item qui occîdit inimicum, priùs verè, quantùm humanitus cognoſci potuit, reconciliatum intervenientibus plenè redintegratæ amicitiæ ſignis, & nulla nova ſuperveniente offenſa: aliud juxta multos foret, ſi tantùm præceſſiſſet promiſſio vel fidejuſſio de non offendendo, quia ſolet manere rancor & averſio animi. Atque hanc poſteriorem ſententiam, quæ requirit circumſtantiam *amicitiæ* ad homicidium proditorium, tenent incomparabiliter plures, & præclariſſimi Auctores, ita ut D. Chriſtoph. de Chlingen-

genſperg Adverſarius *lo. cit. Aſſert.* 2. hanc ſententiam vocet communem totius propè Chriſtiani Orbis, & ſolus Alexander Sperelli *in deciſ. ult. nempe 185. cit.* ubi ex inſtituto refutat Hyppolitum Graſſetum, *n.* 44. adducat 93. Auctores, ac inter illos Bartolum, Bald. Alex. Imol. Socin. Juris Civilis proceres: Joan. Andr. Abb. Hoſtienſ. Anton. de Butrio, Anchor. Anan. Felinum, principes SS. Canonum interpretes: Marſil. Boſſ. Caball. Farinac. Bajard. magnos Criminaliſtas: quibus accedunt Theologi, & Canoniſtæ plerique, præſertim recentiores, inter quos eminent Monacell. P. Wieſtner *ad Tit. de Homicid. n.* 122. & Pignatelli *to. 9. Conſult. 5. & 18.* ubi recantat dicta â ſe *to. 1. conſult. 48.* Quibus ſi accedat declaratio non modò Cardd. ſæpius repetita apud *cit.* Pignat. ſed etiam declaratio Clementis VIII. ac inſuper recepta praxis, hæc ſententia videtur eſſe quaſi certa. Unde

Dico 6. Ad homicidium proditorium, ut privet aſylô, non ſufficit, ſi fiat occiſio per induſtriam & inſidias, ſed requiritur etiam amicitia vel vera, vel ſimulata, aut occiſo ſpecialiter debita ratione ſtatûs, conditionis, officij &c. Prob. 1. ex Conſtitut. Gregor. XIV. *Cum aliàs* ſæpius allegata. Ibi Papa, ut tolleret dubium ex Jure Canonico ortum circa homicidium ab aſylo excluſivum, non ampliùs adhibuit verba Scripturæ *Exod. 21. & Deut. 19.* relata in *c. 1. de homicid. ſiquis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias.* ſed hæc: qui *proditoriè occiderint:* quæ verba tempore Gregorij receptâ communiter inter DD. ſignificatione non qualemcunque induſtriam inſidioſam denotabant, ſed machinationem in mortem ſub ſpecie & velamine amicitiæ, fidelitatis, officij, reconciliationis &c. Planè, ſi Papa per tò *proditoriè* non voluiſſet plus dicere, quàm præciſè *induſtriam & inſidias*, ſeu meditatas inſidias, vel doloſam & inſidioſam machinationem mortis, fruſtrà ac inutiliter antè & pòſt expreſſiſſet crimen *latrocinij*, 17

& *assassinij*, quæ duo homicidia necessariò involvunt industriam seu propositum occîdendi ac simul insidias. Accedit declaratio Clementis VIII. 6. Febr. 1597. qui fuit immediatus Gregorij successor, & in *Brevi*, sub Annulo Piscatoris, relato à Pignatello *to. 9. Consult. 18. n. 29.* expressè declaravit, in Bulla Gregoriana tò *proditoriè* significare occisionem amici, & sub specie amicitiæ &c. id quod etiam testatur Farinac. *in Append. de Immunit. c. 9. n. 137. 143.* id audiens ex ore Pontificis, & propterea suam sententiam mutans: idem declaravit Paulus V. Clementis successor teste P. Wiestner: quæ declarationes cùm sint Authenticæ, Jus faciunt, adeóque rem omnino conficiunt. Prob. 2. Ita explicandum est privilegium immunitatis localis à Jure concessum, ut extendatur, quatenus est favorabile Ecclesijs, & restringatur, quatenus est odiosum: sed si tò *proditoriè* accipiatur strictè, prout etiam involvit simulationem amicitiæ, fidelitatis, vel obligationem specialem ad amicitiam aut fidelitatem in occîdente, magis extenditur dictum privilegium, quatenus est favorabile, quia sic comprehendit etiam occîdentes per industriam & insidias, magis autem restringitur, quatenus est odiosum, quia restringitur ad occîdentes sub specie amicitiæ &c. tantùm; quatenus enim privationem asyli continet, odiosum est: ergo debet tò proditoriè ita rigorosè accipi. Quòd autem tò *proditor* in stricta & propria significatione denotet illum, qui vel datam fidem frangit, vel simulat aliud, quàm habet in mente, colligitur partim ex Scriptura S. ubi illa verba Psalmi 54. *si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus &c.* juxta communem sensum Interpretum propheticè loquuntur de Juda *Proditore*: sic in eadem Scriptura pro vero *proditore* & *homicida* proditorio habetur Joab, quia amplectendo Abner, & exosculando

Ama-

Amasam, interfecit utrumque. Partim ex Jure Civili, ubi *l. 6. C. de Delator. lib. 10.* servus pro proditore habetur, qui insidiatur domino suo; quia huic specialem fidelitatem debet, & *l. 4. ff ad L. Jul. Majest.* proditor vocatur miles, vel dux, vel alius patriota, qui exercitum, cui fidelitatem & amicitiam specialiter debet, prodit hostibus. Partim ex Bartolo in *l. Prospiciendum. §. delinquitur. ff. de Pœnis*, quem communiter sequuntur DD. sic describente proditionem: *prodere est unum actibus ostendere, & aliud in mente gerere.* Prob. 3. ex repetitis declarationibus Cardd. quos refert Pignat. *to. 9. consult. 18. cit.* Prob. 4. Ex communi praxi & consuetudine, optima Legum interprete.

Oppones 1. Insidiæ, fraus, machinatio, dolus, [18] proditio in Jure Civili & Canonico solent accipi pro synonimis. Idem faciunt optimi Scriptores Latini, Cicero pro Milone, Livius, Cornelius Tacitus &c. imò hoc fit in communi hominum usu: ergo, qui occîdit per insidias meditatò & de industria, occîdit proditoriè: ergo privatur asylô. 2. In Lege Veteri, ut patet ex *c. 21. Exod. & c. 19. Deut.* ad privationem asyli sufficiebat occîdere per industriam & insidias: ergo & in Nova debet sufficere. 3. Idem statuit Jus Canonicum in *c. 1. de homicid.* ibi: *si quis per industriam occîderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo avelles eum, ut moriatur.* Jam sic: hoc Jus antiquum non fuit correctum à Gregor. XIV. quia nullam in sua Constitutione mentionem fecit correctionis, & nulla correctio Juris, utpote odiosa, sine claro textu asserenda est; præsertim si per eam noceatur bono publico, & foveantur scelerati, utì fieret hìc. 4. Est imperceptibile, quòd illis, qui profitentur odium, rancorem, inimicitiam exteriùs, & occîdunt inimicum nihil opinantem, non paratum ad sui defensionem &c. sint melioris conditionis; quàm qui inimicitiam occultantes occîdunt amicum forinsecus creditum &c. quasi verò odii & inimicitiæ professio exter-

na mereatur favorem aſyli. 5. Eſt incredibile, quòd Eccleſia ita favere poſſit inſidiosè occîdentibus inimicum, & inimicitiæ ſigna præbentibus, ac interim adeò perſequi duellantes, qui pariter profitétur exteriùs inimicitiam; cùm tamen ex hujusmodi inſidioſis homicidiis inimicorum plùs noceatur bono publico, quàm ex duellis; ſic enim vix aliqui erunt ſecuri ab inimicis inſidiantibus, niſi fortè Eccleſiaſtici, qui ita extendunt & urgent privilegium aſyli. 6. Eſt iniquum, ut ita impunè tolerentur, qui per inſidias occîdunt imparatum ad ſui defenſionem, quæ tamen defenſio eſt Juris Naturalis. 7. *Templorum cautela* non nocentibus, ſed læſis, datur à Lege. *Nov. 17. c. 7.*

19 R. ad 1. Solent accipi pro Synonimis, quando *proditio* accipitur minùs ſtrictè & impropriè. *C. Ant.* ſi ſtrictè & propriè, utì hìc debet accipi ſecundùm dicta. *N. Ant. & Conſ.* Cicero ibi verbum *prodere* ſumit pro *nominare, conſtituere.* Livius & Tacitus in locis, quæ contra nos adducuntur, juxta P. Wieſtner *n.* 115. loquuntur de véra proditione, & inſidiis cum amicitia ſimulata conjunctis. Idem ferè eſt de Legibus, quas allégant contra nos. Senſus vulgi in hac re non eſt attendendus. Certè ſi ſufficerent inſidiæ cum induſtria ſeu propoſito occîdendi absque amicitia ſimulata, vel ſpecialiter debita, atque ideo rectè præſumpta, homicidii proditorij reus foret & aſylô excludendus maritus, qui adulterum inermem in thoro cum conjuge deprehenſum, vel alius, qui furem in flagranti deprehenſum, inermem, & ad ſui defenſionem imparatum occîdit à tergo & per inſidias: quod nec Adverſarii admittent. Ad 2. Imprimis Leges Veteris Teſtamenti Judiciales, inter quas ſunt etiam pertinentes ad aſylum, in Novo Teſtamento non ſtringunt, utpote jam extinctæ. Dein utique major reverentia debetur Templis Novæ quàm Antiquæ Legis. Demum probabilior & communior interpretatio cum *gloſſ. interlineari*, quæ maximæ eſt auctori-

toritatis, intelligit illa Scripturæ loca de insidijs non quibuscunque, sed verè & strictè proditorijs, in quibus intérvenit simulatio amicitiæ &c. quia Interpretes passim exemplificant in Joabo, Abner & Amasan occîdente sub specie amicitiæ: favet textus originalis in Hebraico, in quo legitur: *siquis proximum suum occîderit in astutia*, & versio 70. Interpretum, quæ legit, *si aliquis aggressus fuerit proximum, ut occîdat in dolo*: quibus verbis innuitur simulatio amicitiæ, vel dissimulatio inimicitiæ: notetur etiam verbum *proximus*, cui videtur specialis amicitia deberi propter familiaritatem & vicinitatem. Et hoc verbum etiam adhibet Bulla Gregoriana, *qui proditoriè proximum suum occîderint*. Ad 3. imprimis quadrat, quod ultimo loco dictum ad 2. quòd nempe ibi in *c. 1. cit.* sicut in Scriptura Veteris Testamenti, longè verisimiliùs intelligatur ver[illegible] & propriè dicta proditio, cùm ille textus sit desumptus ex Antiquo Testamento. Quia verò apud aliquos saltem fuerat dubium, an ibi per industriam & insidias intelligatur strictè & propriè dictum proditorium homicidium, nec ne, illud declaravit Gregorius XIV. in sua Constit. per verbum *proditoriè* omissis verbis *cit. c.* tanquam Juris Antiqui aliqualiter dubii. Adeóque Greg. XIV. non correxit, sed declaravit Jus Antiquum: id quod fecere ipsius quoque successores Clemens VIII. & Paul. V. declarantes sic Bullam Gregorij. Denique transmisso (non concesso) quòd per insidias & industriam in *d. c. 1.* non fuerit intellecta vera proditio, saltem ea intelligi debet in Bulla Gregoriana per verbum *prditoriè*, quod utique in hac materia privationem asyli concernente est strictè accipiendum & in significatione maximè propria; præsertim cùm sic magis faveatur Ecclesijs. Quo pacto admittitur quidem correctio Juris antiqui, sed satis clarè expressa per vocem *proditoriè* & per tò *proximum suum*, atque per animum Pontificis, quo omne dubium circa Jus antiquius tollere se velle professus est. Cæterùm

rùm favor & veneratio Eccleſiarum æquè, imò magis eſt bonum publicum, quàm homicîdas pœnis ordinarijs affici, quibus inſuper directè non favet Bulla Gregoriana, ſed ſanctitati Eccleſiarum. Ad 4. facilè capitur, quòd multum malitiæ, quam ſpeciali ſeveritate rectè perſequitur Eccleſia, ſuperaddat amicitia ſimulata vel ſpecialiter debita, ſi nempe amicus vel verus vel ſimulatus, vel is, qui amicus aut fidelis eſſe ex ſpeciali ratione obligatur, ac propterea talis ſupponitur (à quo proin caveri non poteſt) occîdat alterum: ſicut acceptio pretij pro occiſione alterius ſuperaddit ſpecialem malitiam in aſſaſſinio, & qualitatem, propter quam occîdens privatur aſylô. Ad 5. Imprimis nec duellantibus negatur immunitas localis, quamvis fortè alijs pœnis graviùs puniantur duellantes, quàm occîdentes per inſidias: utrùm autem per inſidioſas occiſiones plùs noceatur bono publico quàm per duella, certum non eſt. Dein licèt & hoc foret certum, prudenter in reverentiam Eccleſiarum parcit Eccleſia tam inſidiosè occîdentibus, quàm duellantibus, ſi ad eas confugiant. Adde, quòd Pontifex, ſi fortè in aliquo loco nimius foret abuſus privilegij, inſidiosè occidentibus indulti, imploratus illud negaturus ijsdem credendus ſit. Ad 6. Id iniquum non eſt; quia, ſiquis ſciat alterius odium & inimicitiam, ſibi imputare debet, quòd ſibi non conſulat, petendo pacem, procurando ſecuritatem apud Judicem, evitando occurſum inimici, non incedendo ſine armis, comitatu &c. cùm de inimico ſemper ſit ſuſpicandum, quòd nocere velit, ubicunque & quomodocunque poteſt: profeſſio igitur inimicitiæ eſt quaſi præmonitio, & facit, ut non tam inſidioſus aggreſſor, quàm ſciens inimicitiam aggreſſoris ſibi ipſi cenſeatur auferre media ſe defendendi. Ad 7. Imprimis Jus Civile careret poteſtate aliquid ſtatuendi circa Immunitatem Eccleſiaſticam. Deinde dicta *Nov.* probaret nimium, nempe quòd etiam meditatò occîdens ſine inſidijs privandus eſſet aſylô: quod plerisque Adverſarijs adverſum eſt.

Di-

Dices cum quibusdam noſtræ ſententiæ Patronis. Si requiritur & ſufficit ad homicidium proditorium, ſiquis occîdat amicum, ſeu nulla præcedente inimicitiâ, erit homicîda proditorius, ſiquis non-inimicum occîdat: vel ſiquis in futurũ latrocinari intendens prædæ causâ tantùm ſemel occîdit ex inſidijs hominem ignotum in via publica: aut ſiquis non in via publica occîdit aliquem ex inſidijs nulla præcedente rixa, ſed ſolius prædæ causâ: ſed hæ ſequelæ ſunt contra communem ferè omnium, noſtræ ſententiæ Patronorum, & Pignatelli *n.* 51. cerebroſos vocat, qui ſic ſentiunt. R. hæ ſequelæ nos non urgent, qui cum cit. Pignatelli, Reiffenſtuel, & aliorum communi ad homicidium proditorium requirimus, ut quis occîdat poſitivè amicum, & non merè negativè talem, ſeu non-inimicum: cùm juxta nos neceſſe ſit, ut occîdens ſignô poſitivô ſimulet amicitiam, vel ut habeat obligationem ſpecialem ad amicitiam aut fidelitatem erga occîſum. Viderit Haun. qui *to. 6. tr.* 1. *n.* 215. cum Sperelli ac alijs admittit, omnem illum univerſaliter eſſe homicîdam proditorium, qui ſine prævia inimicitia proximum occîdit, etſi negativè duntaxat amicum, h.e. non-inimicum; ſeu qui nullo inimicitiæ ſigno edito occîdit aliquem.

Dico 7. Præter crimina, in *Conſtitutione* Grego- 20
riana expreſſa, & hucusque explicata, nullum aliud, ut-ut atrox, privat jure aſyli. Communiſſima ferè omnium, qui poſt dictam *Conſtitut.* ſcripſerunt. Ratio; quia ipſa Conſtitutio certa crimina excipiens præmittit, quòd omnia in materia immunitatis velit reducere ad *unam tantùm formam*, & ibi expreſſa delicta tantùm privare aſylô, *non alia*, etſi æquipolleant *aliis in jure expreſſis*, non attenta *paritate*, *identitate*, *aut majoritate rationis.* Neque lex odioſa & pœnalis ob eandem vel etiam majorem rationem extendenda eſt. *arg. c. odia. c. in pœnis de R. I. in 6.* Et exceptio unius firmat regulam in contrarium. *l.* 12. *pr. ff. de Judic.* Unde aſylô

gaudent blaſphemi, perjuri, ſimoniaci, percuſſores clericorum, incendiarij, ſodomitæ &c. Oppones: ſic ergo alliciuntur ſcelerati ad graviſſima ſcelera committenda ob ſperatam impunitatem. R. Per accidens foret, ſi aliqui indè ſumerent occaſionem patrandi tam gravia ſcelera. Interim ſi tam enormis criminis, non tamen excepti, reus confugeret ad Eccleſiam, rectè faceret Epiſcopus recurrendo ad Sedem Apoſtolicam, ut detur licentia talem extrahendi de aſylo: ſic ſæpius conceditur licentia extrahendi reos in particularibus caſibus, uti notat Card. de Luc. in *Miſcell. diſ.* 2. & ego ipſe ſcio caſum, in quo propter inſidioſum homicidium petebatur Româ extractio Rei, & conceſſa fuit: ſed antequam reſponſum veniſſet Româ, Reus eſt elapſus fugâ.

21 Dico 8. Caſu, quo dubium eſt, aut certum, quòd Reus, v. g. ob crimen exceptum, non gaudeat aſylô, Rector Eccleſiæ eum poteſt, &, ſi requiſitus à curia ſæculari fuerit, debet cautè cuſtodire, adhibitis etiam, ſi opus foret, carceribus & compedibus, donec ab Epiſcopo cauſa examinetur ac decîdatur: &, ſi Rector loci ſacri defectu vel virium vel tutæ cuſtodiæ id facere impotens imploraret Judicem ſæcularem, iſte poſſet in loco ſacro cuſtodire Reum, utì & ſi Rector Eccleſiæ debitè requiſitus recuſaret vel negligeret cuſtodiam. Sumitur ex Bull. Gregor. §. 4. Reiffenſtuel allegatis multis. *n.* 174. *ſeqq.*

22 Dico 9. Modus extradendi & extrahendi Reum ex aſylo, qui eô propter delictum non gaudet, eſt ſequens. 1. Requiritur prævia cognitio Judicialis, ſi dubium ſit, an reus gaudeat nec ne, & ſententia: ſi verò certum ſit, quòd non gaudeat, ſaltem licentia Epiſcopi vel Vicarii Generalis, prout explicabo ſtatim *n. ſeq.* ſed is licentiam nunquam dabit, niſi ei plenè conſtet, crimen eſſe exceptum. 2. Intervenire debet perſona Eccleſiaſtica, facultatem habens ab Epiſcopo vel ejus Vicario ad extradendum: nulla tamen opus eſt petitione de non infligenda

Digitized by Google

da pœna mortis, aut protestatione contra eam. 3. Si crimen foret notoriè exceptum, & Judex Laicus, eò quòd Rector Ecclesiæ debitè requisitus recusat extradere vel custodire in loco asyli, extrahit Reum (si tamen id possit, de quo postea) hunc non statim ad carceres sæculares trahere, multò minùs punire, sed debet eundem carceri curiæ Ecclesiasticæ mancipare, ibíque custodire, donec causa ab Episcopo examinata & decisa fuerit. Reiffenstuel *n.* 190. Sed hinc

Quæres 1. An Rector Ecclesiæ *ad extradendum* Reum, qui notoriè non gaudet asylô, indigeat licentiâ Episcopi? 2. An Judex sæcularis *ad extrahendum?* R. ad 1. contra Palao & Haun. secluſa consuetudine contraria Rectori Ecclesiæ ad extradendum nõ videtur opus esse licentiâ Episcopi; quia Constitutio Gregoriana concedit, ut *quilibet* Rectorum Ecclesiæ, Regularis vel Sæcularis, *à curia sæculari requisitus, tradi & consignari curet & faciat* reum excepti criminis. Id certum est, quòd, si dubium fuerit, an delinquens gaudeat asylô, nec ne, requiratur sicut prævia cognitio & decisio Episcopi, ita etiam mandatum & licentia Rectori Ecclesiæ data ad curiæ sæculari tradendum Reum, & quidem *appellatione sepositâ*, ut loquitur *Bulla* §. 5. R. ad 2. Judici sæculari *ad extrahendum* necessaria per se est licentia Episcopi vel Vicarii Generalis. Communis contra Covar. & Pirh. *h. t. n.* 43. propter clara verba *d. Constit. Greg. decernimus & declaramus, ut curia sæcularis, ejusq; Judices* (en! his tantùm, & non Rectoribus Ecclesiæ prohibet) *delinquentem in aliquo ex dictis casibus sine expressa licentia Episcopi vel ejus Officialis &c. capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi in casu &c.* non obstante, quòd delictum notoriè sit exceptum, nec obstante, quòd Episcopus teneatur dare licentiam. Si tamen Episcopus, & Rectores Ecclesiæ debito modo *requisiti illos in delictis superiùs expressis culpabiles tradere, aut capturæ, & car-* 24

cera-

cerationi intervenire, & assistere recusârint - - - prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit, scandalo & tumultu extrahere curent.

24 Dico 10. Judex sæcularis extrahi mandans Reum ex asylo sine licentia Episcopi, & ministri extrahentes, item qui extrahere conantur & attentant, vel quicunque cooperantur, aut qui extractum requisiti non restituunt Ecclesiæ vel loco, unde extractus est, non modò committunt duplex peccatum grave, sacrilegij, & injustitiæ, sed etiam incurrunt pœnam excommunicationis, & quidem defacto latæ sententiæ, probabiliter tamen non Papæ, sed Episcopo reservatam, à qua non sunt absolvendi, donec Reum restituerint, & Ecclesiæ satisfecerint. Sumuntur hæc ex *can. 6. 8. 10. 35. cauſ. 17. q. 4. Constitut. Gregor. cit. cum declarat. Clem. VIII.* Concordat communis. Præter hanc pœnam de Jure Canonico potest injungi mulcta pecuniaria ad 900. solidos, & pœnitentia publica. *can. 20. 21. cauſ. & q. cit.* quamvis non sit in usu: de Jure Civili autem statuta est pœna capitalis & ultimum supplicium in eos, qui Reum indebitè extrahunt cum effectu ex loco sacro. *l. 2. & 6. C. de his, qui ad Eccl. confug.* sed hæc pœna iterum in usu non est, & punitio hujus criminis relinquitur foro Canonico, sicut cognitio & judicatio. Oppones. In *Extrav. 3. Comm. de pœnit. & remiſſ.* reservatur Pontifici offensa & violatio Ecclesiasticæ libertatis. Et *Bulla Gregoriana* sæpius *cit.* decernit pœnas in violatores asyli, quæ in Bulla Cœnæ statuuntur contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ: sed isti incurrunt excommunicationem, Papæ reservatam: ergo. R. Immunitas localis non comprehenditur in rigore nomine *libertatis* Ecclesiasticæ, utpote quæ non ad loca, sed ad personas Ecclesiasticas propriè refertur. Gregorius quidem statuit easdem pœnas & censuras, quas Bulla Cœnæ, non tamen qualitatem censurarum, nempe reservationem, quæ, si non exprimatur, non videtur inducta; cùm in odiosis

non

non debeat fieri extensio ultra id, quod expressum est. Interim ajunt, praxim, & stylum Curiæ Romanæ stare pro sententia opposita, cui me nolim opponere.

§. II.

De Immunitate Ecclesiastica Reali à Tributis &c.

SCiendum 1. *Immunitatem Realem* esse privilegium, 25
quo res & bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, exempta sunt ab oneribus, nempe pensitationibus, tributis, & exactionibus, Magistratui Sæculari præstandis titulô jurisdictionis. Hæ res & bona vel pertinent ad ipsas Ecclesias & loca Religiosa, ac vocantur *Ecclesiastica*, sive sint mobilia sive immobilia, quorum aliqua sunt benedicta, vel consecrata, vel instrumenta Divini cultûs, utì ipsæ Ecclesiæ, calices, paramenta sacra &c. alia verò non, utì prædia, fundi, reditus annui, pecuniæ &c. Vel spectant ad personas Ecclesiasticas, & hæc rursus sunt in duplici differentia; aliqua enim sunt *Patrimonialia*, seu acquisita titulo temporali ac profano, v. g. ex hæreditate, donatione, emptione, arte, labore manuum &c. Alia autem *Beneficialia*, vel Clericalia, nempe titulô spirituali acquisita, utì sunt reditus beneficiorum, stipendia Missarum, reditus stolæ &c.

Sc. 2. *Onera*, quæ imponi solent, referri ad tripli- 26
cem classem: nam alia sunt *personalia*, quæ personis subditis imponuntur sine respectu ad eorum bona, & consistunt vel in labore personali, utì est tutela, curatela, operæ, seu angariæ & parangariæ, Fron-Dienst/ Schartwerck &c. vel in solutione alicujus certæ pecuniæ singulis capitibus imposita, utì capitatio, Kopffsteur &c. 2. *Realia*, quæ ipsis rebus seu bonis imponuntur sine respectu ad personas ea possidentes, v. g.

agris,

agris, fundis, domibus &c. atque *Tributa* appellantur. Huc videntur referendæ *Acciſæ*, die Auffſchläg / quæ imponuntur rebus uſu conſumptibilibus ; venditis vel vendendis, vino, cereviſiæ, carnibus &c. Item *Indebita*, Umb-Gelter quando nimirum præter acciſas, vel gabellas pecuniarias de potulentis, v. g. vino ; & cereviſia, certa quantitas, v. g. de ſingulis urnis 6. menſuræ, Principi vel Magiſtratui Sæculari pendenda eſt. 3. *Mixta*, quæ nimirum vel exigunt laborem perſonalem & ſimul ſumptus, utì eſt ire ad bellum proprijs ſumptibus, vel imponuntur ſubditis cum reſpectu ad ipſorum bona aut fructus annuos, ſeu imponuntur perſonis propter res, adeóque perſonis immediatè, rebus mediatè, uti ſunt collectæ, ſeu contributiones, Steür- und Anlagen / vectigalia Zoll / portoria, Mauth / & præſtationes teloniorum ; quæ enim bona in terra in- vel exportantur pro ijs propriè Zoll / & quæ transferuntur per aquas, exacta pro illis propriè Mauth appellantur. Huc refer pedagia, quidagia, Werck-Gelter / pontenagia, Brucken-Gelter / pontivegia, Urphar- ſeu Uberfuehr-Gelter / quæ petuntur à tranſeuntibus per vias, pontes fixos, vel penſiles ſeu navigia ; item vectigal delapidationis, Pflaſter-Zoll. Alij hucusque dicta onera vocant genericè *Tributa*, & dividunt in realia, perſonalia, & mixta, eum in modum, quo nos *onera*, & notant, *Collectas* à *Tributis* differre per hoc, quòd collectæ non habeant certam ac annuam præſtationem & penſationem ſeu penſitationem, ſed incertam ob neceſſitatem occurrentem, earúmque impoſitionem fieri ob cauſam non ordinariam, ſed extraordinariam ; hinc etiam *extraordinariæ* penſitationes vocantur.

27 Sc. 3. Tributa & Collectas per Magiſtratum ſæcularem exigi poſſe à membris Communitatis quadruplici titulô. 1. Titulô *dominii particularis*, ut ſi bonum vel prædium Camerale Principis fuit aliis conceſſum quoad utilitatem retentô dominiô directô, uti contingit in Feu-

dis.

dis. 2. Titulô *pacti & reservationis*, ut si quædam bona aliis donantur, venduntur &c. cum reservatione pensionis aut præstationis vel annuæ, vel solvendæ pro occurrente necessitate. In utroque casu hujusmodi bona sunt quodam onere reali gravata, & tertio, v. g. Principi, vel Magistratui obligata. 3. *Titulô impensarum*, quas exigunt opera publica vel facienda vel reparanda, in communem singulorum membrorum communitatis vel reipublicæ usum, utilitatem, aut securitatem redundantia, uti sunt fontes, pontes, aquæductus, muri &c. 4. Titulô *jurisdictionis*, quam obtinet Princeps vel Magistratus in membra Reipublicæ tanquam in subditos in ordine ad eos gubernandos per leges & præcepta, judicandos, defendendos &c. Jam videndum, utrùm & quando Princeps vel Magistratus sæcularis tributa aut collectas prætendere possit ab Ecclesijs & personis Ecclesiasticis. Priùs tamen advertendum, alia tributa vocari & esse *antiqua*, quæ nimirum bonis Ecclesiarum aut personarum Ecclesiasticarum jam antiquitus, & antecedenter, quàm ad illas pervenerunt, erant imposita: alia autem *nova*, quæ nimirum imponuntur quando vel res temporales in illas transferuntur, vel primùm, postquam in dominio Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum jam sunt constitutæ.

Dico 1. Clerici & personæ Ecclesiasticæ sunt immu- 28
nes ab oneribus seu muneribus & obligationibus personalibus, & quidē 1. ab illis, quæ imponuntur à Laicis, uti est census personalis seu capitatio, Kopff-Steur / Leib-Steur / viatica & telonia personalia seu personis imposita, ire ad bellum vel agere vigilias, præbere militibus hospitium in suis ædibus, præstare angarias & parangarias seu operas, Scharwercken / Fronn-Dienst verrichten / ita ut nec per alios suis sumptibus ad id teneantur. 2. A muneribus sordidis, uti est mundare cloacam, fodere arenam, aliisque statum suum dedecentibus. 3. A muneribus honorificis, & indifferentibus, uti est regere civita-

vitatem, agere Tutorem vel Curatorem &c. nisi hæc ultro velint suscipere. Adeóque quoad ista omnia gaudent immunitate personali, sicut gaudere diximus quoad forum Judiciale Laicum in *lib. II. tit. II. de Foro Compet.* Ita communis desumpta ex *c. 1. h. t. in 6. c. 4. de Censib. in 6. can. 40. §. placet. caus. 16. q. 1. can. 19. caus. 23. q. 8. l. 1. 2. 6. 7. 10. l. 17. l. 52. & Auth. Item nulla. C. de Episc. & Cleric.* Ubi verò necessitas publica exigeret, & Laici soli non sufficerent ad agendas excubias, hospitationem militum &c. possent quidem hæc onera imponi etiam Clericis, at non nisi approbante Episcopo. *c. 2. h. t.* cùm tali casu non imponerentur à Laicis per modum jurisdictionis.

29 Dico 2. Bona temporalia Ecclesiarum, & patrimonialia Clericorum, non sunt exempta à tributis Principum & Magistratuum sæcularium antiquis, titulô dominij, vel pacti aut reservationis impositis, si nempe illa bona onere reali perpetuo fuerunt priùs jam obligata. 2. Neque à novis, quæ titulo pacti imponuntur tempore, quo transferuntur actu in Ecclesias vel personas Ecclesiasticas. Ita communis. Pars prior sumitur ex *can. 22. caus. 23. q. 8.* quia res transit cum onere suo reali. *c. 5. de Pignor.* & quia, si res cuidam tertio priùs perpetuò sub tali onere fuit obnoxia, transferens eam non potuit transferre in Ecclesiam sine illo onere; cùm nemo possit plus juris transferre in alium, quàm ipse habeat. *c. 79. de R. I. in 6.* Pars posterior patet indè, quòd quilibet rerum suarum moderator & arbiter sit, consequenter jus habeat res suas in Ecclesiam &c. transferendi cum - vel sine onere, cum-vel sine reservatione aliqua, etiam in loca pia; & hujusmodi pacta servari volunt SS. Canones. *c. 4. de condit. appos. cap. 6. de donat. cap. 23. de Jur. Patr.* Dixi autem 1. *Bona temporalia*, uti sunt fundi & prædia &c. nam sacra, & aliqua benedictione aut consecratione affecta, uti Ecclesiæ, & Cœmeteria, Monasteria, & alia loca Religiosa, item Calices & Paramenta sa-

cra,

era, ab omni sæculari exactione esse immunia, sentiunt omnes Catholici; quia sunt extra commercium humanum, nec proventus temporales aut usum pretiô æstimabilem habent. 2. *Patrimonialia* Clericorum; nam beneficialia, titulô spirituali aut sacri ministerij acquisita pariter immunia esse omnes clamant; quia tam titulus quàm personæ â potestate Laica exemptæ sunt. Idem dicunt de Decimis, in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ ordinatis.

Dico 3. Eadem bona stabilia Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum sunt etiam exempta â tributis & collectis Laicorum novis, quæ exiguntur titulô jurisdictionis. 2. Probabiliter tamen non ab antiquis, quæ jam priùs, quàm ad Ecclesias pervenissent, dictis bonis fuerunt certo & stabili modo imposita eodem titulo jurisdictionis. Pars 1. vix negatur ab ullo orthodoxo, ac desumitur ex *c. 4. de Censib. in 6. c. 4. 7. X. & c. 1. in 6. h. t. Clem. un. eod. Constit. 159.* Urbani VIII. quæ incipit *Romanus Pontifex*, edita ann. 1641. Accedit *Auth. Item nulla C. de Episc. & Cler.* quæ Constitutio Imperatoria, continens favorem Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, quia ab Ecclesia fuit acceptata, à Principe Laico non ampliùs revocari potest; eò quòd Ecclesia ipsi non sit subjecta. *l. sicut initio. 5. C. de Oblig. & Act.* Ratio est, quia Laicis nulla est jurisdictio in Ecclesias & dictas personas, quæ tamen in has immediatè & propriè, in res verò mediatè & impropriè, exerceretur per exactionem tributorum; cùm solæ personæ sint capaces imperij & jussionis. Pars 2. magis est controversa; contrarium enim tenent Suar. Guttierez, Felin. Tamer, Less. Pirhing, Wiestner, & novissimè P. Söll, qui in *tract. de Tribut. p. 2. c. 3. à n. 174.* diserte & zelosè perorat pro opposita sententia ex fundamentis omnino gravibus: pro nostra verò stant Panormit. *in c. 4. h. t. n. 16. & in c. 1. de Cens. in 6.* & cum Innoc. Joan. Andr. Archidiac. aliisque compluribus Wagnereck *in c. 1. h. t.*

in 6. ad verba, *legitimè hactenus acquisitis &c.* Engel *h. t. n.* 25. 26. ubi etiam sic intelligit Laymannum *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 6. *n.* 3. 4. 6. Favet Molina *tr.* 2. *d.* 672. *n.* 3. ac alij, qui generaliter bona Ecclesiasticorum onere quodam reali, antequam ad illos perveniſſent, gravata transferri docent, abstrahendo, an publica auctoritate Magistratûs, vel conventione privata, illud sit antecedenter impositum. Prob. 1. Ex recepto brocardico, ex *c.* 5. *cit. & l.* 20. §. 1. *ff. de acqir. rer. domin.* desumpto, *res transit cum onere suo.* 2. *Ex reg. Juris* 79. *in* 6. *nemo potest plus juris in alium transferre*, quàm ipse habuit: ergo, quando bona, quæ quis transfert in Ecclesias, vel Ecclesiasticos, priùs erant obnoxia oneri reali, auctoritate & lege Magistratûs Sæcularis impositò, non potest transferre sine tali onere, nisi Magistratus vel Princeps ipse illud auferat, vel cedat jure suo: quod quidem olim in pijs fundationibus passim fieri consuevit, non item hodie, ubi multùm remisit Zelus sanctus. 3. Ex praxi, vigente saltem extra Italiam, quam & nos experimur in Germania: consuetudo autem est optima dubij Juris interpres. 4. Ex *c.* 1. *de Cens.* ubi id clarè innui putat Panormit. 5. Ex *can.* 21. 22. *caus.* 23. *q.* 8. ubi Urbanus Papa ait: *de exterioribus suis, quæ palàm cunctis apparent, Ecclesia tributum reddit - - quod constitutum antiquitus est, pro pace & quiete, quia nos tueri & defensare debent, Imperatoribus solvendum est.*

31 Oppones contra 1. partem 1. Principes sæculares non exigunt tributa ab Ecclesijs & Clericis absolutè, sed intuitu bonorum ad ipsos delatorum, quæ sita sunt in ipsorum teritoriis: ergo etiam nova rectè exigunt, vel antiqua augent. 2. Ecclesiæ & Clerici acceperunt sua bona à Laicis: ergo æquum est, ut indè Laicis solvant tributa, quæ ex communi necessitate de novo petuntur. 3. Nova tributa non exigunt Laici titulô jurisdictionis, sed protectionis: ergo jure exigunt. 4. Leges Civiles,

Digitized by Google

uti 7. 11. *C. de SS. Eccl. & l.* 3. *C. de Epiſc. & Cler.* ſtatuunt, ex bonis patrimonialibus Clericorum ſolvenda eſſe tributa. Contra 2. partem oppones 5. Quando fundus transfertur in Eccleſiam, ceſſat ratio adæquata exigendi tributa, priùs impoſita titulô jurisdictionis, cùm ceſſet ſubjectio talium fundorum reſpectu Magiſtratûs Laici: ergo. 6. Quando diſpoſitio venit in eum ſtatum, â quo initium ducere non potuit, evaneſcit. *l. 98. pr. ff. de V. O. l. 85. §. 1. ff. de R. I.* ſed, quando fundus transfertur in Eccleſiam, exactio tributorum venit in eum ſtatum, à quo initium ducere non potuit: ergo. 7. In *c. 12. de reb. Eccl. alien.* dicitur, quòd Laicis *nulla* poteſtas competat de rebus Eccleſiæ diſponendi: & *in c. 1. h. t. in 6.* prohibentur Laici *quascunque* exactiones imponere Eccleſijs vel perſonis Eccleſiaſticis. Similia habentur *c. 3. eod. in 6. Clem. un. eod. c. 4. de Cenſib. in 6.* ſed hi textus, cùm generaliter loquantur, *nullam* omnino Laicis poteſtatem de *rebus* Eccleſiæ quibuscunque *exactiones quascunque* faciendi permittentes, etiam generaliter intelligendi ſunt, etiam de tributis antiquis ex poteſtate jurisdictionali olim impoſitis.

R. ad 1. per hoc, quòd bona Eccleſiarum & Clericorum in territorijs Principum ſæcularium ſita ſint, non ſubjecta fiunt eorum jurisdictioni, ex qua petuntur tributa nova: unde in *d. c. 1. h. t. in 6.* expreſsè ipſis prohibetur exactio *prætextu bonorum.* Ad 2. *N. Conſ.* poſtquam enim ad Eccleſias & Clericos ſine onere translata ſunt, mutârunt qualitatem, & exemptionem conſecuta ſunt. Ad 3. Titulô protectionis non poteſt exigi tributum, ſed potiùs merces vel remuneratio, quæ tamen non neceſſariò eſt pecuniaria, ſed etiam eſſe poſſunt preces, miniſteria ſacra & ſpiritualia, quibus abunde compenſatur protectio. Ad 4. Leges Civiles circa bona Eccleſiaſtica ſunt invalidæ propter defectum jurisdictionis in ferente. Imò ſi fuiſſent aliquandò validæ, quod tamen nullatenus conceditur, revocatæ rurſus fuere per *Auth.*

Item nulla C. de Epiſc. & Cler. Ad 5. *N. Ant.* nam ratio adæquata ſolvendi tributa antiqua non in ſola ſubjectione fundatur, ſed in facta ſemel impoſitione oneris tempore, quo & bona, & perſona, quæ poſſedit, erat ſubjecta, quam ſubjectionem ſupponit quidem dicta impoſitio in fieri, non tamen in conſervari: hinc onus reale priùs impoſitum tranſit quidem ad quemvis poſſeſſorem, utì ſervitus rei ſemel impoſita tempore, quo erat ſubjecta & res & perſona eam poſſidens, de novo tamen imponi non ampliùs ſubjectis nequit. Ad 6. *diſt. Ma.* evaneſcit in caſu, quo perſeverantia diſpoſitionis dependet à negatione ſtatûs illius tanquam â conditione. *tranſ. Ma.* ſi non ita dependeat, utì revera exactio tributorum non dependet, ſi fundus tributis oneratus deveniat ad Eccleſiam &c. *N. Ma.* Et hinc in §. 14. *Inſt. de Legat.* habetur contrarium, quòd nempe ſemel utiliter conſtituta perſiſtere poſſint, licèt in ſtatum deveniant, â quo initium ducere non poterant: ſic ſervitus ſemel impoſita rebus, adhuc ſubjectis, tranſit cum re ad Eccleſiam, non ſubjectam, quia impoſitio non pendet ab hac conditione, niſi res ad Eccleſiam devenerit: ſic Matrimonium perſeverat cum uxore, licèt hæc poſtea incidat in amentiam, ac in talem ſtatum deveniat, in quo contrahi non poterat. Quin imò *regula 85. in ff.* §. 1. contra nos citata clarè nobis favet, his verbis: *non eſt novum, ut, quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licèt ille caſus exſtiterit, à quo initium capere non potuerunt.* Ad 7. *N. Min.* licèt enim, utpote generaliter loquentes, intelligendi ſint generaliter, non tamen quacunque generalitate, ſed ſolùm eâ, quæ reſpicit omnia tributa *nova.* Reſtringendi autem ad hæc, & non extendendi ad *antiqua*, ratio petitur partim ex noſtris probationibus, & conſuetudine, Juris optima interprete, partim ex *c. 1. cit.* ubi tantùm videtur prohibita *impoſitio* tributorum, non verò exactio jam priùs impoſi-

positorum, partim ex *Auth. cit.* ubi expressè est mentio de oneribus novis.

Dico 4. Ecclesiæ quoad sua bona temporalia, & Cle- 32
rici quoad patrimonialia, sunt exempti ab omnibus oneribus mixtis, qualia sunt non tantùm tributa, & collectæ seu steuræ vel contributiones novæ, sed etiam gabellæ seu accisæ & indebita, vectigalia & præstationes teloniorum: exceptis tamen quibusdam casibus, quos postea referam. Ita communis DD. desumpta ex *c. 4. de cens. in 6. Clem. fin. eod. Auth. Item nulla cit.* Suffragatur praxis, etiam Acatholicorum Imperii Statuum teste Knipschild *de Jurib. & privil. Imper. Civit. l. 2. c. 18.* apud Illustrissimum Bavariæ Cancellar. L. B. Schmid *Semicent. 2. controv. 19. n. 19.* qui *n. 5. seqq.* Jus Bavaricum, quod adversari videtur quoad bona patrimonialia Clericorum, explicat, & cum communi sententia, quæ ipso teste tam ex Legibus quàm ex SS. Canon. bona Clericorum patrimonialia docet esse immunia, præsertim mobilia, conspirat. Prob. 1. ex *citt. Jur.* 2. Exactio collectarum, vectigalium, gabellarum &c. fundatur activè in jurisdictione, & passivè in subjectione: sed Laicis nulla est jurisdictio in Ecclesias & Clericos, eorúmque bona, tanquam subjecta: ergo. Oppones 1. Laici jubendo, ut de rebus usu consumptibilibus vendendis vel venditis, v. g. vino &c. solvantur gabellæ & accisæ, statuunt de rebus, quas Laici vendunt sive Clericis, sive Laicis, suæ jurisdictioni subjectis, & eò collimant, ut consulant necessitati publicæ, non ut præjudicent libertati Ecclesiasticæ: ergo licitè statuunt. 2. Talis lex vel statutum dirigitur ad solos Laicos venditores, neque intendit obligare Clericos, ut ipsi eodem pretio res distrahant proprias, aut à Laicis emant merces onere gabellario affectas: ergo eorum libertati non præjudicatur. 3. Si tale statutum foret contra immunitatem Ecclesiasticam, tunc ideo, quia indirectè nocet Clericis: sed hæc ratio probaret nimium, nempe etiam Legem, quæ certas personas reddit inhabiles ad donandum, testandum

&c. ferri à Laicis non posse, quia tales personæ non possent esse liberales in Ecclesias & Clericos, & sic nocerentur ipsis: item sequeretur, nec vectigalia, à mercatoribus solvenda, posse imponi, cùm rerum pretia hoc modo augeantur, & sic noceatur emptoribus Clericis. R. cùm hæc argumenta solùm eò colliment, quòd Clerici teneantur communi pretio, quod exigunt Laici pro rebus, quas gabellis â se solvendis subjectas vendunt mensuratim, v. g. vinum, cerevisiam, carnem &c. hujusmodi res emere, non verò quòd Clerici de rebus proprijs, quas vendere volunt, debeant gabellas solvere, ijs me non oppono; cùm sic non lædatur immunitas Ecclesiastica; eò quòd hæc impositio nec indirectè feratur in Clericos, sed in venditores Laicos, tametsi per accidens involvantur Clerici. Vid. Molina *d. 663. n. 5.* An verò illæ accisæ, quæ petuntur ab ijs, qui potulenta ex vicinis provincijs, v. g. ex Suevia vel Tyroli in Bavariam invehunt pro se & familia sua, etiam peti possint à Clericis, dubium est, quod Cancellar. Schmid *controv. 24. n. 13.* non audet decîdere. Ego nihil hæsitans decîdo, spectato Jure Communi non posse exigi. In eadem Bavaria Clerici sunt immunes ab *Indebitis*, Umbgelt / quorum nomine Monachij de singulis urnis vini & aliorum potulentorum 6. mensuræ â Principe, & aliæ 6. â Statibus Provincialibus exiguntur. Cancellar. *cit.* Landt-Recht. Erklährte Landts-Freyheit *part. 3. art. 1.*

33 Casus autem excepti sunt 1. Si Clericus exerceat nundinationem vel negotiationem propriè talem, seu si res emat, ut eas non immutatas cariùs vendat, ac lucri causâ aliò transferat: iste enim obligatur solvere vectigalia, portoria, gabellas &c. *c. 4. cit.* neque opus est, ut talis priùs moneatur. per *c. cit.* Molina *d. 342. n. 5.* Vid. *Tit. L. Ne Clerici vel Monachi.* 2. Si res, cui imponuntur onera, sit â Principe vel Domino sæculari concessa in feudum Ecclesiæ vel personæ Ecclesiasticæ. 3. Si collectæ, vectigalia &c. exigantur propter com-

mu-

munè necessitatem vel utilitatem, respicientem tamen cõmodũ & bonum singulorum Reipublicæ membrorum, utì defendit Mol. *d. 672. n. 4. concluſ. 2.* Pirh. Schambogen: cùm, qui sentit commodum, sentiat & onus. *c. 55. de R. J. in 6.* & tales præstationes non exigantur in signum subjectionis tanquam â subditis, sed tanquam impensæ ad procurandum commune bonum, vel avertendum malum. Patebit magis ex Assertione seq. 4. Si exigantur ob extraordinariam necessitatem vel utilitatem publicam, non singulorum privatorum, sed totius Reipublicæ vel Communitatis quà talis, vel Principis, ad quod bonum procurandum vel malum avertendum non sufficiunt facultates Laicorum; tunc enim etiam ab Ecclesiasticis contributio peti quidem potest, at non sine consensu Pontificis, vel, si periculum est in mora, Episcopi cum Clero, arbitrantis de necessitate & sufficientia causæ, utì colligitur ex *c. 4 & 7. h. t.* eò quòd Laicis nulla sit jurisdictio in personas Ecclesiasticas. Si autem Papa, vel urgente periculo Episcopus, priùs cognitâ causâ & facta determinatione, quantum in necessitate vel utilitate publica, Clericis & Laicis communi, â Clericis contribuendum sit, consensum dederit (utì dare tenetur, si facultates Laicorum non sufficiant) exactio harum præstationum, & Clericorum eas negantium coactio, non â Laicis, sed á Superioribus Ecclesiasticis facienda est, cùm non ut debitum, sed ut beneficium considerari debeat. per *c. 4. & 7. citt.* Molin. *lo. cit. concluſ. vel eventu.* 4. 5. Si Pontifex Principi Sæculari justa de causa concedat pensitationes petere â personis Ecclesiasticis. 6. Si fundator Ecclesiarum &c. in prima fundatione cum consensu Episcopi sibi reservavit jurisdictionem in bona Ecclesijs donata, & jus eis imponendi collectas &c. sive ordinarias sive extraordinarias.

Oppones 1. Si Clerici & Religiosi non possunt á Magistratu Sæculari absque consensu Papæ vel Episcopi collectis onerari in publica necessitate, neque sine dicto 34

consensu poterunt tempore famis vel charitatis annonæ cogi ad vendendum justô pretiô frumentum vel alia victualia: neque visitari eorum horrea & granaria: sed hoc est absurdum, imò contra Jus Naturale, quod dictat, privatum esse posthabendum communi bono, & utique Clerici graviter peccarent tali casu non succurrendo communitati per venditionem victualium. 2. Gravis, vel extrema saltem, necessitas tribuit jus auferendi bona temporalia â quocunque, etiam nemine consulto: ergo. 3. Qui sentit commodum, sentiat & onus: sed personæ Ecclesiasticæ sentiunt commodum ex felici statu communitatis: ergo & onus in illius angustiis sentire debent. 4. Inconveniens est aliqua membra esse exempta â communibus oneribus, & turpis est pars toti non congruens. 5. In *can. 40. §. placet. caus. 16. q. 1.* eximuntur quidem Ecclesiæ á tributo, sed cum limitatione, *nisi quod adventitiæ necessitatis sarcina repentina poposcerit*: ergo in necessitate communi non eximuntur, & opus non est novo consensu Papæ, cùm eum jam dederit in Jure. R. ad 1. *C. Ma. N. Min.* nam absurdum non est aut contra Jus Naturale, sed valde conveniens, ut petatur consensus Magistratûs Ecclesiastici, cui personæ cum bonis suis subjectæ sunt. Aliud foret, si necessitas urgentissima instaret, & Magistratus Ecclesiasticus adiri non posset, vel aditus & debitè requisitus nollet consentire, ac personæ Ecclesiasticæ ex avaritia succurrere renuerent; tunc enim, non potestate jurisdictionis, sed jure defensionis communitati succurrere liceret meliori, quo fieri posset, modo ex bonis Ecclesiarum & Clericorum. Ad 2. Etiam in tali necessitate, si fieri possit, debitè requirendus est consensus legitimi Superioris; cùm nulla necessitas conferat jurisdictionem incapaci: si autem is adiri nequeat, locum iterum habet jus defensionis, utì dictum. Ad 3. Nisi adsit justa causa, cur eximatur ab onere. *C.* secus. *N. Ma.* Ad 4. Imprimis Clerici tenentur soli ad Subsidium charitativum Episcopis præstan-

standum, si petatur, non' obstante, quòd etiam Laici sint membra Ecclesiæ loci. Dein Milites & Magistratus etiam sunt membra communitatis, & tamen propter alia obsequia, quæ præstant Reipublicæ, sunt exempti â communibus oneribus. Ad 5. Illud â Gratiano est desumptum ex Jure Civili, nempe ex *l. 5. C. de SS. Eccl.* ideo auctoritatem non habet in re, circa quam nihil potest disponere Jus Civile.

Dico 5. Personæ Ecclesiasticæ non sunt immunes ab 35
onere concurrendi ad opera publica, seu publicè necessaria aut utilia, vel construenda, vel reparanda, quorum usus & commodum immediatè ad singulos, Clericos æquè ac ad Laicos pertinet, & quidem probabiliùs etiam inconsultô Papâ vel Episcopô. Molina *cit. d. 672. concluſ. 3.* Pirh. *h. n. 79.* Carol. de Grassis *de Effectib. Clericat. effect. 3. n. 200. seqq.* Ratio, quia æquitas naturalis imò tacitum pactum postulat, ut omnes & singuli, sive Clerici sint sive Laici, justâ proportione contribuant, qui ex ejusmodi operibus commoditate perfruuntur, & ut indemnis sit Princeps vel Magistratus, qui ejusmodi opera exstruunt vel reparant. Quippe tales contributiones non petuntur titulô jurisdictionis, sed prætenduntur titulô impensarum, quas faciunt cives in rem suam, & commoditatis in singulos immediatè redundantis causâ, v.g. si reficiendæ sint viæ, pontes, fontes, muri civitatis, si effodiendus vel purgandus sit puteus communis, si aquæ-ductus faciendus ad irrigandos agros, si ripæ adversùs vim fluminis muniendæ, si excubiæ tempore pestis agendæ &c. Quapropter si ob tales fines exigantur collectæ, pedagia, pontenagia, pontivegia, vectigal delapidationis &c. personæ Ecclesiasticæ non sunt immunes. Modò (quod bene notandum) nihil petatur quæstûs causâ, inferendum ærario publico, vel ad solvenda debita communitatis, vel ad sufferenda Reipublicæ onera publica, vel ad conservandum splendorem Domûs aut Familiæ Principis &c. hæc enim cu-

rare & procurare ad ſolos Laicos ſpectat. Cance
Schmid *controv. 20. n. 9.* Idem videtur dicendum
quid petatur ad propugnacula urbium & munitio
conſtruendas, quia hujusmodi ſpectant communi
quà talis ſecuritatem, & ad ea titulô jurisdictionis fi
exactiones.

36 Oppones 1. Neceſſitas communis non tribuit La
jurisdictionem in Clericos: ergo ob communem nece
tatem & opera publica nihil â Clericis prætendi poteſt
Principes & Magiſtratus Laicos. 2. Ob communem
ceſſitatem nequeunt Laici â Clericis exigere tributa p
ſonalia aut mixta: ergo neque contributionem ad re
ctionem viarum, pontium &c. licèt urgeat communis
ceſſitas. 3. In *c. 4. & 7. h. t.* videtur aſſeri, tum
mum Clericos obligari ad opera publica contribue
quando Epiſcopus cum Clero arbitratus fuerit, nece
tatem vel utilitatem publicam urgere, & *propter q*
rundam imprudentiam priùs conſulendum eſſe Ron
num Pontificem: & quia hæc præſumptio fundatur
periculo univerſali ac morali imprudentiæ, ne Clerici
moderatis exactionibus onerentur, ſemper erit rec
rendum ad Pontificem, licèt in particulari caſu videa
non eſſe periculum. 4. In *c. 4. cit.* expreſsè loqui
Pontifex de *foſſatis & expeditionibus*: ergo loquit
de operibus publicè neceſſariis vel proficuis. 5. In
7. cit. ſuccenſet Pontifex Rectoribus Civitatum, qui C
ricos onerant vel tallijs, vel collectis, vel contributio
bus aliis, ergo omnes omnino tallias & collectas repu
bat ſe inconſulto, conſequenter & illas, quæ prop
opus publicè neceſſarium vel proficuum exiguntur.
Eſto, quòd æquitas naturalis poſtulet, ut ad opera p
blica Clerici contribuant, non tamen poſtulat, ut con
buant independenter ab arbitrio Epiſcopi & inconſu
Pontifice: ergo potuit Pontifex requirere etiam ad
arbitrium Epiſcopi & ſuum conſenſum. Confirm. co
tributio imperata per Laicos eſt obnoxia periculo pec

Digitized by Google

ti: ergo potest Papa, & censendus est adhibuisse cautelam, requirendo necessitatem sui consensûs. R. ad 1. *dist. Cons.* nihil prætendi potest titulô jurisdictionis vel imperij. *C. Cons.* titulô expensarum in propriam singulorum utilitatem factarum vel faciendarum; aut titulô pacti taciti saltem. *N. Cons.* Ad 2. *N. Cons. & parit.* quia tributa personalia & mixta semper exiguntur á *subditis*, quales nec in communi necessitate fiunt Clerici respectu Laicorum; concursus autem ad expensas in opera publica, æqualiter omnibus utilia, non a *subditis*, sed â *membris* communitatis quà talibus, & æqualem utilitatem percipientibus, prætenditur, imò vi pacti, vel sub conditione, si uti velint publicis operibus, nec ab eorum usu excludi; cùm utique nemo possit obligare Principes, & Laicos communitatis cives, ut tertio prosint, pontes exstruant, vias reparent &c. ex suis tantùm mediis. Ad 3. Utrumque *c.* loquitur de collectis potestate Regia ad sufferenda Reipublicæ communia onera impositis vi jurisdictionis, non de illis, quæ prætenduntur titulô impensarum propter opera publicè necessaria vel utilia singulis immediatè, ac fundantur in æquitate & Jure Naturali. Ad 4. *dist. Ant.* loquitur de fossatis & expeditionibus, ad quas tamen concurrere tenentur subditi authoritate Regia. *trans. Ant.* de quibuscunque, ad quas concurrere tenentur cives ex æquitate Naturali vel pacto, vel titulô expensarum. *N. Ant.* Ad 5. *Dist. Cons.* ergo reprobat omnes omnino collectas, in potestate Principum sæcularium fundatas. *C.* in alio principio, puta æquitate naturali &c. *N. Cons.* Ad 6. Inde plus non eruitur, quam quòd potuisset Pontifex etiam pro casu, quo propter opera publica fontium, pontium, viarum, murorum &c. Clerici collectantur, decernere necessitatem requirendi arbitrium Episcopi & consensum Papæ, non verò quòd de facto requisiverit. Unde quamdiu ex Jure non ostenditur necessitas requirendi Episcopum & Papam in contributione ad memorata opera publica, tamdiu non malè negatur. Dico

37 Dico 6. Violatores immunitatis Eccleſiaſticæ rea
e. quicunque Laici, etiam Imperatoriæ aut Regalis
gnitatis, tributa, tallias, collectas, & exactiones alias
ſe vel per alios, directè vel indirectè, imponunt Ec
ſijs aut Eccleſiaſticis perſonis aut bonis earum, vel ab
exigunt extra caſus, in quibus id permiſſum eſſe do
mus, non modò graviſſimè peccant peccatô ſacrileg
injuſtitiæ, ſed etiam tenentur reſtituere omnia, tanqu
injuſtè acquiſita, ac ipſo Jure & facto incurrunt excc
municationem, reſervatam Summo Pontifici extra
culum mortis, nec ab ea abſolvi valent, niſi præſtita
tisfactione etiam ex propriis, ſi nequeant ex bonis cc
munitatis, aut niſi ſaltem cautionem de ſatisfaciendo p
ſtiterint etiam in articulo mortis conſtituti, ſi eam p
ſtare poſſint; ſecus, ſufficit firmum propoſitum ſati
ciendi ac promiſſio ſtandi Eccleſiæ mandatis. *c. 4.*
h.t. c. 4. de cenſ. in 6. Clem. un. & Extrav. Quod
h. t. int. comm. Bulla Cœnæ, & Bulla Romanus
tifex Urbani VIII. cit. in qua ultima etiam reprob
conſuetudo immemorialis, prætextus privilegij Apo
lici, & prætextus non factæ promulgationis, aut
ceptionis Conſtitutionum Apoſtolicarum.

38 Quæres adhuc, quo Jure, Divino, an Eccleſiaſ
tantùm, res & bona Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum
ſonarum exempta ſint ab oneribus, tributis, exacti
bus Laicorum? R. non tantùm Jure Eccleſiaſtico, ut
hucusque dictis patet, ſed etiam Divino, ſaltem in
ſi & acceſſoriè ac in conſequentiam. Quoad ipſas
cleſis & templa, item quoad res benedictione vel
ſecratione affectas, cultuíque Divino peragendo de
tatas vix eſt controverſia: quoad bona temporalia
dote Eccleſijs aſſignata, vel miniſtris Eccleſiæ obv
entia propter obſequium ſpirituale, quæ *beneficia*
vocantur, ſatis quoque certum eſt: quoad alia verò
na temporalia Eccleſiarum, & bona patrimonialia C
corum, non conveniunt DD. Sed noſtra reſponſio

Digitized by Google

batur ex *c. 4. de Cens. in 6.* ibi : *cùm igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solùm Jure Humano, quin imò & Divino, à sæcularium personarum exactionibus sint immunes --- nec ad exhibendum vel solvendum talia pro rebus suis propriis, quas non causâ negotiandi deferunt, &c.* En! *res propriæ* Clericorum omnes, solùm ijs exclusis, quæ negotiationis prohibitæ sunt materia, immunes dicuntur Jure Divino. Accedit, quòd *Actor. 20.* Episcopi vocentur Rectores Ecclesiarum : ergo, sicut Ecclesiæ, ita & res illarum, Episcopis & Prælatis Ecclesiasticis subjectæ sunt. Addidi tamen 1. *in thesi*, h. e. in genere, abstrahendo à particularibus casibus & circumstantijs, uti dixi & explicavi fusiùs *ad Tit. de For. Compet. n. 18. seqq.* Addidi 2. *accessoriè* &c. nempe propter Ecclesias & Ecclesiasticas personas, ad quas pertinent; cùm Personalis immunitas parùm profuisset, nisi & Realis fuisset concessa; nam jurisdictio principaliter quidem in personas, accessoriè verò & secundariò in res exercetur; quapropter si res non forent exemptæ â Laicorum exactionibus, nec personæ satis forent exemptæ, cùm à personis præstanda sint tributa & collectæ rebus impositæ.

TITULUS L.

Ne Clerici vel Monachi Sæcularibus negotijs se immiscant.

SUMMARIUM.

1. *Quid veniat nomine negotiorum sæcularium.*
2. *Quid & quotuplex sit negotiatio.*
3. 5. *Quænam Clericis & Religiosis sit prohibita.*
4. *Et sub quibus pœnis.*

6. Qua-

6. *Quænam in ſpecie ſint prohibita, quæ permiſſa ijſdem.*
7. *Quid Juris, ſi bona, circa quæ negotiatur illicitè Clericus, cadant in commiſſum.*

1 SCiendum 1. per *Negotia ſæcularia*, quæ perſonis Eccleſiaſticis prohibentur hoc Titulo ultimo, qui reſpondet primo hujus Libri III. *De Vita & honeſtate Clericorum*, ibique omiſſa ſupplet, conformiter præcepto Paulino, *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. 2. Tim. 2.* intelligi in genere illa negotia & officia, quæ vel valde abſtrahunt Dei famulos â rebus Divinis, vel contemptum ac vilipenſionem ſtatûs Clericalis & Religioſi pariunt, eúmque minùs decent, licèt Laicis conveniant, & per ſe licita ſint. In ſpecie autem ipſis prohibentur ſequentia. 1. Officium *Procuratoris* circa res & cauſas Laicorum, *Adminiſtratoris*, *Judicis*, *Vicedomini*, *Cancellarij*, *Præfecti &c. Principum ſæcularium*, &, ſi Sacerdotes ſint, qui ejusmodi munia ſublimiora ſuſcipiunt (non tamen ſi tantùm Procuratoris privati) ipſo facto ſunt excommunicati. *c. 2. 4. 5. h. t.* licet tamen Clericis procuratores agere in cauſis paupetum, viduarum, pupillorum, item in negotiis Eccleſiaſticis & coram Judice Eccleſiaſtico, aut quando tractatio negotiorum ſæcularium redundat in utilitatem Eccleſiarum, vel Monaſteriorum: ſic Prælati Eccleſiaſtici (& alii Clerici) poſſunt eſſe Conſiliarij Principum Sæcularium, intereſſe Comitiis, Officia & Præfecturas varias ſuſcipere, ſi territorium poſſident ſub Imperatore vel alio Principe ſæculari; hoc enim pacto impedire poſſunt, ne quid in præjudicium ſtatûs Eccleſiaſtici facilè attentetur. 2. Officium Tabellionis, ſeu Notarij publici, & quidem ſub pœna privationis beneficiorum, ſi beneficiati ſint, & moniti non deſiſtant. *c. 8. eod.* actus tamen ipſorum valent, niſi id ſolenniter ipſis ſit interdictum, vel niſi Religioſus ſine licentia Prælati id exerceat. Permiſ-

ſum

fum quoque ipſis eſt hoc officium in cauſa & in favorem fidei. *c.* 11. *de hæret. in 6.* atque in Curia Eccleſiaſtica Romana; licèt probabiliùs prohibitum ſit in Curia Eccleſiaſtica inferiori, niſi conſuetudo aliud obtineat. 3. *Ordinatio aciei, & directio militum in pugna more Ducum, ac machinarum bellicarum præfectura. c. 9. h. t.* iterum ſub pœna excommunicationis. *can. 3. cauſ.* 20. *q. 3.* ſcilicet extra caſum graviſſimæ neceſſitatis. Quamvis poſſint intereſſe bello juſto, milites hortari ad pugnandum ut privati, iisque in ſpiritualibus ſervire. 4. *Studium publicum Phyſicæ* (h. e. Medicinæ) *& Juris Civilis*, nempe in publicis ſcholis ac Univerſitatibus, & quidem ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. *c. 3. & fin. eod.* Excipe, niſi conſuetudo, vel ſpeciale privilegium, cujusmodi plures Academiæ, uti & noſtra Ingolſtadienſis teſte P. Wieſtner, quoad Jus Civile obtinent, Clericos & Religioſos excuſet. Imò multi etiam his ſecluſis excuſant illos, qui non principaliter, ſed tantùm ſecundariò, ut perfectiùs intelligant ac addiſcant Jus Canonicum, Legibus ſtudent in Univerſitatibus: privatim autem ſtudere iisdem, uti & Medicinæ, nulli eſt prohibitum. 5. *Exercitium artis Chirurgicæ per inciſionem & aduſtionem*, imò & *artis Medicæ*, & quidem ſub pœna irregularitatis, ſi indè ſequatur mors vel mutilatio, licèt alia culpa negligentiæ &c. non intervenerit. *c. 9. cit. & c. 19. de Homicid.* Si chirurgiam exercent abſque inciſione vel aduſtione, agunt quidem illicitè, quia hoc eſt negotium ſæculare, cujusmodi generaliter prohibentur *c. 1. h. t.* non tamen, ſi chirurgiam hanc, vel artem Medicam exerceant ex pietate & miſericordia erga perſonas pauperes, vel cognatas, ubi alius chirurgus, vel Medicus haberi non poteſt, vel ſaltem non æquè peritus. 6. *Judicium criminale ſanguinis*, rurſus ſub pœna excommunicationis, & privationis officij, ac beneficii. *cc. 5. & 9. citt.* imò irregulares evadunt, ſi nimirum judicio ſanguinis interſint autho-

thoritativè & per ſe ipſos, ferendo vel dictando vel ſcribendo mortis vel mutilationis ſententiam, dando ſuffragium vel conſilium de aliquo particulari occidendo, præſtando auxilium, executionem mandando vel faciendo, aut cooperando proximè, & judicialiter. Licitum tamen eſt Prælatis Eccleſiaſticis, merum imperium habentibus & ſanguinis judicium, alteri delegare cauſam criminalem majorem non tantùm generaliter, ſed etiam in caſu particulari, eidem injungendò, ut inquirat veritatem & ſecundùm Juſtitiæ leges procedat; modò non jubeat determinatè, ut Reo pœnam mortis, vel mutilationis infligat. *c. fin. h. t. in 6.* Quo caſu non fit irregularis Prælatus; utì nec alius Clericus interrogatus, ſi in genere reſpondeat, quid Juris ſit circa malefactores, v. g. fures ſecundùm Jura eſſe ſuſpendendos, inceſtuoſos pœnâ ignis plectendos, modò non de aliquo in ſpecie dicat, eum eſſe ſuſpendendum &c. Molina *to. 4. tr. 3. d. 74. n. 5. ſeqq.* & alij communiter.

2 Sc. 2 Specialiter quoque prohiberi hoc titulo, ne Clerici vel Religioſi tractent negotia ſæcularia lucri cauſâ, h. e. mercaturam & negotiationem. *c. 6. h. t.* Sed *Negotiatio* triplex conſideratur â DD. Prima *ſimplex*, vel *œconomica*, & valde *impropria*, quando nempe venduntur res non priùs emptæ, ſed provenientes ex propriis fundis &c. vel emuntur neceſſaria pro ſe & ſua familia, ac viciſſim venduntur ſuperflua. v. g. Clericus emit vina, pannum, equum &c. vendit autem fructus agrorum ſuorum, frumentum, oves, boves &c. Imò licèt ea ipſa, quæ priùs emerat ad proprium uſum ſine intentione revendendi, poſtea autem advertit, ea ſibi non eſſe neceſſaria, vel occaſio ſe offert præter intentionem vendendi cariùs, poſtmodum vendat etiam majori pretio, non eſt propriè negotiator, nec agit illicitè, ut plerique fatentur. Secunda & tertia, mox referenda, eſt *lucrativa*, ſeu quando res emuntur eo fine, ut cariùs poſtea vendantur, ſeu quæ fit cum intentione lucri

lucri per emptionem & venditionem: quod dupliciter fieri potest. 1. Ita, ut res emptæ quoad formam suam immutentur ea intentione, ut postea cariùs vendantur, v. g. emitur hordeum & lupuli, ut confecta indè cerevisia vendatur cum lucro, emitur lana, ut indè pannus, ferrum, ut indè gladij, lignum, ut indè utensilia, herbæ, ut indè fiant medicinæ, & vendãtur lucrosè: item conducitur ager, ut venditis fructibus capiatur lucrum &c. Atque hæc negotiatio est *magis* quidem, sed *non omnino* adhuc *propria*. 2. Ita ut res emantur, & quoad formam suam non mutatæ (vel tam parùm mutatæ, ut in æstimatione communi censeantur permanere eædem) vendantur ampliori pretio, v. g. si frumentum, vinum, pannus, equi vel alia animalia, aut merces quæcunque emuntur, vel alio titulo oneroso comparantur, ea intentione, ut cariùs distrahantur: atque hæc est *propria* & *strictè dicta* negotiatio. Gonzal. ad *c. 6. cit. n. 6. 7.* cum communi.

Dico 1. Negotiatio ultima & strictè dicta certò est prohibita Clericis, in Majoribus constitutis, & Minoristis beneficium habentibus, atque Religiosis, saltem si eam exerceant per se ipsos, & quidem sub peccato mortali, & gravibus pœnis, nisi aliquid excuset. *can. 9. & totâ fere dist. 88. c. fin. de Vit. & honest. Clem. 1. eod. c. 1. 6. h. t.* Trid. *s. 22. c. 1. de Ref.* ubi innovat pœnas Juris Antiqui. Ratio, quia hæc negotiatio dedecet statum tam sacrum, personas Ecclesiasticas nimiùm distrahit à rebus divinis, sapit avaritiam, & exponit gravibus peccandi periculis. Dixi 1. *Constitutis in Majoribus &c.* nam Minoristas beneficiô carentes excusant multi probabiliùs contra Fagn. & Pirhing, quia hos Jura non exprimunt, & alias negotia Sæcularia tractare permittuntur. 2. *Saltem si eam exerceant per se ipsos*, sive totaliter, sive partialiter, ita ut magnopere concurrant per se ipsos. Si verò totam curam, in negotio consistentem, vel ferè totam, aliis relinquant, ipsi verò tantùm dent v.g. pecu-

nias, uti datur campsori, communior sententia cum Laym. Pellizar. Haun. Gonzal. Correa &c. contra Ugolin. Ricc. P. Friderich *de Empt. Vendit. n.* 68. illos excusat a mortali; quia sic non multùm avocantur à rebus divinis. Licèt etiam hoc modo facilè peccent, saltem venialiter, ratione scandali vel avaritiæ. 3. *Sub peccato mortali*, quia Jura statuunt in negotiatores valde graves pœnas, ex quibus colligitur gravis prohibitio, uti sentiunt ferè omnes contra Cajetan. *in Summa v. Clericus.* Erit tamen veniale ob parvitatem materiæ, vel si una tantùm vel altera vice contingat, ut habet communior; quia *negotiatio* dicit actus frequentatos: ab omni autem peccato excusat necessitas, si aliter non possint vivere; deberent tamen hoc casu priùs confugere ad laborem manuum, vel ad artificium, si indè sustentare se possent. *arg. can.* 3. 4. *d.* 91. Sed

4 Quæres, quænam sint pœnæ negotiantium Clericorum & Religiosorum? R. sequentes. 1. Suspensio. *can.* 2. *d.* 88. *c.* 4. *h. t.* imò & depositio ab ordine & gradu Clericali. *can.* 4. *d.* 91. & excommunicatio. *c.* 6. *h. t.* sed omnes ferendæ tantùm sententiæ. 2. Privatio immunitatis à gabellis & vectigalibus Magistratui laico solvendis de rebus, circa quas negotiantur, probabiliùs antè omnem monitionem, ut docet Felin. & Sanch. cum communiori ex *c.* 4. *de Censib. in* 6. *& Clem. uit. eod.* contra Ant. de Butr. & Panormit. licèt non ante sententiam, saltem declaratoriam criminis, à Judice Ecclesiastico ferendam. 3. Privatio privilegij Clericalis à tributis Magistratui laico solvendis de omnibus suis bonis patrimonialibus, si post trinam Episcopi monitionem non destiterint à negotiando. *c. fin. de Vit. & honest. Cler. Clem. cit.* Sed utraque privatio cessat ipso facto, si resipiscant, ut habet communis ex *c. fin. & Clem. citt.* P. Friderich. *n.* 76. 77. 4. Inhabilitas ad testandum, licèt alias facultatem testandi haberent, de quibusvis suis bonis per negotiationem acquisitis, quæ ex Constit.

De-

Decens Pij IV. cedunt Cameræ Apoſtolicæ, non tamen ante omnem ſententiam. In Germania loco Cameræ Apoſtolicæ eſt Fiſcus Epiſcopi.

Dico 2. Etiã prior negotiatio minùs propriè dicta prohibita eſt Clericis & Religioſis, eodémq; modo, per quam lucri causâ emunt res, & per artem vel induſtriam alienam ĩmutatas cariùs vendunt. 2. Non verò, ſi emptas per artem vel induſtriam propriam immutent, & cariùs vendant, niſi talis ars eſſet ſordida, vel ſerviret ad pravos uſus. 3. Neque ſi res proprias, vel ex ſuis fundis aut reditibus comparatas, per ſe vel per alios immutent quoad formam ea etiam intentione, ut cariùs & cum lucro vendant. Ita communis. Quoad primam partem colligitur ex probationibus primæ Aſſertionis; licèt enim proprijſſime dicta negotiatio non ſit, quando res priùs immutantur, ſi tamen lucri & quæſtus causá emantur & rurſus vendantur, alienâ operâ mutatæ, pugnant eædem rationes Juris, quæ pro prima Aſſertione; ſi enim immutentur ab aliis, cenſetur emi alienus labor & indè lucrum capi, quod lucrum eſt anima negotiationis prohibitæ. Aliud foret, ſi non merò lucri ſtudiò fieret, ſed ad parandum victum, ad fugandum otium, caſtigandum corpus, faciendas eleemoſynas, vitandum damnum, quòd alias ſubirent ex erecta v. g. officina pharmacevtica in ſuas & ſuorum neceſſitates, uti faciunt Religioſi in ſuis Monaſterijs, vendendo medicamenta ſuperflua proprijs neceſſitatibus. Vid. P. Schmalzgrueber *h. n. 20. ſeqq.* Pars 2. ſumitur partim ex *can. 3. 4. d. 91. can. 33. d. ſ. de Conſecr. Nov. 133. c. 6.* partim ab exemplo antiquorum Monachorum, qui ciſcellas, caniſtros, retia, ſtoreas, ex rebus emptis faciebant & vendebant cum lucro, hortósque colebant pro mercede, imò ipſe S. Paulus artem ſcenofactoriam exercebat, & artefacta vendebat, labore ſe ſuſtentans, partim quia potiùs exempli, quàm ſcandali eſt, ſi Clerici & Religioſi proprio labore vel artificio honeſto, v. g. faciendo picturas, icones, numiſmata,

horologia &c. otium pellant, suísque temporibus honestè se ita occupent, licèt artefacta vendant cum lucro, vel ad sustentationem, vel ad piam causam ordinato. Limitavi tamen, *nisi talis ars esset sordida &c.* ut est macellariorum, lanionum, cauponum &c. *Clem. 1. de vit. & honest. Cler.* item locare operam ad tractanda fabrilia, fodiendam terram, coquere panem vel cervisiam pro quæstu, conficere arma bellica, chartas lusorias &c. Hujusmodi enim dedecent statum tam sanctum. Pars 3. constat ex natura negotiationis lucrativæ, quæ sicut essentialiter requirit intentionem lucri & quæstûs, ita etiam ut res, quæ venditur (vel mutata vel non mutata) priùs ematur ex dicta intentione: ergo si ex proprijs fundis vel reditibus proveniant, negotiatio non est.

6 Ex dictis colliges, Clericis & Religiosis prohibitum esse emere frumentum, uvas, lanam, lac, ferrum &c. ut per conductos operarios aut famulos indè conficiant panes, cervisiam, vinum, pannum, caseum, instrumenta ferrea, & hæc vendant cum lucro, item emere boves & pabulum simul, ut illos hôc saginatos cum lucro vendant, aut (per *c. 6. h. t.*) conducere fundos & prædia, ut per operarios colant, fructúsque vendant. Econtra non esse prohibitum 1. ex frumento de proprijs agris collecto pinsere panes vel praxare cervisiam, de uvis suorum prædiorum exprimere vinum, ex propriis salinis salem conficere &c. ac erectâ etiam tabernâ vendere, at non nisi per famulos vel alios. Neque damnari possunt, si fortè non sufficiat frumentum ex propriis agris collectum, & emant aliud, ne jus coquendi cervisiam perdant, vel emptores aliò diffluant. 2. Pabulo ex suis fundis proveniente saginare animalia etiam empta, ut lucrum faciant. 3. Locare sua prædia, & animalia pro pensione, at non emere eum in finem, ut locent alijs cum lucro. 4. Emere boves pro cultura suorum agrorum, & animalia cum pascuis & pabulis, ut ex fructibus, & animalium fœtibus, faciant lucrum; non tamen

tamen conducere alienos greges, ut fructus vendant. 5. Vinum vel frumentum ex propriis vineis & agris vendere cariori, & aliud emere viliori pretio. 6. Conducere alienos agros ad suorum pecorum sustentationem, vel suorum prædiorum administrationem. 7. Emere boves vel alia jumenta vel instrumenta ad proprium usum, licèt cum animo revendendi post usum. 8. Emere pretio vili eo fine, ut id ipsum eodem pretio vendatur amico. 9. Empta sine animo vendendi postea vendere etiam cariùs, quia v. g. se offert occasio, vel quia appareret, ea essẽ superflua pro sua familia. 10. In suis molendinis, postquam moluerint suum frumentum, molere alienum pro mercede &c.

Quæres, an in casu illicitæ negotiationis bona, circa quæ negotiatur Clericus, cadant in commissum, si ex iis non solvat vectigalia aut portoria, vel non fideliter ea indicet telonario. 2. An telonarius nomine Fisci propria auctoritate occupare vel retinere valeat. 3. Et, si opus sit auctoritate Judicis, quis iste sit competens, Laicus an Ecclesiasticus? R. ad 1. Cadunt quidem in commissum ipso facto, at non, nisi Clericus fuerit priùs ter monitus, ut â negotiando desistat. *arg. c. fin. de vit. & honest.* licèt enim teneatur ad vectigalia, etiam non monitus, negotiator Clericus, privilegia tamen Clericalia non amittit incurrendo pœnas civiles, inter quas est etiam confiscatio mercium, nisi ter monitus; hæc enim sunt valde diversa, Clericum teneri ad vectigalia, & teneri lege ac pœnâ commissi. R. ad 2. negativè cum Cancellar. Schmid. *Controv.* 21. *semicent.* 2. licèt enim dominium rerum, quæ cadunt in commissum, transferatur ipso jure in Fiscum. *l.* 14. *ff. de Public. & Vectigal.* tamen non hoc ipso in eundem transfertur possessio, sed hæc manet apud Clericum negotiatorem, donec res illæ â Fisco, cui solùm competit actio in rem, evincantur. Igitur non statim apprehendi res commissæ debent, sed per actionem realem vel vindicationem legitimè acquiri;

cùm ijs, qui de commiſſo accuſantur, ſubinde non
leg timæ excuſationes, puta erroris, juſtæ ignor
&c. R. ad 3. Solus Eccleſiaſticus eſt competens.
cell. Schmid. *lo. cit.* quia hæc actio fundatur in d
Clerici, nempe in dolo vel fraude declinantis ſo
nem vectigalium: in delictis autem Clerici non
habent Judicem, niſi Eccleſiaſticum. Neque tale
commiſſæ poſſunt interim arreſtari à Judice Sæc
donec lis à Judice Eccleſiaſtico fuerit deciſa; cùm
ſtatio illarum præſupponat jurisdictionem in perſo
cujus res arreſtantur: intellige, niſi obſtet conſu
contraria, quæ probari debet. An verò culpa au
fraudulosè non profitentis merces, vel telonium
nantis, noceat domino innocenti, diſputatur in u
que partem. Cancellar. Schmid *controv.* 23. *nu*
affirmat, eò quòd dominus mercium ſibi imputar
beat, quòd res ſuas crediderit aurigæ infideli, c
jus fidem ſcire debuerat.

O. A. M. D. G.

Digitized by Google

Index Rerum & Verborum.

Ex toto Libro III.

Numerus primus *Romanus* indicat Titulum, *Cifræ* autem numerum marginalem.

A.

Absentes Capitulares quando vocandi. XI. 2.
Absentium Vota an computanda. 4.
Abstinentia à carnibus & secunda refectione. XLVI. 1. 2. 4. seqq.
Acceptilatio. XXIII. 1.
Acceptio indebiti. 12.
Accisæ. XLIX. 26.
Acquæstus. XXVII. 16.
Actio æstimatoria. XVII. 53. 59. Commodati. XV. 8. Depositi. XVI. 12. Emphytevticaria. XVIII. 46. Empti & Venditi. XVII. 21. Feudalis. XX. 21. 23. Hypothecaria & Pignoratitia. XXI. 16. seqq. Legis secundæ Cod. de Rescind. Vendit. XVII. 54. 60. 61. Locati, Conducti. XVIII. 21. Precariarum. XIV. 4. Redhibitoria. XVII. 53. 59.
Actio qualis detur respectu hæreditatis. XXVI. 58. 74. 84.
Actio duplex in quibus contractibus. XV. 9.
Addictio in diem. XVII. 3. 11. seqq.
Aditio hæreditatis est quasi-contractus. XXIII. 12.
Administratio tutelæ est quasi-contractus. *ibid.*
Administrator Beneficii. VI. 1.
Admodiatio. XVIII. 4.
Ad-vel apud Acta testari. XXVI. 3. 45.

Digitized by Google

INDEX.

Advocatus Eccleſiæ. XXXVIII. 3.
Ædilitium Edictum. XVII. 52. 53. 59.
Affectio Beneficiorum. V. 58.
Afflictus. XVIII. 4.
Agnati. XX. 12. 16. XXVII. 3.
Alienatio quid. XIII. 4. 9. 10.
Rerum Eccleſiaſticarum prohibita. 5. 6. 7.
Et invalida. 25. ſeqq.
Immobilium requirit cauſam. 12. 13.
Et ſolennitates. 14. ſeqq.
An etiam conſenſum Papæ. 18. ſeqq.
Quid, ſi fiat ab una Eccleſia in aliam. 22. XIX. 6.
Malè facta quas habeat pœnas. XIII. 30. ſeqq.
Alienatio Feudi. XX. 24. 27.
Altare quid & quotuplex. XL. 2.
Ejus conſecratio, vel execratio. 3. 4. 6.
Alternativa collatio Beneficiorum. V. 39. 49. ſeqq.
Amortizatio. XVII. 20.
Annatæ. V. 61. 74.
Annus probationis Religioſæ. XXXI. 7.
Antichreſis. XXI. 8. 9.
Apertura Feudi. XX. 26. 29. 31.
Approbatio pro cura animarum. VII. 2. 12.
Arrha in Emptione-Venditione. XVII. 3. 8. 9.
Aſcendentes quomodo ſuccedant. XXVII. 11. 12.
Aſylia. Aſylum. *vid.* Immunitas Eccl. localis.
Aſſignatio Nominis. XXIII. 33.

B.

Baptiſmus quid & quotuplex. XLII. 1.
Ejus effectus. 2.
Neceſſarius Ordinandis. XLIII. 1.
Beati quinam, & quomodo colendi. XLV. 1. 2.
Benedictio Eccleſiæ, cœmeterii &c. XL. 3. 5. 8.
Beneficia Ordinis ſeu Excuſſionis: Diviſionis: Cedendarum actionum: Liberationis: Legis, *ſi contendat.*

dat. XXII. 10. 11.
Competentiæ, & Ceſſionis bonorum. XXIII. 6. 7.
Beneficiati quomodo teneantur reſidere. IV. 5. ſeqq.
Infirmi quomodo juvandi. VI. 2. 3.
Tenentur geſtare habitum. I. 4. ſeqq.
An eis poſſint imponi onera. XII. per tot.
Sunt domini redituum beneficialium. XXV. 5. ſeq.
An & quomodo ſuperfluos teneantur erogare piè. 8. ſeqq.
Beneficia Affecta, & Reſervata. V. 56. 57. 62. ſeqq.
Beneficium Eccleſiaſticum quid & quotuplex. V. 2. ſeq.
Eſt jus ſpirituali annexum. 3.
Exigit perpetuitatem, & auctoritatem Epiſcopi. 2. 6. 7.
A quo conferatur. 38. ſeqq. 49. 50.
Quomodo conferendum. VII. 1. 2. XII. per tot.
Amiſſio & vacatio beneficij multiplex. VIII. 2. 3.
Privatio multiplex. II. 3. 4. III. 3. ſeqq. IV. 7. 8.
Non vacantis conceſſio vel promiſſio. VIII. 5. ſeqq.
Quo tempore conferendum. 10.
Quando obtento ſecundo vacet primum. V. 15. ſeqq.
An diminui, vel gravari poſſit onere. XII. per tot.
Quibus conferendum. V. 22.
Sæculare an poſſit conferri Religioſis. 35. 36.
Parochiale recipiens quam intentionem habeat. 33. 34.
Beneficiorum pluralitas. 10. 11. ſeqq.
Suppreſſio, Diſmembratio, Diviſio. 21. 22. 29. ſeqq.
Unio. 19. 23. ſeqq.
Permutatio. XIX. 7. ſeqq.
Berucca an Clericis conceſſa. I. 8.
Bona Clericorum varia. XXV. 2. 3. 5. ſeqq.
Eorum, & Eccleſiarum, an obnoxia oneribus. XLIX. 29. ſeqq.

Ecclesiarum an sint alienabilia. XIII. per tot. XIX. 6.
Breviarium. XLI. 3.

C.

Caducitas Emphytevsis. XVIII. 48. seqq.
Feudi. XX. 26. seqq.
Calix: ejus consecratio, & execratio. XL. 7.
Canon locationis. XVIII. 10. 16. 17.
Emphytevticus. 24. 27. seqq. 45. 48. 49.
Canonia quid. V. 1. 5.
Canonici an possint conferre beneficia. 46.
Quomodo teneantur residere. IV. 10. seqq.
Canonici Regulares. XXXV. 1. *vid.* Religiosi.
Capellania. V. 4. 6.
Capellæ Religiosorum. XXXVII. 1. 2.
Capitulariter quæ geri dicantur. X. 1. XI. 1. 2.
Capitulum quid sit. X. 1.
Quando censeatur legitimè congregatum. XI. 1. 2.
Requirit duas tertias. 2.
A quo convocandum. 3.
Major illius pars quomodo requiratur. 4.
Quando consensus vel consilium. X. 2. seqq. XII. 15. 17.
Item subscriptio. 15. XI. 6.
Quid possit in collatione beneficiorum. V. 45. IX. 7. 8.
Quid in jurisdictionalibus Sede vacante. 1. 2. seqq.
Et quoad perceptionem fructuum. 2.
Castitas Religiosorum qualis. XXXV. 4.
Causa justa alienandi res Ecclesiæ. XIII. 11. seqq.
Causa Pia quæ dicatur. XXV. 13. XXVI. 38.
Cautio quid & quotuplex. XXI. 4.
Ex Pignore & hypotheca. XXI. 1. seqq.
Chrisma quomodo asservandum. XLIV. 1.
Census quid & quotuplex. XXXIX. 1.
An Ecclesijs & beneficiis possit imponi. 5. 6.
Cessio bonorum. XXIII. 7. XXIV. 4.
Clerici quinam dicantur. I. 2.

Ad

INDEX.

Ad quam vitæ honeſtatem teneantur. 3.
Debent geſtare habitum & tonſuram. 4. ſeqq.
Quinam gaudeant privilegiô Fori & Canonis. *ibid.*
An poſſint geſtare beruccam. 8.
Quæ alia ipſis proh bita. 9. 10. ſeqq.
An ſint capaces Feudorum. XX. 19. 20.
An & quomodo ipſis ſuccedatur. XXVII. 18.
An bona ipſorum exempta ab oneribus. XLIX. 29. ſeqq
Gaudent privilegiô competentiæ. XXIII. 6.
Gaudent aſylô. XLIX. 10.
Non immiſceant ſe negotiis ſæcularibus. L. per tot.
Clerici Beneficiati ſunt domini reditnum. XXV. 5.
Etiam ſuperfluorum. 6. ſeqq.
Hos tamen tenentur piè expendere. 8. ſeqq.
Quando ſub mortali. 14.
An de iisdem poſſint teſtari. XXVI. 52.
Clerici conjugati, vel contrahentes Matrimonium. III. per tot.
Clerici concubinarii. II. 1. 4.
Fornicarii. 3.
Cohabitantes cum fœminis. 2.
Clerici Negotiatores. XLIX. 33. L. 2. ſeqq. 7.
Coadjutoria: Coadjutor. VI. per tot.
Codicillus. XXVI. 4. 21. 33.
Codicillaris clauſula. 22.
Cœmeterium. XL. 1. 2. XLIX. 9.
Collaterales conſanguinei quomodo ſuccedant. XXVII. 13.
Collatio Beneficiorum ad quos ſpectet. V. 38. 40. ſeqq.
Quale jus tribuat. 55.
Alternativa. 39. 49. ſeqq.
Quæ ſit reſervata Pontifici. 56. 57. 62. ſeqq.
Collatiuncula, ſeu cœnula. XLVI. 2. 6.
Commenda. Commendiſta. V. 4. 6.
Commiſſoria Lex. XVII. 3. 10. 13.
Commodare quis, & quid poſſit. XV. 3. 4.

Com-

Commodantis & commodatarii obligationes & jura. 5. ſeqq. XVI. 11.
Commodatum quid. XV. 1. 2.
Commodum rei venditæ penes quem. XVII. 50. 51.
Communio eſt quaſi contractus. XXIII. 12.
Commutatio Voti. XXXIV. 2. 11.
Compenſatio debiti. XXIII. 31. 41.
An locum habeat in Depoſito. XVI. 13.
Occulta quando licita. XXIII. 42. ſeqq.
Competentiæ beneficium. XXIII. 6.
Conceſſio præbendæ. VIII. 1. 5. *vid.* Collatio.
Concordata Germaniæ. V. 60. 67. ſeqq.
An derogent Regulis Cancellariæ. 39. 49. 54.
An ipſis derogari poſſit. 71. 73.
Concubina. II. 1. 5.
Concurſus in collatione Beneficiorum. V. 40. 42.
Creditorum in ſolutione. XXIII. 21. ſeqq.
Conductio locatio. XVIII. 3. 5.
Quam pariat obligationem & actionem. 16. 21.
Circa quas res fieri poſſit. 8. 9.
Conductor ad quid obligetur locatori. 7. 12. 13. 16.
Confuſio. XXIII. 1.
Conjugati an poſſint promoveri ad Ordines. III. 7. 8. XXXII. 2. 3.
An & qualiter ingredi Religionem. XXXII. 2. 3.
Conjuges quomodo ſibi ſuccedant. XXVII. 15. 16.
Conſanguinei. 3. 4. quomodo ſuccedant. 6. ſeqq.
Conſecratio Eccleſiæ, Altaris &c. XL. 3. 5. ſeqq.
Conſenſus in Emptione-Venditione. XVII. 16. 21.
Papæ in alienatione rerum Eccleſiæ. XIII. 18.
Capituli. 11. 14. 15. 17.
Patroni. 16.
Contractus Reales, Conſenſuales, Verbales. XIV. 1.
Contributiones. *vid.* Collectæ. Tributa.
Converſio conjugatorum. XXXII. per tot.
Infidelium. XXXIII. per tot.

INDEX.

Ad Corpus emptio. XVII. 7. 48.
Creditor hypothecarius, chirographarius. XXIII. 19.
Quis in ſolutione præferendus. 21. ſeqq.
Creditorum concurſus. *ibid.*
Crimina ab Aſylo excludentia. XLIX. 14. ſeqq.
Culpam qualem præſtet accipiens Precarium XIV. 6. Commodans & Commodatarius. XV. 5. 6. Deponens & Depoſitarius. XVI. 8. 9. Emptor Venditor. XVII. 43. 47. Emphytevta. XVIII. 40. Conductor. 16. Locator. 15. Debitor ex pignore. XXI. 15. Vaſallus. XX. 24.
Cultus Sanctorum, & Reliquiarum. XLV. 1. 2.
Cura animarum â quo danda. VII. 2. 12.
Cuſtodia Evchariſtiæ, Chriſmatis &c. XLIV. 1.

D.

Datio in ſolutum. XXIII. 31.
Datio ob cauſam. 12. ob turpem cauſam. *ibid.*
Debitor faciendi & promittendi. XXIII. 13.
Ex pignore. XXI. 14. 15.
Ex delicto. XXIII. 8. 37.
Quomodo & quando teneatur ſolvere. 34. ſeqq.
An gaudeat aſylô. XLIX. 9.
Debitum ex pluribus quod cenſeatur ſolutum. XXIII. 35.
Debiti deductio. 31. 41. Delegatio. 33. 46.
Solutio & extinctio varia. 1.
Decimæ & jus decimandi. XXX. 1. ſeqq. 39. 40.
Quotuplices ſint, præſertim quid Laicales. 3. 5. 6. XLVIII. 5.
Debentur Parocho & Beneficiatis. XXX. 25. ſeqq.
Quo Jure. 9. 10. an ex Juſtitia & Religione. 41.
An debeantur quandoque etiam alijs, præſertim Laicis. 11. ſeqq.
A quibus ſolvendæ. 14.
An etiam à Clericis & Religioſis. 15.
An ab exemptis privilegiô, præſcriptione, conventione. 17. 18.

INDEX.

An à conductore, vel locatore prædij. 16.
Exemptio à Decimis an extendenda. 19.
Decimæ reales solvendæ ex fundis. &c. 23.
Personales ex lucris de Jure scripto. 24.
Quando solvendæ, & ubi. 31. 36. 37.
Quomodo solvendæ. 32. 33. 35. 38.
An in natura, vel etiam in pecuniis. 33.
Nam solventes peccant & puniuntur. 50.
Sunt compellendi, & quomodo. 49.
Decimæ Novalium ad quem pertineant. 25. seqq.
Decimalis causa ad Judicem Ecclesiasticum spectat. 42. seqq.
Etiam in Possessorio, & quæstione facti. 43. seqq.
Et in dubio, an non sint Laicales. 46.
Quomodo tractanda. 47.
An admittat appellationem. 48.
In ea quid debeat probare Actor. 47.
Decimator quale jus habeat, reale vel personale. 49.
Qualem actionem. 50.
Non est spoliandus Decimis, maximè Parochus. 35. 50.
An teneatur reparare Ecclesiam ruinosam. XLVIII. 50.
Deductio debiti. XXIII. 31. 41.
Delegatio debiti. 33. 46.
Deponere quis quid possit, & censeatur. XVI. 4. 5. 6.
Deponentis & depositarii obligationes & jura. 8. 9. 11.
Depositum quid & quotuplex. 1. 2. 3.
Actio indè orta. 12. 13.
Destitutio Testamenti. XXVI. 74.
Devolutio collationis Beneficiorum. VIII. 11.
Dignitas quid & quotuplex. V. 5.
Diminutio beneficiorum an concessa. XII. per tot.
Diminutio capitis. XXVI. 74.
Dicta Legalis. V. 62.
Dispensatio in voto. XXXIV. 2. 10.
Distributiones quotidianæ quid. IV. 3.
Ad illas percipiendas quid requiratur. 12. seqq.

Do-

Digitized by Google

Dominus directus obligatur Vasallo. XX. 22. 26.
Dominium pretij an transferri debeat in venditorem. XXVII. 25. 29. 41.
Dominium rei venditæ an per traditionem transferatur. 41. 48.
Domus Parochi à quo reparanda. XLVIII. 4. 5.
Domus Religiosæ, Sacræ, Piæ. XXXVI. 1. 2. 4.
Religiosorum novæ ut ædificentur. 3.
Et ut transferantur, quid opus sit. 5.
Dos Ecclesiæ. V. 7.
Dotis privilegium in concursu Creditorum. XXIII. 21. 23. 29.

E.

Ecclesia quid sit & quotuplex. XL. 2. XLVIII. 1.
Ut ædificetur nova, quid opus. 2. 3.
Consecrari debet, vel benedici, vel deputari. XL. 3. 5.
Quid sit eam execrari, pollui, reconciliari. 4. 9.
Reparari ruinosa à quibus debeat. XLVIII. 4. 5.
Gaudet immunitate locali. XLIX. 9.
Et Reali quoad bona. 29. seqq.
Ejus res alienari an possint. XIII. 5. seqq.
Ejus nomine quæ veniant loca. 3. XLIX. 9.
Emphytevsis quid & quotuplex. XVIII. 23. seqq.
Alterata. 29.
Habet locum in immobilibus tantùm. 30.
A quibus dari & recipi possit. 31. 32.
Qui in ea succedant. 33. seqq.
An prælegari uni ex liberis possit. 35.
Quam pariat actionem. 46.
Quam culpam præstari exigat. 50.
An alienari possit. 42. 51.
An oppignorari. 42. XXI. 5. 12.
Quomodo amittatur. XVIII. 47. 52. 53.
Quomodo & quando fiat caduca. 48. seqq.
Emere & vendere quinam possint vel debeant. XVII. 18. seqq.

Emi & vendi quid possit. 22. seqq.
An eadem res duobus. 6.
Emptio-Venditio. 1. 2. 4. 7.
An exigat traditionem rei. 4. 5. 40. seqq.
An dationem pretii. 4. 5. 41. 46.
An recipiat pactum Legis Commissoriæ. 3. 10. 13.
An pactum addictionis in diem. 3. 11. seqq.
An pactum de retrovendendo. 3. 14. 15.
An arrham, & quid hæc operetur. 3. 8. 9.
An transferat dominium rei & pretii. 5. 10. seqq. 29. 41. 51.
Quid requirat ad suam essentiam physicam. 16. 17.
Quomodo resolvatur. 55. 59. seqq.
Emptio-Venditio ad corpus & quantitatem. 7. 48.
Emptor ad quid obligetur. 36. 46. 47.
Malæ fidei potest rem reddere furi. 24. 25.
Episcopi quomodo teneantur residere. IV. 5. seqq.
Quid possint in reducendis Missis. V. 7.
Quomodo unire, & conferre beneficia. 18. 19. 23. seqq.
Quando indigeant consensu Capituli. X. 2. seqq.
Vel consiliô ejusdem. 4. seqq.
Non habent vocem in Capitulo. XI. 2.
Equites Teutonici, & Melitenses. XXXI. 2.
Error an irritet votum. XXXIV. 5.
Eucharistia & Sacramentum & Sacrificium. XLI. 2.
Quomodo & ubi asservanda. XLIV. 1.
Evictio. XVII. 35.
Quando præstanda à venditore. 44. 45.
Quamdiu duret. 45.
Exactiones. XLIX. 26. 30. seqq. XXXIX. 2. 7. 9.
Excommunicati an sepeliendi in loco sacro. XXVIII. 10. seqq.
Excussionis Beneficium. XXII. 10.
Executor & executio Testamenti. XXVI. 75. 85. seqq.
Exemptio à Decimis. XXX. 17. seqq.

Digitized by Google

Exequiæ an in Parochia celebrandæ. XXVIII. 4.
Exhæredatio. XXVI. 67. 68.
Extractio & extraditio ex asylo. XLIX. 21. seqq.
Extravagans *Ambitiosæ* an recepta. XIII. 20. 21.
Extravagans *Execrabilis*, & *Ad Regimen*. V. 63. 65.

F.

Falcidia. XXVI. 57. 60. 69. 70.
Felonia commissionis & omissionis. XX. 26. seqq.
Feudum quid. XX. 1. 2. 3. qualis contractus. 4. 5.
Proprium & Improprium. 6
Nobile, Ecclesiasticum, Hæreditarium &c. 7.
Fœmineum, Francum, Pignoratitium, Emptitium, Bursaticum &c. 8.
Quis & quid dare possit in feudum. 9. 10.
A quibus recipi. 11.
Quinam succedant in feudo. 12. seqq.
An etiam Clerici & Religiosi. 19. 20.
Quam pariat actionem & jura. 21. 23.
Quomodo acquiratur. 25.
Quomodo amittatur. 26. seqq.
Fideicommissum universale & particulare. XXVI. 7. 9. 10. 33.
Fidejussor. Fidejussio. XXII. 1. 2.
Quis possit esse fidejussor. 5. 6. 7.
Quam contrahat obligationem. 3. 8. 9.
Quæ habeat beneficia & privilegia. 10. 11.
An ista amittat per renuntiationem. 4.
Fidelitas Vasalli. XX. 24. 27. 28.
Filiusfamilias an possit testari. XXVI. 49. seqq.
An donare mortis causâ. *ibid.* XXIV. 5.
An eidem donare pater. 6.
Fiscus quando succedat, vel occupet bona. XXVII. 17.
Fœminæ an succedant in feudo. XX. 17.
An semel excluſæ maneant semper excluſæ. 18.
An possint fidejubere. XXII. 6.

An & quænam cohabitare Clericis. II. 2.
Forma *Pauperum: Dignum: Gratioſa.* V. 43.
Formula Teſtamenti. XXVI. 91. 92.
Fornicator Clericus. II. 3.
Fratres germani, & unilaterales. XXVII. 3. 13. 14.
Fructus beneficiatorum. IV. 3. 12. ſeqq. 16.
Beneficiorum & Prælaturarum. IX. 2. XII. 7.
Pendentes tempore, quo moritur Beneficiatus. 8.
Quinam reſtituendi reſoluta emptione. XVII. 10. ſeqq.
Fundator beneficiorum. V. 10.
Funeraria. XXVIII. 3. 4.

H.

Habitum Clericalem quinam teneantur geſtare. I. 4. ſeqq.
Hæreditas quid. XXVI. 55.
Ejus partes. 59.
Ejus aditio. 54. 56. ſeqq.
Petitio: Delatio: Repudiatio: Renuntiatio. 56. 58. 72. 73. XXVII. 19. 20. Repudiatio facta â Prælato. XII. 9. 10.
Debita de Jure Prætorio. *XXVII.* 2. 15. XXVI. 58.
Empta. XVII. 27.
Pactio de hæreditate viventis. XXVII. 19. 20.
Hæreditas ab inteſtato, ſeu legitima. 1. 2.
Hæres ex Teſtamento. XXVI. 54. 56.
Conficit Inventarium. 57.
Quæ habeat media ad obtinendam hæreditatem, quam obligationem & privilegia. 56. ſeq.
An, quis, & quomodo debeat inſtitui. 62. 63. 65. 66.
Exhæredatus: præteritus. 54. 67. 68.
Vaſalli hæres an poſſit conveniri. XX. 32.
Hæretici ubi poſſint ſepeliri. XXVIII. 10. 11.
Homicidium proditorium aſylo privans. XLIX. 16. ſeqq.
In Eccleſia commiſſum. 15.
Horæ Canonicæ. XLI. 3.
Hypotheca quid & quotuplex. *XXI.* 2. 3.
Privilegiata. XXIII. 19. 23.

Digitized by Google

INDEX.

I.

Jejunium quid & quotulex. XLI. 1. 2.
Quosnam obliget. 4. 5.
Immunitas à Decimis. XXX. 17. 18. 19.
Immunitas Ecclesiastica Localis. XLIX. 1. seqq. 3.
Quo Jure introducta. 6. 7.
Quibus locis concessa. 9.
Quibus personis. 10. 11.
An etiam Clericis & Religiosis. 12. 13.
Ob quæ delicta negetur. 14. seqq.
Quis sit ejus effectus. 4.
An sit favorabilis, vel odiosa. 8.
Quomodo ex ea extrahendi vel extradendi. 21. 22.
Pœnæ in hujus immunitatis violatores. 24.
Immunitas Ecclesiastica Personalis. 1. 26. 28.
Immunitas Ecclesiastica Realis. 1. 25. 26. seqq.
Quo Jure sit introducta. 38.
Quibus Ecclesiarum & Clericorum bonis concessa. 29. seqq.
Quibus casibus negata. 33. seqq.
Incorporatio beneficiorum &c. V. 20. 27.
Indebita. XLIX. 26.
Indebiti solutio & acceptio. XXIII. 10. seqq.
Infideles qui dicantur. XXXIII. 1.
Quid de ijs dicto Titulo stantum. 2.
Inofficiosum Testamentum. XXVI. 65. 74. 84.
Institutio Canonica in Beneficio. VII. 1. 2. 12. 13.
Ad quos spectet. 3. 4. 12. seqq.
Quibus debeatur. 5. 6.
Non præsentati est irrita. 7. XXXVIII. 6.
Quomodo & quando facienda. VII. 8. seqq.
Quale tribuat jus. 10. 11.
Institutio authorizabilis. 2. 12.
Institutio hæredis. XXVI. 62. seqq.
Interdictum quorum bonorum. 58.
Intrusus quis dicatur. V. 66.
Inventarium. XXVI. 57. 89.

Inveſtitura. Inſtallatio. VII. 2. 13.
In Emphyteuſi. *vid.* Laudemium.
In Feudo. XX. 24. 25. 28.
Irritatio Voti. XXXIV. 2. 9.
Iudex in cauſa decimali. XXX. 42. ſeqq.
In cauſa aſyli. XLIX. 21. ſeqq.
In cauſa Juris patronatûs. XXXVIII. 27.
Juramentum adjectum donationi. XXIV. 10. 12. 13.
Adjectum Teſtamento. XXVI. 80.
Vel pacto de hæreditate futura. 73. XXVII. 19. 20.
Jus Patronatûs quid & quotuplex. XXXVIII. 1. 2. 4. 5.
Unde oriatur & acquiratur primitus. 19. 22. 23.
Quibus modis transferatur in alios. 24. 25.
Quibus modis amittatur. 26.
Quæ ejus commoda & onera. 3.
Qui ſint ejus capaces. 20. 21. 25.
Quis in eo ſit Judex competens. 27.
Jus reale, ejúsque 4. ſpecies. XXI. 1.

L.

Lacticinia quid, & an prohibita. XLVI. 3.
Læſio ultra dimidium. XVII. 54. 60.
Laici non poſſunt conferre beneficia. V. 48.
An mittere in poſſeſſionem beneficij. VII. 14.
An ſint capaces Decimarum. XXX. 12. 13. 18.
An Juris Patronatûs. XXXVIII. 20. 21.
Laudare venditorem quid &c. XVII. 44.
Laudemium. XVIII. 24. 37. 44.
Legatum quid. XXVI. 11.
An & quas ſolennitates requirat. 11. 33.
An ruat ruente Teſtamento. 29. 68. 81.
An profanum in Teſtamento Pio inſolenni. 40.
Rei alienæ an valeat. 12.
Repudiatum à Prælato. XIII. 9.
Legitima. XXVI. 59. 65. 66.
Lex Commiſſoria. XVII. 3. 10. 13.
Libellus. XVIII, 25.
Liberationis beneficium. XXII. 11.

Liberi naturales, ſpurij &c. quomodo ſuccedant. XXVII. 8
Religionem ingreſſi quomodo. 10.
Licentia Superiorum Religioſis neceſſaria. XXXV. 2. 8.
Linea conſanguinitatis. XXVII. 4.
Loca Religioſa, Sacra, Pia. XXXVI. 1. 2.
Quænam gaudeant jure aſyli. XLIX. 9.
Locare, & ſublocare quinam poſſint. XVIII. 6. 7.
Quas res, & quomodo. 8. 9.
Locatio - conductio quid & quotuplex. 3. 4. 5.
Quam pariat actionem. 21.
Locator ad quid obligetur conductori. 11. 15. 21. 22.
An & quando remittere mercedem. 12. 13.
An tolerare conductorem usque ad tempus conventum. 14.
Ejus ſucceſſor. 22.
Locus ſolutionis. XXIII. 37. 38.

M.

Manualia Beneficia. V. 4. 6. 8.
Materia voti. XXXIV. 2. 3. 7.
Matrimonium à Clericis contractum. III. 2. ſeqq.
Melioramenta emphytevſis. XVIII. 41. 42. 50.
Mendicantes Religioſi. XXXI. 3.
Menſis Papalis. V. 39. 51. 65.
Metus an irritet votum. XXXIV. 4.
Merx emptionis-venditionis. XVII. 16. 22. ſeqq.
Milites deſertores an gaudeant aſylo. XLIX. 10.
Milliare Italicum Germanicum. V. 62.
Miſſio in poſſeſſionem beneficii. VII. 2 10. 13. 14.
Monachi. XXXV. 1. *vid.* Religioſi.
Monaſteria nova ut ædificentur. XXXVI. 3.
Et ut aliis cedantur, quid opus. 5.
Illis unitæ Eccleſiæ parochiales. XXXVII. 2.
Moneta. XXIII. 2. 14. ſeqq.
Monocularia beneficia. V. 50.
Mortuaria. XXVIII. 3. 4.
Mulier. *vid.* fœminæ.

Munera quid, & quotuplicia. XLIX. 26.

N.

Naturales liberi quomodo ſuccedant. XXVII. 8.
Negotia Sæcularia Clericis prohibita. L. 1. ſeqq.
Negotiatio iisdem prohibita. 2. ſeqq.
Negotiorum geſtio. XXIII. 12.
Nepotes quomodo ſuccedant. XXVII. 6. 7. 12. 14.
Nomina & debita an vendi poſſint. XVII. 26.
Notorietas Juris, Facti, Præſumptionis. II. 3.
Novale quid. XXX. 22.
Novalium decimæ ad quem. 25. ſeqq.
Novatio. XXIII. 32. 45.
Novitiatus Religioſus. XXXI. 4. 7.
Novitij Ordinum Religioſorum. 8.

O.

Obedientia Religioſorum qualis. XXXV. 5.
Oblationes. XXX. 52. 54.
Ad quem pertineant. 55.
Præſertim factæ apud Regulares. 56.
An his liceat ad illas inducere populum &c. 57.
Obſignatio bonorum defuncti. XXVI. 89.
Officia an vendi poſſint. XVII. 28. 29.
Officia Divina. XLI. 3.
Officium, prout eſt beneficium duplex majus. V. 5.
Olea ſacra ubi aſſervanda. XLIV. 1.
Onera quid & quotuplicis generis. XLIX. 26.
Onus an & quale beneficiis &c. imponi poſſit. XII. 1. 3. 9.
Operæ vel operarum locatio. XVIII. 3. 8.
Locator, conductor illarum. 15. 18. ſeqq.
Ordines Eccleſiaſticos an conjugati poſſint ſuſcipere. XXXII. 2. 3.
Ordo creditorum in ſolutione. XXIII. 21. ſeqq.
Ordo Religioſus. *vid.* Religio.

P.

Pacta dotalia. XXVI. 83.

Super hæreditate futura. 72. 73. XXVII. 19. 20.
Pactum legis Commissoriæ. XVII. 3. 10. 13. XXI. 9. 10.
Addictionis in diem. XVII. 3. 11. 13.
De Retro-vendendo. 3. 14. 15.
Antichresticum. XXI. 9. 10.
Papa quid possit in conferendis beneficiis. V. 41.
Quibus modis ea conferat. 42. 43.
Confert multa alternativè. 39. 49. seqq.
Paramenta sacra. XL. 8. XLIV. 1.
Pares Curiæ. XX. 25.
Parochia, Parochianus. XXIX. 1. 2.
Parochiarum jura, & limites. 3. 4.
Parochialis Ecclesia de novo erigenda. 2. XLVIII. 3.
Parochus. XXIX. 1. 2.
Quomodo teneatur residere. IV. 5. seqq.
Ejus domus à quibus reparanda. XLVIII. 4. 5.
Jus ad Decimas. XXX. 7. 8. 25. seqq.
His non est spoliandus, sed manutenendus. 35. 50.
Ejus jura circa sepulturam. XXVIII. 3. 4. 8.
Pars major & senior Capituli. XI. 2. 4. seqq.
Patronatus. *vid.* Jus patronatûs.
Patronus: ejus jura & onera. XXXVIII. 1. 3.
Non præsentat se ipsum. 12. *vid.* præsentatio.
An teneatur concurrere ad reparandam Ecclesiam. XLVIII. 5.
Laicus differt ab Ecclesiastico. XXXVIII. 4. 13. 14. 17. 18.
Paupertas Religiosorum quanta. XXXV. 2. 3.
Peculium Clericorum. XXV. 2. seqq.
Pensio quid & quotuplex. V. 4. 6. XII. 2.
A quo imponi possit beneficiis &c. 3. seqq.
Pensio locationis. XVIII. 10. 16. 17.
Emphytevtica. 24. 37. seqq. 48. 49.
Periculum rei emptæ & venditæ. XVII. 48. 49.
Permutatio rerum. XIX. 1. seqq.
Rerum alienarum non valet. 4.

An Sacrarum & Eccleſiaſticarum. 5. 6.
An & quomodo Beneficiorum. 7. ſeqq.
Perſonatus. V. 5.
Pertinentiæ quid denotent. XVII. 40.
Petitio hæreditatis. XXVI. 58.
Pignus quid & quotuplex. XXI. 1. 3.
Quomodo differat ab hypotheca. 2.
Non requirit ſemper traditionem. 2. 3. 7. 8.
Conſtituere & accipere qui poſſint. 5.
An Prælatus conſtituere generalem hypothecam. 6.
Quæ res oppignorari valeant. 7.
Quomodo, an ſub pacto antichreſtico &c. 8. ſeqq.
Quam pariat actionem. 12. ſeqq.
Quando diſſolvatur pignus, & actio ceſſet. 20. 21.
Pœnæ malè alienantium res Eccleſiæ. XIII. 30. 31.
Portio Canonica debetur Parocho. XXVIII. 3. 4.
Poſſeſſio beneficii quomodo acquiratur. VIII. 2. 10. 11. 13. 14.
Quomodo amittatur. VIII. 2. 5.
Poſſeſſio bonorum. XXVI. 58.
Poſſeſſio, ut eſt ſpecies juris realis. XXI. 1.
Poſſeſſor juris conferendi beneficia. V. 47.
Præbenda quid. V. 1.
Præceptoria. 4. 6.
Prælatus quando indigeat conſenſu Capituli. X. 2. ſeqq. XIII. 14. 15. Et quando conſilio. X. 4. ſeqq.
Non habet vocem in Capitulo. XI. 2.
Præſcribere decimis, non decimas poſſunt Laici. XXX. 12. 13. 17. 18.
Præſentatio ad Beneficium an neceſſaria. XXXVIII. 6.
Indigni eſt invalida. 10.
Minus digni an illicita. 11.
Quid, ſi præſententur plures. 13. ſeqq.
Quid, ſi præſentetur abſens vel ipſe patronus. 12.
Quid, ſi duo litigent de jure præſentandi. 8. 9.
Quid, ſi præſentatio pertineat ad plures. 7. 23.
Præſumonia. V. 4. 6.

Prætor dat quandoque hæreditatem. XXVI. 58. XXVII. 2. 15.
Precaria, ſeu Precariæ, & Precarium. XIV. 2. ſeqq.
Preces Primæ Imperatoris. XXXVIII. 28. 29.
Pretium emptionis - venditionis. XVII. 16. 17. 29. ſeqq.
Debet ſolvi, vel de eo caveri, vel fides haberi. 36. 41. 46. 47.
An transferri dominium illius. 25. 29. 41. 48.
Primitiæ, & Primogenita. XXX. 51. 53.
Privatio Beneficii ob Matrimonium. III. 3. ſeqq.
Ob omiſſam reſidentiam. IV. 17. 18.
Ob delictum. II. 3 4. VIII. 3.
Privigni an ſuccedant. XXVII. 9.
Privilegium Canonis & Fori. I. 5. 6. 10. III. 6.
Non ſolvendi decimas. XXX. 19.
Accipiendi decimas. 26. 27.
Procurationes viſitantibus præſtandæ. XXXIX. 3. 10.
Proditorium homicidium. XLIX. 16. ſeqq.
Profeſſio Religioſa quid & quotuplex. XXXI. 4.
Quid operetur. 9. ad quid obliget. XXXV. 2. ſeqq.
Promiſſio Beneficii non vacantis. VIII. 6. ſeqq.
Proviſio Beneficialis Canonica. V. 40.
Purificatio poſt partum. XLVII. 1. 2.

Q.

Quaſi-contractus. XIV. 1. XXIII. 12.
Querela inofficioſi. XXVI. 65. 74. 84.
Quindennia. V. 61.

R.

Reditus beneficiales pertinent ad Clericos. XXV. 3. 5. ſeqq.
Cum obligatione piè expendendi ſuperfluos. 8. ſeqq.
Non poſſunt compenſari pecuniâ à permutante. XIX. 8. 9.
Regula *de viginti*. V. 66.
Regulares. *vid.* Religioſi.
Regulæ Cancellariæ. V. 59.

Digitized by Google

An ijs derogent Concordata Germaniæ. 54. 55.
Quæ in illis reſerventur Beneficia. 65.
Relevium. XX. 8.
Religio, & Status Religioſus. XXXI. 2. 3.
Tranſeuntes ad eam qui dicantur. 4.
Quinam teneantur vel poſſint eam ingredi. 6.
An etiam conjugati poſſint. XXXII. 2. 3.
Ingreſſi ad quid teneantur. XXXI. 9.
An poſſint ab ea recedere, vel ejici. *ibid.*
Religioſa loca, & domus. XXXVI. 1. 2. ſeqq.
Religioſi quid, & quotuplicis generis. XXXI. 1. 2. 3.
An capaces Beneficij ſæcularis. V. 35. 36.
An Eccleſiæ parochialis. XXXVII. 2.
An feudi. XX. 19. 20.
Quomodo ſuccedant in aliis bonis. XXVII. 10.
Quomodo ſuccedatur ipſis. 18.
Eorum paupertas quanta. XXXV. 2. 3.
Caſtitas & Obedientia qualis. 4. 5.
Eorum bona quomodo exempta. XLIX. 29. ſeq.
An ipſi gaudeant immunitate aſyli. 10.
Non ſe immiſceant negotiis ſæcular. L. 1. ſeqq.
An poſſint recipere oblationes. XXX. 56.
An in hunc finem erigere truncos, invitare populum. 57.
Reliquiæ Sanctorum. XLV. 1. 2.
Repudiatio hæreditatis & legati à Prælato. XIII. 9. 10.
Res mobiles, immobiles, pretioſæ &c. XIII. 2. 5.
Quæ emi vel vendi poſſint. XVII. 22. 23.
An etiam aliena & furtiva. 24. ſeqq.
An oppignorari XXI. 7.
Quænam poſſint permutari. XIX. 4. 5.
An eadem res pluribus vendi. XVII. 6.
Rei venditæ periculum penes quem. 48. ſeqq.
Reſeratio Teſtamenti. XXVI. 89.
Reſervatio Beneficiorum quid &c. V. 56.
Eſt odioſa. 57.

Ad quæ Beneficia se extendat. 62. seqq.
Apud Sedem, & *in Curia* quid. *ibid.*
Reservata Beneficia in Germania non sunt alia, nisi comprehensa in Concordatis. 70.
Residentia, & residere in beneficio quid. IV. 1.
Quotuplex illa sit. 2.
Residere quî teneantur beneficiati curati. 5. seqq.
Et non-curati, atque Canonici. 10. 11.
In quo beneficio, si habeant plura. 16.
Per quid excusentur à residendo. 6. seqq. 11. seqq.
Pœnæ non residentium. 17. seqq.
Retractus. XVII. 56. 63.
Retrovenditio. 3. 14. 15.
Revocatio donationis. XXIV. 9. 10. 12. seqq.
Rerum malè alienatarum. XIII. 28. 29.
Testamenti & ultimarum voluntatum. XXVI. 78. 79. 80. 22. 83.

S.

Sacramentalia. XLIV. 1.
Sacrificium. *vid.* Missa.
Sancti quinam, & quomodo colendi. XLV. 1. 2.
Scholastici Societatis JESU. XXXI. 2. XXXV. 2. 3.
Sede vacante quid possit Capitulum. IX. per tot.
Senatus-Consultum Vellejanum. XXII. 5. 6.
Sepeliri ubi quis debeat. XXVIII. 2. 6. 7. 10. seqq.
Ubi Beneficiati. 9.
Sepultura Sacra. 1.
Quis eam possit eligere. 2. 3.
An per electionem præjudicetur Parocho. 3. 4. 5. 8.
An pro ea possit accipi pretium. 13.
Quinam illâ sint digni, vel excludendi. 10. seqq.
Indigni jam sepulti an exhumandi. 11. 12.
Servitia Communia, & Minuta. V. 61.
Feudalia. XX. 24. 28.
Signatura quid. V. 43. VIII. 8.
Socida. XVIII. 4.

Digitized by Google

An ijs derogent Concordata Germaniæ. 54. 55.
Quæ in illis reſerventur Beneficia. 65.
Relevium. XX. 8.
Religio, & Status Religioſus. XXXI. 2. 3.
Tranſeuntes ad eam qui dicantur. 4.
Quinam teneantur vel poſſint eam ingredi. 6.
An etiam conjugati poſſint. XXXII. 2. 3.
Ingreſſi ad quid teneantur. XXXI. 9.
An poſſint ab ea recedere, vel ejici. *ibid.*
Religioſa loca, & domus. XXXVI. 1. 2. ſeqq.
Religioſi quid, & quotuplicis generis. XXXI. 1. 2. 3.
An capaces Beneficij ſæcularis. V. 35. 36.
An Eccleſiæ parochialis. XXXVII. 2.
An feudi. XX. 19. 20.
Quomodo ſuccedant in aliis bonis. XXVII. 10.
Quomodo ſuccedatur ipſis. 18.
Eorum paupertas quanta. XXXV. 2. 3.
Caſtitas & Obedientia qualis. 4. 5.
Eorum bona quomodo exempta. XLIX. 29. ſeq.
An ipſi gaudeant immunitate aſyli. 10.
Non ſe immiſceant negotiis ſæcular. L. 1. ſeqq.
An poſſint recipere oblationes. XXX. 56.
An in hunc finem erigere truncos, invitare populum. 57.
Reliquiæ Sanctorum. XLV. 1. 2.
Repudiatio hæreditatis & legati à Prælato. XIII. 9. 10.
Res mobiles, immobiles, pretioſæ &c. XIII. 2. 5.
Quæ emi vel vendi poſſint. XVII. 22. 23.
An etiam aliena & furtiva. 24. ſeqq.
An oppignorari XXI. 7.
Quænam poſſint permutari. XIX. 4. 5.
An eadem res pluribus vendi. XVII. 6.
Rei venditæ periculum penes quem. 48. ſeqq.
Reſeratio Teſtamenti. XXVI. 89.
Reſervatio Beneficiorum quid &c. V. 56.
Eſt odioſa. 57.

Digitized by Google

Ad quæ Beneficia se extendat. 62. seqq.
Apud Sedem, & *in Curia* quid. *ibid.*
Reservata Beneficia in Germania non sunt alia, nisi comprehensa in Concordatis. 70.
Residentia, & residere in beneficio quid. IV. 1.
Quotuplex illa sit. 2.
Residere quî teneantur beneficiati curati. 5. seqq.
Et non-curati, atque Canonici. 10. 11.
In quo beneficio, si habeant plura. 16.
Per quid excusentur à residendo. 6. seqq. 11. seqq.
Pœnæ non residentium. 17. seqq.
Retractus. XVII. 56. 63.
Retrovenditio. 3. 14. 15.
Revocatio donationis. XXIV. 9. 10. 12. seqq.
Rerum malè alienatarum. XIII. 28. 29.
Testamenti & ultimarum voluntatum. XXVI. 78. 79. 80. 82. 83.

S.

Sacramentalia. XLIV. 1.
Sacrificium. *vid.* Missa.
Sancti quinam, & quomodo colendi. XLV. 1. 2.
Scholastici Societatis JESU. XXXI. 2. XXXV. 2. 3.
Sede vacante quid possit Capitulum. IX. per tot.
Senatus-Consultum Vellejanum. XXII. 5. 6.
Sepeliri ubi quis debeat. XXVIII. 2. 6. 7. 10. seqq.
Ubi Beneficiati. 9.
Sepultura Sacra. 1.
Quis eam possit eligere. 2. 3.
An per electionem præjudicetur Parocho. 3. 4. 5. 8.
An pro ea possit accipi pretium. 13.
Quinam illâ sint digni, vel excludendi. 10. seqq.
Indigni jam sepulti an exhumandi. 11. 12.
Servitia Communia, & Minuta. V. 61.
Feudalia. XX. 24. 28.
Signatura quid. V. 43. VIII. 8.
Socida. XVIII. 4.

Solennitas alienationis rerum Eccleſ. XIII. 15. ſeqq.
An ſufficiat ſuperveniens ex poſtfacto. 17.
An neceſſaria, ſi ab una Eccleſia in aliam fiat alienatio. 22. 23.
An ſine illa ſit alienatio invalida. 25. ſeqq.
Solennitates Teſtamenti Scripti. XXVI. 18. 19. 24.
Nuncupativi. 20.
Aliarum ultimarum voluntatum. 11. 13. 21. 33.
Teſtamenti in foro Canonico. 36.
Jure Civili præſcriptæ non ſunt ſublatæ. 34.
Sine ſolennitatibus non valent ultimæ voluntates, & Teſtamenta. 28. 33. Licèt valeant pro foro interno. 30. 31.
Solvere quis teneatur, & quid. XXIII. 5. ſeqq. 13.
An ſucceſſor in Beneficio vel Prælatura. 9.
Cui, & an etiam invito poſſit. 1. 20. 21. 39.
In qua moneta. 14. ſeqq.
Solutio quid & quotuplex. 1. 30. ſeqq.
Quomodo fieri debeat. 5. 34. 38. 40.
Quando, ubi, per quem. 36. ſeqq.
Quid; ſi per bajulum cum pecunia aufugientem. 38.
Quid, ſi creditor recuſet acceptare. 39.
Solutio indebiti per errorem facta. 10. 11.
Solutionis effectus. 3.
Spoliatus Decimator. XXX. 35. 50.
Status. XXXV. 1. *vid.* Religio.
Steuræ. *vid.* collectæ.
Sublocare an poſſit conductor. XVIII. 7.
Subſidium charitativum. XXXIX. 2. 9.
Subſcriptio Capituli. XI. 6.
Teſtium in Teſtamento. XXVI. 18. 19.
Subſtitutio directa & indirecta. XXVI. 5. 7. ſeqq.
Vulgaris, Pupillaris, Exemplaris &c. 8.
Succeſſio ab inteſtato. XXVII. 1. 2.
In capita, & in ſtirpes. 5.
Quomodo competat deſcendentibus. 6. ſeqq.

Præ-

Præſertim ſi ſoli nepotes exſtent. 7.
An etiam Religionem ingreſſis. 10.
Quomodo aſcendentibus. 11.
Præſertim ſi ſimul exſtent liberi fratrum. 12.
Quomodo collateralibus. 13.
Præſertim ſi exſtent meri nepotes collaterales. 14.
An & quando conjugibus. 15. 16.
An & quando etiam Fiſco. 17.
An detur in bonis Clericorum, & Religioſorum. 18.
Succeſſio Feudalis. XX. 12. ſeqq.
Succeſſio Pactitia. XXVII. 19. 20.
Succeſſio Prætoria & Civilis. 2.
Succeſſor locatoris. XVIII. 22.
In Emphyteuſi. 33. ſeqq.
Suſtentatio congrua Beneficiatorum. XXV. 4.
Synodaticum. XXXIX. 1. 7. 8.

T.

Tempus ſolutionis. XXIII. 36.
Teſtamentum quid. XXVI. 2.
Scriptum ſeu Clauſum, & Nuncupativum. 3. 18. ſeqq. 26. 27.
Solenne. 3. 18. ſeqq.
Quales teſtes requirat. 24.
Non ſolenne, ſeu Privilegiatum. 3. 38. ſeqq.
Pium. 3. 39. 40.
Inter liberos. 3. 41.
Militum. 3. 42.
Ruſticorum. 3. 43.
Tempore peſtis factum. 3. 44.
Publicum, ſeu ad acta, vel apud acta. 3. 45.
Factum à Clericis. 35.
Ante ingreſſum Religionis. 76. 77.
Conditum in territorio Papali. 36.
Metu vel fraude extortum. 14. ſeqq.
Inofficioſum. 65. 74. 84.
Sine hæredis inſtitutione non datur. 62. ſeqq.

Deficiens in ratione ſcripti an valeat ut nuncupativum. 25.
Nuncupativum cum relatione ad ſchedam. 26.
Vel factum ad interrogationem alterius. 27.
Inſolenne ſeu imperfectum non valet. 28. 38.
Valet tamen pro foro interno. 30. ſeqq.
An validum revocari vel mutari poſſit. 78. ſeqq.
An reſcindi. 74. 84.
An rumpatur, vel irritetur per ingreſſum Religionis. 76. 77.
Teſtamenti factio an ſit Juris Civilis &c. 47. 48.
Quibus conceſſa ſit. 49. ſeqq.
An Clericis vi conſuetudinis. 52. 53.
Executio, & executor. 75. 85. ſeqq.
Formula & modus practicus. 91. 92.
Reſeratio. 89.
Reſolutio quadruplex, nempe irritatio, ruptio, deſtitutio, reſciſſio. 74.
Teſtes quot & quales in Teſtamento. 18. 19. 24. 28. 34.
In codicillo & aliis ultimis voluntatibus. 11. 21. 33.
In teſtamento ſecundùm Jus Canonicum. 35. ſeqq.
An hoc caſu teſtes requirantur ad valorem. 36.
Et an ſeptem teſtes extra territorium Papæ. 34.
Tonſura Clericalis. I. 2. ſeqq.
Traditio rei venditæ. XVII. 4. 5. 6. 25. 40. 41. 48.
Trebellianica. XXVI. 61. 69. 70.
Tributa. XLIX. 1. 26. 27.
An ab ijs exempti Clerici & Religioſi. 29. ſeqq.
A quo & quando juſtè imponantur Laicis. XXXIX. 4.
A quo & quando Eccleſiaſticis ab Epiſcopo. 5. 6.
Tutelæ adminiſtratio. XXIII. 12.

V.

Vacatio beneficiorum. VIII. 2. 3. 4.
Non vacantium collatio, vel promiſſio. 5. ſeqq.
Vacatio ſedis. IX. 1.
Valor monetæ. XXIII. 2. 14. ſeqq.

Varia-

Digitized by Google

INDEX.

Variatio cui Patrono permiſſa. XXXVIII. 13. 14.
Vaſallus ad quid obligetur domino. XX. 24.
Quomodo amittat feudum. 26. ſeqq.
An illud oppignorare valeat. 17. XXI. 5.
Vectigalia. XXXIX. 2. 4. XLIX. 29. ſeqq.
Venditio, vendere, vendi. *vid.* Emptio &c.
Venditor ad quid obligetur. XVII. 35. 38. ſeqq.
Sciens rem eſſe alienam, vel rei pretium minuendum. 24. 25. 33. 34.
Veneratio Sanctorum & Reliquiarum. XLV. 1. 2.
Veſtes Sacræ. XL. 8. XLIV. 1.
Vicaria. Vicarius. V 4. 6.
Vicarius Capituli. IX. 3.
Vicarius Generalis an conferat Beneficia. V. 46.
Viſitatio Eccleſiarum &c. Viſitator. XXXIX. 3. 10.
Vitium rei quale aperire debeat venditor. XVII. 38. 39.
Unio beneficiorum. V. 18. 19. 23. ſeqq. IX. 7. 8.
Voluntas ultima quid & quotuplex. XXVI. 1. ſeqq.
Debet eſſe libera. 14. ſeqq.
An & quas ſolennitates exigat. 11. 18. ſeqq. 33.
Eſt ſemper revocabilis in vita. 78. ſeqq. 82.
An commutabilis poſt mortem. 88.
Quomodo danda executioni. 85. ſeqq.
Vota, quæ faciunt Religioſos. XXXI. 2. 4. 9. XXXV. 1. ſeqq.
Votum quid ſit & quotuplex, XXXIV. 1. 3. 6.
Ejus materia qualis ſit. 2. 3. 7.
Et quæ obligatio. 8.
An metus faciat irritum. 4.
An ignorantia vel error. 5.
Voti redemptio. 2.
Irritatio. 2. 9.
Diſpenſatio. 2. 10.
Commutatio. 2. 11.

Ro-

Votum, seu vox, in Capitulo non competit Episcopo. XI. 2.
Dimidium potest facere majora. 8.
Quæ dicantur majora. 4.
Usura pretii an solvenda. XVII. 46. 47.
Ususfructus. XX. 3.
Uxor an possit fidejussorem petere pro dote. XXII. 7.
Ubi sepelienda. XXVIII. 6.

Digitized by Google

CANDIDATUS JURISPRUDENTIÆ SACRÆ,

SEU

Juris Canonici, ſecundùm GREGORII PAPÆ IX. Decretalium Titulos explicati,

LIBER IV.

Exhibens brevi, clara, & ſolida methodo copioſam SS. Canonum doctrinam, Candidatis ad Examen pro conſequenda Juris laurea aſpirantibus maximè proficuam, ſolutis paſſim Adverſantium Argumentis firmatam,

In lucem datus

à

P. VITO PICHLER,

Soc. JESU, SS. Theol. & SS. Canonum Doctore, horúmq; in Alma & Electorali Univerſitate Ingolſtadiana Profeſſore Ordinario, & Juris Primario.

Cum Facultate Superiorum.

Sumptibus GEORGII SCHLüTER, & MARTINI HAPPACH, Bibliopol. Auguſtan.

Et

Typis Thomæ Graſs, Typog. Acad. Ingolſtad.

Anno M. DCC. XX.

Digitized

ELENCHUS TITULORUM.

Titulus I. De Sponſalibus, & Matrimonio. pag. 2.

De Sponſalibus §. 1. Quid ſint Sponſalia, & quomodo contrahantur. 4.

§. 2. Aquibus contrahi poſſint Sponſalia, vel etiam debeant. 30.

§. 3. De effectu Sponſalium. 40.

§. 4. Quibus modis diſſolvantur Sponſalia. 52

De Matrimonio §. 1. De natura, varietate, & cauſis Matrimonij. 80.

§. 2. De Impedimentis Matrimonij in genere. 106.

§. 3. De quibusdam Impedimentis Dirimentibus in ſpecie. 122.

De Impedimento Erroris, vel Deceptionis. 123.

De Impedimento Vis & Metûs. 129.

De Impedimento diſparis Cultûs. 148.

De Impedimento publicæ Honeſtatis. 157.

Titulus II. De deſponſatione Impuberum. 59.

De Impedimento Ætatis. 160.

Titulus III. De Clandeſtina Deſponſatione. 169

De Impedimento Clandeſtineitatis. 183.

Titulus IV. De Sponſa duorum. 219.

De Impedimento Ligaminis. 230.

Titulus V. De Conditionibus Appoſitis in Deſponſatione &c. 237.

Titu-

Digitized by Google

Titulus VI. Qui Clerici vel Voventes Matrimonium contrahere poſſunt. 262.
De Impedimento Ordinis Sacri. 264.
De Impedimento Voti, tum dirimente, tum impediente. 277.
Titulus VII. De eo, qui duxit, quam polluit per Adulterium. 290.
De Impedimento Criminis. 291.
Titulus VIII. De Conjugio Leproſorum. 304
Titulus IX. De Conjugio Servorum. 309.
De Impedimento Conditionis. 312.
Titulus X. De Natis ex Libero Ventre. 316.
Titulus XI. De Cognatione Spirituali. 320.
De Impedimento Cognationis Spiritualis. 325.
Titulus XII. De Cognatione Legali. 336.
De Impedimento Cognationis Legalis. 339.
Titulus XIII. De eo, qui cognovit conſanguineam Uxoris ſuæ, vel Sponſæ. 342.
De Impedimento Affinitatis ex copula illicita. 346.
Titulus XIV. De Conſanguinitate & Affinitate. 350.
§. 1. De Conſanguinitate. 352.
De Impedimento Conſanguinitatis. 362.
§. 2. De Affinitate. 377.
De Impedimento Affinitatis. 384.
Titulus XV. De Frigdis, & Maleficiatis, & Impotentia cöeundi. 389.
De Impedimento Impotentiæ. 391.

Titulus

Titulus XVI. De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ. 403.
§. 1. De Sacrato tempore, & Vetito Ecclesiæ, Impedimentis Impedientibus. 407.
§. 2. De Dispensatione Impedimentorum in genere, ac in specie super Impedimentis Impedientibus, maximè Voto. 411.
Praxis. 422.
§. 3. De Dispensatione in Impedimentis Dirimentibus. 428.
Praxis. 444.
§. 4. De Revalidatione Matrimonij nulliter contracti, si fortè impetretur dispensatio in Impedimento. 462.
Titulus XVII. Qui Filij sint legitimi. 470.
Titulus XVIII. Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari. 491.
Titulus XIX. De Divortijs. 497.
Titulus XX. De Donationibus inter virum & uxorem, & de Dote post Divortium restituenda. 526.
Titulus XXI. De Secundis Nuptijs. 544.

Digitized by Google

DECRETALIUM GREGORII PAPÆ IX.

LIBER IV.

POst explicatum in Libro III. Statum Clericorum & Religioſorum, cauſásque eorum proprias, in Judicio Eccleſiaſtico agitandas, Compilatio Gregoriana in Libro IV. tranſit ad ſtatum & cauſas Matrimoniales, ferè Laicorum proprias, in eodem tamen Tribunali decidendas, dum nobis proponit Magnum Matrimonij Sacramentum, atque imprimis ipſum Sponſalium ac Matrimonij contractum, dein hujus varia impedimenta, demum effectum illius ac indiſſolubilitatem. Quamvìs autem ſtatum conjugalem fugiant perſonæ Eccleſiaſticæ, Laicales autem pleræque ardenter, licèt non ſemper ex debito fine, qui utique præſtantiſſimus & ſanctus eſt, concupiſcant, aliæ autem averſentur; nihilominus exacta Sponſalium, Matrimonij, ac eorum, quæ in hoc Libro IV. tractantur, cognitio omnibus omnino ſummè neceſſaria eſt, ſive conjugati exiſtant, aut aliquando futuri ſint, ſive cœlibes, Clerici aut etiam Religioſi; quandoquidem non modò in publicis Conſiſtorijs, verùm etiam in ſecreto & ſacro Pœnitentiæ Tribunali cauſæ Matrimoniales, eæque ſæpius admodum difficiles

ſciles & intricatæ, identidem recurrunt. Ubi quisquis imperitè judicaverit, in maxima incommoda, & graviſſimum æternæ quoque ſalutis & ſe & alios conjiciet diſcrimen.

TITULUS I.

De Sponſalibus, & Matrimonio.

SUMMARIUM.

1. 2. 5. *Quid ſint Sponſalia de futuro.*
3. *Quæ illorum forma, materia, & cauſa efficiens.*
4. *Quæ de illis quæſtiones tractandæ.*
6. *Fictè inita per ſe non obligant.*
7. 8. *Obligant tamen per accidens, caſu quo obtentâ eſt copula, ad determinatè ducendam defloratam.*
9. 10. *Ad quid teneatur ſeducens fœminam absque promiſſione Matrimonij.*
11. *Quibus verbis conſenſus ſponſalitius,*
12. *Et quibus ſignis ſufficienter exprimatur.*
13. *Sponſalia non ſunt ſine repromiſſione.*
14. *Seqq. Metu injuſtè extorta valent.*
17. *Utì & inita ſub conditione honeſta, vel modo.*
18. *Etiam ſub hac*: ſi Papa diſpenſaverit.
19. *Conditionata, non abſoluta, ſunt hæc*: Non aliam ducam, niſi te, &c.
20. 22. 23. *Validè ipſis apponitur arrha, & pœna.*
21. *Sponſalitia largitas, & quid Juris de illa.*
24. *Valent ſponſalia clandeſtina.*
25. *Quænam perſonæ ſponſalia contrahere:*
26. *Et an Catholicus cum hæretica poſſit:*
27. 28. *Item an quis per procuratorem:*
29. 30. *Et parentes pro liberis.*
31. 32. *An parentum conſenſus ſit neceſſarius.*

33. *An*

33. *An neceſſe ſit ſponſalia Matrimonio præmittere.*
34. 35. *Effectus ſponſalium eſt tum obligatio, tum impedimentum publicæ honeſtatis.*
36. *Obligationem inducunt gravem juſtitiæ.*
37. 38. *Sponſus tamen fornicans cum alia non committit quaſi-adulterium.*
39. *Licèt obligetur non ponere obſtaculum Matrimonio.*
40. *Quo tempore debeant impleri ſponſalia.*
41. 42. *Implere renuens compelli poteſt ad implenda, & reſarcienda damna.*
43. 44. *Ex quibus ſponſalibus oriatur publica honeſtas.*
45. 46. *Et inter quas perſonas.*
47. *Hoc impedimentum publicæ Honeſtatis eſt perpetuum.*
48. Seqq. *Quibus modis ſolvantur ſponſalia.*
51. *Etiam jurata ſolvuntur mutuo conſenſu.*
52. *Quomodo per ſuperveniens impedimentum Matrimonij.*
53. *Quomodo per Profeſſionem Religioſam &c.*
54. 55. *Quomodo per lapſum temporis.*
56. 57. *Quomodo per dolum, qui fuit cauſa contractûs.*
58. 59. *Quomodo per diſceſſum ſponſi in alias terras.*
60. 61. *Quomodo per ingreſſum in Novitiatum Religioſum.*
62. 63. 64. 65. *Quomodo per fornicationem ſponſi vel ſponſæ, vel utriusque.*
66. *An per oſcula & tactus impudicos unius.*
67. 68. 69. *Per quam mutationem ſuperpenientem.*
70. *An à ſponſalibus recedere volentes indigeant auctoritate Judicis Eccleſiaſtici.*
71. *Quomodo de cauſa recedendi conſtare debeat.*

DUas præſens Rubrica partes nobis exhibet, de quibus hìc agendum, nimirum *Sponſalia*, intellige *de futuro*, quæ ipſum Matrimonium, ſeu Sponſalia *de*

præsenti, præcedere solent, & quasi via sunt ad illud; dein ipsum *Matrimonium*. De Sponsalibus dicemus 1. Quid sint, & quomodo contrahantur. 2. A quibus. 3. Quem pariant effectum, & obligationem. 4. Quibus modis semel inita dissolvi iterum possint. De Matrimonio autem 1. Quæ sit illius natura & effectus. 2. Quænam impedimenta in genere. 3. Quænam in specie; ubi tamen solùm illa adducemus, de quibus in decursu peculiaris locus Titulus non reperitur in Jure nostro.

De Sponsalibus.

§. I.

Quid sint sponsalia, & quo modo contrahantur.

2 SCiendum 1. Sponsalia à spondendo dicta *l. 3. ff. de Sponsal.* accipi posse latiùs, & strictè: *latiùs* sumuntur, quando pro sponsalibus de præsenti, seu pro Matrimonio Rato, antequam per copulam carnalem consummetur, accipiuntur, uti in *c. 13. de Præsumpt. c. 22. & 51. h. t.* Sic Matth. 1. dicitur *desponsata Maria Mater JESU Joseph.* Et qui talia sponsalia de præsenti contraxerunt, & primo post contractum Matrimonium die, solent adhuc *Sponsi* & *Sponsæ* appellari, aliàs verò *conjuges*, & post consummatum Matrimonium propriè *uxores & mariti*. *Strictè* autem, quando pro Sponsalibus de futuro, seu pro futuri Matrimonij, & primùm contrahendi, promissione accipiuntur: atque sic sumuntur ordinariè, ac in dubio, & deinceps à nobis semper intelligentur per vocem *Sponsaliorum*, sicut nomine *Sponsorum* & *Sponsarum* ordinariè, propriè, & in dubio veniunt illi, qui sibi duntaxat promiserunt in futurum, necdum verò contraxerunt Matrimonium actu.

Scien-

Sciendum 2. Sponſalia, cùm ſint contractus, & quidem *conſenſualis*, non requirens actualem traditionem corporum, exigere conſenſum verum, mutuum, & debitô modô expreſſum verbis, & alijs ſignis externis, poni poſſe vel abſolutè vel conditionatè, ſub adjectione arrhæ, vel pœnæ, aut ſine his. Quæ conſtituunt conſenſum & promiſſionem mutuam ſignis expreſſam, ad modum & *formam eſſentialem*, quæ verò conditionem, adjectionem diei, arrhæ, pœnæ &c. concernunt, ad modum & *formam accidentalem* pertinent. *Materia* ſeu objectum eſt futurum matrimonium, de quo infrà. *Cauſa efficiens* ſunt perſonæ contrahentes, de quibus §. ſequenti. 3

Sc. 3. Plurimas ad formam tùm eſſentialem tum accidentalem ſponſalium pertinentes quæſtiones examinandas eſſe. Nempe 1. Quid ſint Sponſalia. 2. Qualis debeat eſſe conſenſus. 3. An aliquando poſſit eſſe fictus. 4. Quibus verbis. 5. Vel quibus alijs ſignis cenſeatur ſufficienter exprimi. 6. An promiſſio ſponſalitia non tantùm acceptationem, ſed etiam repromiſſionem eſſentialiter requirat. 7. An Sponſalia metu extorta valeant. 8. An eisdem poſſit adjici conditio, modus, dies. 9. An arrha. 10. An pœna. 11. An præſentiam parochi requirant, vel teſtium. 4

Dico 1. Sponſalia ſunt promiſſio vera, voluntaria, deliberata, ac mutua, ſigno ſenſibili expreſſa, futuri Matrimonij inter perſonas jure habiles. Eſt hæc enucleata Sponſalium deſcriptio juxta communem DD. ſenſum, nominatim P. Illſung. *tr. 6. d. 9. q. 1. a. 1.* & juxta ſenſum Nicolai I. *in can. 3. cauſ. 30. q. 5.* Ubi dicuntur eſſe *futurarum Nuptiarum promiſſa, & fœdera*, atque Juris etiam Civilis, ubi in *l. 1. ff. h. t.* definiuntur eſſe *mentio & repromiſſio futurarum Nuptiarum.* Breviùs & communiùs: ſunt *mutua promiſſio futuri Matrimonij*: cœtera enim commodè ſubintelliguntur. Germanicè vocantur Verlöbnuß / Verſprechen / Ehe-Gelübdt / 5

Stuelveſt. Dixi 1. *Promiſſio*, ſcilicet inducens obligationem: hinc propoſitum, vel ſimplex tractatus de ineundo Matrimonio absque promiſſione non ſufficit. 2. *Vera*, *h. e.* non ficta & merè externa, ſed ſeria & conjuncta cum conſenſu interno, & animo ſe obligandi. 3. *Voluntaria*, ſeu cum cognitione ejus, quod fit, & ſine errore circa perſonam, quacum contrahitur. 4. *Deliberata*, ſcilicet ea libertate, advertentia, ac deliberatione, quæ requiritur alias & ſufficit ad hoc, ut aliquis poſſit peccare mortaliter, ac obligare ſe diabolo. Unde, ſicut nulliter contraherent Sponſalia amentes, furioſi (& quicunque mente capti, v. gr. plenè ebrij) durante amentia, furore, ebrietate &c. item abſolutè coacti; ita viciſſim validè contrahunt, ſaltem probabiliùs, qui in æſtu amoris, libidinis, iræ, aut alterius paſſionis immoderatæ, in ebrietate imperfecta &c. celebrant ſponſalia; quia tales animi affectiones communiter non ita perturbant rationis uſum, nec voluntatis libertatem ita auferunt, ut peccatum mortale committi non poſſit. Impuberes certè ſtatim poſt infantiam, ſeu ſeptennium, validè contrahunt. *c. 4. & 5. de deſponſ. impub.* in quos tamen perfecta & matura conſultatio vix cadit. 5. *Mutua*, id eſt, reciproca, cùm enim utriusque corpus in Matrimonio futurum ſit unum, etiam animus ſit unus, & mutuus conſenſus promittentis & repromittentis; de quo infrà. 6. *Signo ſenſibili expreſſa*, ſcilicet vel verbis, vel nutibus, ſcripturâ, aliísve indicijs, vel etiam taciturnitate, de quibus pariter plura infrà; nam ſine aliquo ſigno internum conſenſum manifeſtante nec promiſſio acceptari, nec ullus contractus inter homines celebrari poteſt. 7. *Futuri Matrimonij*, quibus verbis differunt Sponſalia ſtrictè dicta à Sponſalibus de præſenti, ſeu à Matrimonio Rato. 8. *Inter perſonas Jure habiles*, nempe inter marem & fœminam, qui ſuo tempore Matrimonium ipſum licitè ac validè contrahere poſſunt, adeóque nullo impedimento ætatis, conſanguinitatis, voti &c. ligati exiſtunt; cùm

cùm ad illicitum nemo obligari poſſit, minùs ad actum invalidum.

Dico 2. Quamvis promiſſio ficta ſeu ſimulata Matrimonij non inducat obligationem ſponſalitiam coram Deo, & in foro conſcientiæ interno per ſe; fictè tamen promittens, ſi fictio exteriùs ſe non prodat, peccat mortaliter; & in foro externo compellitur ad contrahendum Matrimonium, niſi fictionem probet. Pars 1. patet ex eſſentia omnis contractûs, non ſubſiſtentis absque vero conſenſu interno, ex *c. 26. h. t. l. 2. ff. de Ritu Nupt.* atque ex trito illo: *actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum. per c. fin. de Præb. &c.* Pars 2. ex eo, quòd talis in re gravi decipiat aiteram partem, ſi admiſit repromiſſionem: quare ſi hinc alteri ſecutum eſt damnum, tenetur illud reſarcire, tanquam injuſtè damnificans. *c. fin. de injur.* Si tamen ex circumſtantiis, vel modo loquendi potuiſſet facilè colligi fictio, vel jocus, ceſſaret hæc obligatio, uti & peccatum injuſtitiæ. Pars 3. indè, quia in foro externo præſumitur adeſſe animus externæ promiſſioni conformis. *l. 7. §. 2. ff. de ſupellect. leg.* & alias quivis facili negotio ſponſalia in foro externo eludere poſſet, dicendo: *ſimulatè promiſi: fui tantùm jocatus*, niſi incumberet ipſi probatio fictionis vel joci; quæ probatio difficilis eſt, & ſæpe aliter fieri nequit, niſi per juramentum fictionem vel jocum aſſerenti delatum: quod tamen deferendum non eſt, niſi verba promittentis fuerint aliquo modo dubia, aut ex circumſtantijs conjectura ſaltem probabilis formari poſſit ac præſumptio aliqua, quòd dolosè, ſimulatè, vel jocosè promiſſum ſit. Dixi, *per ſe*; ſiquidem

Dico 3. Per accidens poteſt ſufficere promiſſio ficta, ut aliquis tam in interno, quàm externo foro teneatur illam determinatè ducere in uxorem, cui fictè promiſit Matrimonium, licèt illa non repromiſerit Matrimonium. Caſus plurimùm agitatus inter DD. eſt iſte: Titius Cajæ Virgini (vel alij fœminæ honeſtæ alias vitæ) promittit

fictè Matrimonium, ut ab ea obtineat usum corporis, & per hanc dolosam promissionem, non facilè advertibilem à fœmina, revera eblanditur ac obtinet copulam. In hoc, inquam, casu Titius tenetur Cajam determinatè ducere, nec satisfacit, si illam dotet, aut alio modo compensare velit damnum illatum: nisi propter superveniens impedimentum, vel gravem causam aliam ducere non possit, vel nisi ipsa præ Matrimonio eligat dotem, aut nisi Caja pariter decepisset Titium, simulans se virginem, nobilem &c. Ita cum S. Th. Sanch. *l.* 1. *de Matr. d.* 10. *n.* 3. Pontius *l.* 12. *de Matr. c.* 2. *n.* 14. Molin. *tr.* 3. *d.* 106. *n.* 4. Less. Laym. Lugo, & alij præstantissimi communiùs contra D. Antonin. Bonac. Perez. *disp.* 2. *de Matrim. s.* 3. P. Wiestner *h. n.* 20. ac alios. Prob. 1. Talis promissio ficta æquivalet, imò in ea intervenit contractus innominatus; *facio*; *ut facias*: sed naturâ contractûs innominati, & naturalis æquitas exigit, ut, si una pars talem contractum impleat, faciendo, quod ab ipsa exigitur, etiam altera teneatur adimplere faciendo, quod ab ipsa exigitur: ergo, cùm Caja fecerit, quod ab ipsa exigebatur velut conditio aut modus; admittendo copulam; etiam Titius obligatur ex natura hujus contractûs, & æquitate naturali, adeóque in utroque foro, facere id, quod ab ipso exigit meritò Caja, nimirum illam ducere, non obstante, quòd fictè tantùm promiserit; quia non potuit admittere adimpletionem conditionis à se requisitæ ex parte altera, nisi & ipse tacitè voluerit, & modò velit adimplere ex sua parte. Prob. 2. Titius defloretor, promittens Matrimonium fictè, & admittens adimpletionem conditionis, sub qua promisit fictè Matrimonium, Cajæ intulit injuriam negando consensum verum in Matrimonium: ergo hanc injuriam tenetur tollere ac reparare & satisfacere deceptæ eo modo, quo exigit Justitia commutativa, nec tollit injuriam, nisi ponat id, quod perfidè & injustè subtraxit, nempe verum consensum in Matrimonium, quem admittendo

tendo copulam debuerat habere: ergo tenetur adhuc ponere verum conſenſum in Matrimonium. *Subſumptum* conſtat tum ex natura juſtitiæ commutativæ, tum ex *l.* 2. *§.* 1. *ff. de Reb. cred.* ibi: *aliud pro alio invito creditori ſolvi non poteſt*: v. g. fur auferens equum non ſatisfacit reddendo pecunias pro equo, ſi ipſum equum adhuc retineat & reddere poſſit: ita nec Titius pro Matrimonio, quamdiu illud ipſi poſſibile eſt cum Caia, huic non ſatisfacit dando dotem &c. 3. Niſi Natura determinatè obligaret ad id, quod fictè promittitur ſub conditione oneroſa executivè acceptata & admiſſa, innumeræ fraudes facilè contingerent in contractibus: ergo obligat determinatè.

Oppones 1. Si eſſet obligatio determinatè ducendi deceptam, illa oriretur vel ex promiſſione, vel ex defloratione, vel alio damno indè ſecuto: ſed ex promiſſione, utpote ficta & nulla, non oritur: nec ex defloratione, quia pro virginitate utpote irreparabili nihil æquivalens reddi poteſt: nec ex alio damno, quia vel nullum eſt ſecutum, ſi delictum maneat occultum; vel ſi detectô delictô difficiliùs nubat ſeducta, & ſic patiatur damnum, iſtud reparari poteſt per dotem &c. ergo nulla eſt obligatio determinatè ducendi. 2. In *c.* 1. *de Adulter.* dicitur: *ſi ſeduxerit quis virginem, dormieritque cum eâ, dotabit eam, & habebit uxorem*: Sed iſtud *et* ſumitur hic disjunctivè pro *vel*, uti habet communis doctrina & Tribunalium praxis: ergo. 3. Defloratur fictè promittens non conſentit in conditionem ineundi Matrimonium, ſub qua obtinuit copulam, hoc ipſo, quòd fictè illud promittat: ergo nec tenetur hanc conditionem, propter quam altera permiſit copulam, implere. 4. Sit, quòd fictè promittens commiſerit injuſtitiam, ea tamen ſolùm interna fuit, non externa, ſuppoſitô, quòd flagitium maneat occultum, & decepta nullum patiatur damnum: ſed pro injuſtitia merè interna ſufficit pœnitentiam agere coram ſolo Deo, ut patet in

eo, qui fictè promittit Matrimonium ſine defloratione. 3. Sibi imputare debet puella, quòd crediderit proco, cùm ejusmodi ſcelerati homines facilè ſoleant dolosè promittere. R. ad 1. *N. Ma.* nam oritur hæc obligatio tum ex natura contractûs innominati, utpote oneroſi, *facio, ut facias*, vi cujus, qui acceptat uſum corporis, non aliter conceſſum quàm cum appoſita conditione ineundi Matrimonij, neceſſariò re ipſa ac tacitè conſentit in appoſitam conditionem, & Matrimonium repromittit, licèt promiſſio illa verbalis prima fuerit ficta: tum ex injuria defloratoris, conſenſum verum perfidè negantis, quem hoc ipſo, quòd admiſerit copulam, in quam puella præcisè conſenſit ſub conditione, ſi defloraus conſentiat & ſe obliget ad Matrimonium, debuerat ponere. Vel igitur defloraus verè ac tacitè promittit & conſentit in Matrimonium acceptando uſum corporis, licèt initiò fictè promiſerit, ut aliqui dicunt; vel ſaltem conſentire adhuc debet, ac ponere conſenſum injuſtè negatum, ut alij volunt. Ad 2. Ibi non eſt ſermo de illo, qui ſeducit virginem ſub promiſſione Matrimonij ficta. Dein, ſi etiam de hoc eſſet ſermo, ſenſus disjunctivus habere poſſet locum, ut dotet, vel ducat deceptam, ſi puella vel parentes ejus præeligant dotem: ſi ſupervenial impedimentum Matrimonij: vel cauſa, propter quam ſponſalia etiam non fictè inita juſtè ſolvuntur, ut ſi gravia ſcandala, perpetuæ inimicitiæ timerentur ex Matrimonio &c. Ad 3. *N. Ant.* vel *diſt.* Non conſentit in conditionem Matrimonij ineundi per primam promiſſionem explicitam fictam. *C. Ant.* per ſecundam promiſſionem realem & tacitam, quam facit acceptando factum puellæ, non aliter præſtitum quàm ſub conditione facti viciſſim præſtandi ab ipſo, ſcilicet Matrimonij ineundi. *N. Ant.* Vel *diſt.* aliter: non conſentit in conditionem Matrimonij, tenetur tamen ex juſtitia conſentire, ſi admittat uſum corporis. *C. Ant* non tenetur adhuc conſentire ex juſtitia. *N. Ant. & Conſ.* Ad 4. *N. Ma.* prodit enim hæc injuſti-

injuſtitia in actum externum, quando fictè promittens puellam inducit ad actum externum, quem non faceret, aut facit niſi ſub conditione reciproci facti. Ad 5. Debet quidem ſibi imputare puella, quando ex verbis, vel circumſtantijs potuit colligere fictionem & promiſſionem non ſeriam, ut ſi ſcivit, ſe eſſe conditionis longè inferioris, quàm ſit procus; quia tunc præſumeretur potiùs, vel ex libidine, vel ex ſpe obtinendi pecunias, quàm animo obtinendi ab ipſo Matrimonium ſui copiam feciſſe: ſcire enim debuit vel facilè potuit, promiſſionem non eſſe ſeriam, ſi ſcivit exceſſivam inæqualitatem. Si verò puella ignoraret, vel ſciret quidem hanc inæqualitatem, deceptor tamen illam ita aſſecuraret, etiam juramentò interpoſitò, quòd non obſtante tanta inter ſe & illam inæqualitate, quam probè ſe ſcire ait, velit eam ducere, ut nec ipſa nec alius vir prudens de fraude prudenter ſuſpicari poſſit, planè defloratorem obligari putem ad ducendam.

Quæres, ad quid teneatur, qui ſeduxit, corrupit, deloravit, vel imprægnavit fœminam absque ulla promiſmiſſione Matrimonij, vera, vel ficta? Ad hanc quæſtionem, cujus uſus utinam non eſſet adeò frequens, breviter R. 1. faciendo diſcrimen inter forum internum & externum. In *foro interno conſcientiæ*, ſi fœmina ex corruptione aut defloratione nullum paſſa eſt damnum, puta, quia flagitium manſit occultum, & illa propter defloration̄em non nubit difficiliùs, ad nihil obligatur fœminæ, etſi per vim, dolum &c. corrupiſſet vel defloraſſet illam, ſed ſine imprægnatione; quia nulla lex eum obligans datur, nec Naturalis nec Poſitiva: intellige ante ſententiam Judicis; nam ſi defloratā agat in Judicio, & ſufficienter probet defloration̄em injuſtè extortam, obligatur ad id in conſcientia, ad quod eum Judex condemnat. per *c.* 1. *de adult.* quod utpote pœnale in foro interno non ſtringit ante ſententiam Judicis. Si verò puella paſſa eſt ex violatione damnum, R. 2. Vel fœmina

mina ſponte conſenſit in violationem aut copulam, & rurſus illi ad nihil obligatur in conſcientia; cùm ſibi imputare debeat damnum absque injuria ſibi illatum: conſentienti enim non fit injuria. Si verò per vim, fraudem, metum iniuſtè incuſſum, adeóque per injuriam ad flagitium induxit, tenetur in foro conſcientiæ ante omnem ſententiam Judicis reſarcire damnum illatum, vel aſſignando ipſi dotem tantam; quantum eſt damnum, & quanta requiritur ad tales nuptias acquirendas, quales ſperare prudenter potuiſſet, ſi violata non fuiſſet, vel ipſam ducendo; quod in defloratis arbitrio eſt pro foro interno, ſi ſit æqualis conditionis cum defiorata, eique ſufficienter compenſetur hoc modo damnum. Ratio eſt, quia tam Jure Naturali, quàm Humano requiritur & ſufficit pro foro interno, ut quis tantùm reſarciat ac reſtituat, quantùm injuſtè damnificavit; ut habet unanimis DD. fundata in *in c. fin. de injur. & l. un. c. de ſentent. quæ pro eo.* Si quis tamen absque vi, metu, fraude interveniente impetravit uſum corporis puellæ per blanditias & preces importunas; in foro conſcientiæ ante ſententiam Judicis ad nihil obligatur; quia ſcienti & conſentienti non fit injuria. *c. ſcienti 25. de R. I. in 6.* neque precibus utut importunis & iteratis injuriam quis alteri infert. Nunc loquendo de *foro externo* & Judiciali R. 3. Qui virginem, veram vel communiter habitam pro virgine, ſeducit & uſum corporis extorquet injuſtè, ſcilicet fraude & doloſis promiſſis, vi, injuſto metu, imò probabiliter etiam importunis precibus & blanditiis aut muneribus, tenetur in foro externo, & à Judice condemnari debet ad illam vel dotandam vel ducendam, electione penes violatam exiſtente. Sumitur ex *c.* 1. & 2. *de adulter.* idque procedit, etſi puella non paſſa fuiſſet indè damnum, & æquè honeſtis nuptijs potiri poſſet ac antè; quia in *c.* 1. *cit.* non fit mentio ullius damni; & principaliter in pœnam delicti ita ſtatutum eſt.

10 Dixi autem 1. *Virginem*; quia *c. cit.* ſic loquitur: *ſi quis*

quis ſeduxerit virginem, dormieritque cum ea, dotabit eam, & (vel) habebit uxorem. Unde ad nihil tenetur, qui ſeducit talem, quæ virgo non eſſe ſcitur, eò quòd conſtet, quòd fuerit corrupta, vel ſit meretrix, vel malæ ſit famæ, vel præſumatur, non eſſe virginem, ut præſumitur de paſſim vagantibus non ſervato verecundiæ pudore, & admittentibus non admittenda: inter quas Barb. & Farinac. recenſet etiam ancillas & famulas cauponarum: ſed hoc in Italia fortè verum eſt, in Germania noſtra reclamat experientia, cùm conſtet, ejusmodi ancillas ſæpe verecundas admodum eſſe & vitæ perquam honeſtæ, licèt in cauponis verſentur. Dixi 2. *communiter habitam provirgine*: quælibet autem nunquam nupta præſumitur eſſe virgo, niſi oppoſitum probetur, vel hæc præſumptio fortioribus elîdatur. Sicut autem quælibet in foro externo præſumitur virgo, ita quælibet præſumitur eſſe dolosè & injuſtè ſeducta, ut habet communis *arg. l. un. §. 2. C. de Rapt. Virg.* eò quòd quælibet, quæ præſumitur eſſe virgo aut honeſta puella, præſumatur etiam non conſentire absque vi, metu, dolo, aut importunis blanditiis, in copulam. Unde patet, quòd puellæ in foro externo habeant cauſam valde favorabilem, quam totam lucrantur, ut dotari vel duci debeant, modò probent, ſe fuiſſe cognitas, vel imprægnatas. Dixi 3. *Extorquet injuſtè &c.* ſi enim libèrè ac ſpontè conſentiat virgo vel puella, nihil prætendere poteſt, cum non ſit *ſeducta*. Dixi 4. *Probabiliter etiam importunis precibus aut blanditiis*, ut docet Gonz. *ad c. 1. cit. n. 2.* Guttierez, & alii; quamvis oppoſitum teneant Molin. Leſſ. Pirh. *ad tit. de adult. & ſtupr. n. 50.* Ratio petitur ex verbo *ſeduxerit*, quod ponitur in textu *c. 1. cit.* ſed *ſeducere* etiam ille cenſetur, qui puellam blanditiis & precibus aut muneribus inſtanter ac importunè ſollicitat ad opus carnale, per textum *l. un. §. 2. cit.* ibi: *niſi ſollicitaverit.* Concordat de taliter ſollicitante communis loquendi uſus in noſtra vernacula:

Der Schelm hat das gute Mägdlein verführt: *nequam iſte bonam puellam ſeduxit.* Dixi 5. *In foro externo*, ſi nempe res deducatur ad Judicem. In foro interno & ante ſententiam Judicis ad nihil obligavimus ſupra, ſi puellæ damnum non eſt ſecutum, &, ſi ſecutum eſt, ſolùm tunc, quando dolo, vi, metu injuſto extorſit copulam, non autem ſi importunis precibus vel donis. Dixi 6. *tenetur ad dotandam, vel ducendam*, nam illa particula *et* in textu poſita habet ſenſum disjunctivum, prout explicat conſuetudo tribunalium & communis ſenſus Doctorum. *Dotis* autem quantitas pro foro externo non deſumitur ex damno puellæ illato, ſed juxta facultates parentum puellæ, hujus qualitatem, & mariti, quem prudenter ſperare potuerat, ſi violata non fuiſſet, dignitatem & divitias, ſeu quantam dotem pater puellæ attentis ejus & mariti, quem acquirere poterat non violata, qualitatibus, & juxta conſuetudinem loci dediſſet. *text. & gloſ. in c. 1. cit.* Dixi 7. *Electione penes violatam exiſtente*, vel patrem ejus; ſic enim loquitur *c. cit. Si pater virginis dare noluerit: reddet pecuniam dotis, quam virgines accipere conſueverunt.* Si ergo puella ducere nolit defloratorem vel corruptorem, aut pater id non permittat, exigere poteſt ab eodem dotem competentem, licèt aliunde jam habeat aliam, & quidem ſufficientem. Si verò dos aliàs competens, à proco ſolvenda, non ſufficeret ad compenſandum damnum, quod fortè paſſa eſt puella, etiam ad iſtud condemnandus foret ſeductor. Econtra ſi puella non dotem, ſed ſeductorem petat in maritum, etiam hoc obtinere debet, niſi aliud obſtet. Neque opponas *regulam 70. Juris in 6. in alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri*: ſed violator puellæ eſt debitor: ergo penes illum erit electio, an dotare vel ducere malit. Nam illa regula locum non habet, ubi expreſsè aliud ſtatuit Jus in caſu particulari. Atque hæc eſt ſynopſis doctrinæ in hac nimiùm frequentis uſûs materia,

quam

quam multi fusè & plerumque satis confusè tradunt, præſertim non diſcernendo diligenter inter forum internum & externum. Videri poteſt Gonzal. ad *d. c. 1.* & P. Reiffenſtuel ad *h. t.* §. 4.

Dico 4. Per illa verba in foro externo ſufficienter ex- 12
primitur, &, ſi de contraria intentione non conſtet, præſumitur expreſſa promiſſio Matrimonij, ſeu Sponſalia, quæ juxta communem loquendi uſum aut receptam conſuetudinem ſignificant promiſſionem Matrimonii. Abb. Sanch. & alii communiter ex claro textu *c. 7. h. t.* & *c. 6. de V. S.* Talia ſunt: *promitto tibi Matrimonium: obligo me ad te ducendum, tibi nubendum, tecum contrahendum Matrimonium: accipiam te, nubam tibi: diabolus me rapiat, niſi ducam te: tu ſis futura mea uxor.* In vernacula: Ich verſprich dir die Ehe: ich verpfende mich dich zur Ehe zunehmen / dich zu heyrathen / mit dir in die Ehe zu tretten: ich will dich nehmen / mit dir Hochzeit halten: der Teufel holl mich / wann ich dich nicht nehme: du ſolleſt mein künfftiges Weib ſeyn ꝛc. Talia item præſumuntur eſſe: *Propino tibi ad Matrimonium*, ich bring es dir auff die Ehe / reſpondente puella, *Deus benedicat*, geſegne dirs GOtt: *jam tu es, vel ſis mea uxor, & ego vir tuus*, du biſt / oder ſollſt mein Weib ſeyn / ſi proferantur absque præſentia Parochi & teſtium, ac puella annuat: denique etiam hæc: *promitto tibi, quòd te non ampliùs deſeram, non ampliùs te dimittam, fidelis tibi manebo*, ich verſprich / dich nimmermehr zu verlaſſen / ich werd dich nicht mehr anlaſſen / ich werd dir allzeit treu verbleiben / ſi tamen præceſſerit prævia mentio vel tractatus de futuro Matrimonio. Econtra promiſſionem ſponſalitiam in noſtra Germania ſignificare per ſe non cenſentur verba tantùm amatoria, v. g. *Tu es mea chariſſima, meus chariſſimus: Theſaurus meus: Cor meum: tu es, vel eris mea: promitto tibi amorem & fidelitatem meam*: Du biſt mein Liebſte / mein

Lieb-

Liebſter: Mein Schatz: Mein Hertz: Du biſt / ſollſt / oder wirſt mein ſeyn: Ich verſprich dir mein Lieb / und Treu: cùm in multis Germaniæ locis eò dementiæ deventum ſit, ut plurimi, præſertim plebeij, ſine amaſia aut amaſio, ohne Buelſchafft / eſſe nolint. Excipe, niſi ex circumſtantijs, v. g. ex prævio tractatu de Matrimonio, vel ſubſecuta copula, præſumi poſſit mens verè promittendi Matrimonium. Si conſideratis omnibus maneat dubium, an per verba ſignificetur promiſſio Matrimonij, proferens autem neget cum intentione promittendi eſſe prolata, Judex debet illum abſolvere, vel ad ſummum poteſt ipſi juramentum purgatorium deferre. Si autem verba ex ſe clarè quidem indicent promiſſionem Matrimonij, proferens autem dicat, ea non ſeriò, ſed joci gratiâ eſſe prolata, Judex præſumere debet, ſeriò eſſe prolata, niſi jocus aliunde probetur, vel de eo ſatis conſtet: ſi dubium ſit, an ſeriò vel ex joco prolata ſint, iterum habet locum juramentum purgatorium. Reiffenſtuel §. 2. *n. 46.* Dixi in aſſertione, *in foro externo*; nam pro foro interno, ſi non adfuit mens promittendi, per nulla verba utut clara: ſi verò mens promittendi adfuit, per quælibet verba ut ut dubia inducitur obligatio.

12 Dico 5. Per illa ſigna in foro externo cenſentur contrahi ſponſalia, quæ juxta communem intelligentiam aut conſuetudinem loci conſenſum in futuras nuptias exprimunt. Ratio; quia, ſicut verba, ita & ſigna alia, juxta communem acceptionem & conſuetudinem accipi in foro externo debent, niſi aliunde conſtet de mente oppoſita. Sumitur ex *c. 7. cit.* Sic quamvis ſubarrhatio, ſeu immiſſio & acceptatio annuli in digitum ex ſe ſit indifferens, tamen ſi fiat poſt prævium tractatum de Sponſalibus vel Matrimonio, vel cum dicto unius: *Do tibi annulum ad futurum Matrimonium*, Ich gib dir den Ring auff die Ehe / cenſentur contracta eſſe ſponſalia. Idem eſt de oblatione & acceptatione munerum & jocalium,

lium, atque de porrectione manuum; Handſtreich. Porro quando ſigna, aut verba, ſunt dubia, ijs tamen accedit copula carnalis præſertim repetita, præſumendum eſt â Judice, quòd copula ſit facta animô ſponſalitiô, uti docet Gobat *tr. 10. caſu 2. n. 82. 90. 276.* cum Perez. Menoch. & alijs paſſim. favet *c. 6. de condit. appoſ. & c. 30. h. t.* quia puella paulò honeſtior non cenſenda eſt præbere uſum corporis, niſi ſponſo ſuo, ac ſub ſpe futuri Matrimonij, ſub qua ſtolidæ puellæ omnium facillimè perſuadentur. Ex mera autem taciturnitate ſponſi vel ſponſæ præſentis, cui ab altera parte offeruntur ſponſalia, vel quando alius (niſi ſint parentes, de quibus infra) pro ipſis contrahere intendit abſque ſpeciali mandato, non ſufficit; nec habetur pro ſigno conſenſus; quia tacens non cenſetur conſentire, quando agitur de obligatione contrahenda, & de onere imponendo. Unde univerſaliter, quotiescunque dubium eſt de valore ſponſalium, ac ex verbis aut ſignis non ſatis conſtat poſt diligens examen, nec præſumi ex accidenti poteſt mens contrahendi ſponſalia, contra, non pro ſponſalibus judicandum cenſeo; quia Jura ſunt proniora ad libetandum quàm obligandum. *l. 47. ff. de O. & A.* atque Matrimonia coacta ſolent funeſtos & triſtes habere exitus. *c. 17. h. t.*

Dico 6. Promiſſio Matrimonij ut obliget, requirit acceptationem alterius partis, ut verò ſit verè *Sponſalitiâ*, requiritur eſſentialiter repromiſſio, ab acceptatione diſtincta, adeóque Sponſalia debent eſſe mutua promiſſio. Prior pars de acceptatione patet indè, quia regulariter nulla promiſſio obligat, niſi acceptata ſit, & quia Sponſalia ſunt quædam conventio, imò contractus, ad cujus eſſentiam requiritur placitum & conſenſus ſaltem duorum. Poſterior pars, quam tenet communis contra Palud. Henriq. & Pont. exiſtimantes, in ipſa acceptatione jam virtualiter contineri repromiſſionem, & hinc iſtâ opus non eſſe, probatur tum ex *l. 1. ff. h. t.* ubi

ubi Sponſalia dicuntur eſſe *mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum*, tum ex eo; quia non repugnat, ut promiſſio Matrimonij ſit gratuita, unilateralis, & unam partem, nempe promittentem obliget tantùm. v. g. ut Narciſſus liberaliter, aut titulô gratitudinis propter obſequia in morbo ſibi præſtita, abſolutè promittat Floræ Matrimonium, illa verò promiſſionem acceptet, dicendo fortaſſis, Nimbs vor bekandt an: bedancke mich vor die Gnad / ꝛc. quin tamen repromittat, & ſe viciſſim obliget ad contrahendum cum Narciſſo Matrimonium. In hoc caſu utique obligatur Narciſſus, ſed obligatione ſimplici, non verò *Sponſalitiâ*; cùm Sponſalia imitentur Matrimonium, hujuſque ſint præambulum, atque per Matrimonium tradatur, quod per Sponſalia promittitur: ſed Matrimonium non poteſt obligare unam duntaxat partem: ergo nec Sponſalia. In exemplo: promittis equum vendere Titio, ſed ille non repromittit emere; quamvis tuam promiſſionem acceptet: in hoc caſu tu obligaris ad vendendum, & quia Titius ſe non obligat ad emendum, ſeu ad pretium numerandum, non eſt emptio-venditio, nec producitur actio empti-venditi. Sic ſine repromiſſione Matrimonij nec erunt Sponſalia, nec indè oritur impedimentum publicæ honeſtatis &c. Ordinariè tamen, ſi quis non gratuitò promittat Matrimonium, ſed per modum contractûs oneroſi, altera pars hoc ipſo, quòd acceptet, repromittere cenſetur, niſi aliud exprimat verbis vel alio ſigno.

Oppones 1. Promiſſio Matrimonij habet conditionem intrinſecè ſibi annexam, *ſi pars altera repromiſerit*: ergo non poteſt pars altera acceptare promiſſionem, quin ſimul repromittat. 2. In ipſo Matrimonio ſi unus dicit, *accipio te in uxorem*, & mulier reponit, *placet*, ſufficit iſta acceptatio, nec opus eſt repromiſſione, & mutua expreſſione, qua dicat, *accipio te in maritum*: ergo ſufficit etiam in Sponſalibus acceptatio promiſſionis. R. ad 1. *N. Ant.* Ratio negandi patet ex noſtra probatione

tione 2da. Ad 2. *N. Conſ. & parit.* Nam contractus Matrimonialis ex eſſentia ſua eſt mutuus, & traditionem actualem juris in corpus & ad actus conjugales neceſſariò importat acceptatio; alias traditio illa daret jus ad uſum conjugalem cum conjuge non ſuo: at promiſſio Matrimonij tantùm tribuit jus ad rem, nec ex natura ſua exigit, ut viciſſim pars altera tribuat ſimile jus, uti vidimus.

Dico 7. Sponſalia, gravi metu injuſtè extorta, proba- 14
biliùs valent. Ita Colendiſſimus in Sacro Jure Profeſſor meus P. Jac. Wieſtner *h. â n.* 257. & meus in hac Cathedra pariter Colendus Prædeceſſor P. Franc. Schmalzgrueber *n.* 427. cum Sylv. Henriq. Tannero, Haunoldo, Leſſ. Perez, Conink, Pirh. &c. contra Panormit. Covarruv. Guttierez, utrumque Barboſa, Sanch. Pontium, Azor. Bonac. Dian. Tambur. Laym. Lug. Streinium, Wagnereck, Wex, Sporer, Kugler, Reiffenſtuel, & tres Salisburgenſes Engel, König, Schmier, & P. Conrad. Vogler *de Sponſal. d. 5. ſect. 5. n. 16.* Prob. 1. Jure Naturali regulariter valent actus tali metu extorti, uti nemo ferè negat; quia abſolutè ſunt voluntarij & liberi, licèt ſint involuntarij ſecundùm quid: pariter valent regulariter de Jure Poſitivo, juxta *c.* 2. *de his, quæ vi, & l. fin. C. eod.* ibi: *quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*, vel *infirmari*: ergo valent etiam Sponſalia taliter extorta, niſi oſtendatur Jus Poſitivum ea irritans: quod Adverſarij hactenus fruſtrà conati ſunt oſtendere. Prob. 2. Nec efficax ratio invaliditatis affertur; licèt enim dicantur valere hujusmodi Sponſalia, tamen metum patienti ſatis eſt conſultum per hoc, quòd Jus Naturale in foro interno obliget eum, qui metum intulit injuſtè, reſilire à Sponſalibus, ſi id exigat metum paſſus, Jus verò Poſitivum tribuat metum paſſo *Actionem*, qua coram Judice compellat alterum ad reſcindenda Sponſalia, vel *Exceptionem* ad repellendum eum, qui metum incuſſit. Imò, ſi valeant Sponſalia, melius eſt conſultum patienti metum; quia ſic, ſi forte

ex poſtfacto ipſi gratum ſit Matrimonium inire cum metum inferente, ad id compellere poteſt: quod non poſſet, ſi ſponſalia non valerent.

15 Oppones 1. In *c.* 11. *de deſponſ. Impub.* permittitur puellæ, quæ *nolens & invita, & minis parentum impulſa*, adeóque metu adacta, contraxit Sponſalia cum puero, alteri nubere, etiam non exſpectata pubertate pueri; licèt enim fuerit monita, ut exſpectaret, non tamen juſſa eſt: ergo illa ſponſalia non valebant. 2. Matrimonium metu gravi injuſto extortum non valet, uti hic ſupponitur: ergo nec Sponſalia, cùm hæc ſint via ad Matrimonium, &, quidquid de eo in Jure ſtatutum eſt, extendi debeat ad Sponſalia. *l.* 16. *ff. h. t.* 3. Si valerent Sponſalia metu extorta, obligarent ad actum illicitum & invalidum, ſcilicet ad Matrimonium, quod interveniente tali metu illicitè ac invalidè contrahitur: ergo Jus irritando Matrimonium indirectè etiam irritavit Sponſalia extorta. 4. Metus, quo extorquentur Sponſalia, influit in ipſum Matrimonium, licèt iſtud dicatur contrahi poſſe metu ceſſante, cùm influat in radicem ſeu in Sponſalia, ex quibus ſequitur Matrimonium tanquam effectus & objectum ſponſalium metu extortorum, ac ſequi debet *formaliter*, *h. e.* vi & virtute illorum, adeóque metus virtualiter perſeverat in ipſa obligatione ſponſalium, quando contrahitur Matrimonium, quod ſaltem mediatè extorquetur; quod enim eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati: ergo metus influens in ſponſalia etiam influit, afficit, & inficit ipſum Matrimonium. Et quid? ſi petens reſciſſionem, vel excipiens, non audiretur à Judice metu non ampliùs perſeverante; vel metum præcedentem probare non poſſet: certè hoc pacto compelleretur metum paſſa vel paſſus contra voluntatem inire Matrimonium, & perpetuò manere in ſtatu violento, quod ſanè abſurdum & periniquum eſt, ut ait P. Schmier, qui hanc rationem vocat *palmarem*. 5. Si valerent Sponſalia, producerent impedimentum publicæ honeſtatis,

ſtatis, quod eſſet notabile onus invito impoſitum: ſed durum eſt imponere invito tam grave onus: ergo durum eſt nimis dicere, talia Sponſalia valere. 6. Juramentum Sponſalibus metu extortis adjectum eſt nullum, ut habet communis Theologorum & Juriſtarum teſte Azor. ergo & Sponſalia extorta. *Ant.* patet, quia alias juramentum fieret inſtrumentum, quo iniqui homines abutuntur ad ſuam iniquam voluntatem explendam; obligaretur enim metum paſſus ſervare juramentum *formaliter*, & ut dependenter ab obligatione juramenti; quod malum & illicitum eſt.

R. ad 1. Hoc ipſo, quòd ibi Pontifex *tribui facul-* 16
tatem juſſerit nubendi alteri, juſſit *reſcindi* Sponſalia: ergo priùs valuerunt. Si verò contenderes, & evinceres (quod non fiet) Sponſalia illa fuiſſe invalida, dicerem tibi, invalida fuiſſe propterea, quia puella fuit *nolens & invita*, & ſic omnino non conſenſit propter vim abſolutam, & quia ipſa nunquam conſenſit, ſed tantùm parentes. Ad 2. *N. Conſ.* de Matrimonio enim habetur clarus textus in *c.* 14. & 15. *h. t.* nullus verò in toto Jure de Sponſalibus extortis. Argumentum a Matrimonio ad Sponſalia non ſemper procedit, uti fatentur Adverſarij, præſertim non procedit, quando utrobique non eſt eadem ratio, uti hìc; nam in Matrimonio, ut irritetur, reperitur ſpecialis ratio, nempe indiſſolubilitas, vi cujus metum injuſtum paſſus nullum ampliùs haberet remedium ab alterius injuria ſe liberandi, ſi Matrimonium metu extortum ſubſiſteret: Sponſalia autem ex multis capitibus diſſolubilia ſunt. Ad 3. *N. Ant.* non enim obligant ad Matrimonium ſtante adhuc metu, ſed eo ceſſante contrahendum, ſi v. g. tertius metum incutiens moriatur, vel ceſſet à minis. Res patet ab inſtantijs: valent & obligant Sponſalia impuberum, non tamen ad Matrimonium in impubertate contrahendum: valent & obligant Sponſalia clandeſtina, non tamen ad Matrimonium clandeſtinè contrahendum: valent probabiliùs &

obligant Sponſalia à raptore inita cum rapta, adhuc in poteſtate raptoris conſtituta, non tamen ad Matrimonium tunc contrahendum, ſed poſtquam illa fuerit extra poteſtatem raptoris. Atque in his inſtantijs optimè retorquetur argumentum. Deinde dic, Sponſalia ceſſante metu obligare quidem, non tamen efficaciter, ſed inefficaciter tantùm; quia metum paſſus agere, vel excipere, *quod metûs causâ*, ſi velit, ſemper poteſt. Ad 4. Palmaris eſt retorſio in ijsdem inſtantijs. Negatur, quòd metus, qui interea ceſſavit, virtualiter adhuc exſtet in genere moris, ac influat, vel inficiat Matrimonium; ſi enim metum paſſa in Sponſalibus ceſſante metu non petat reſciſſionem illorum, nec excipiat, rata habet & conſervat priora Sponſalia liberè ac ſpontè, & liberrimè absque ullo metu contrahit Matrimonium, licèt obligata dependenter à prioribus Sponſalibus, quæ obligatio fuit inefficax & conditionata quaſi, ſi nolit petere reſciſſionem aut opponere exceptionem, fit autem efficax & abſoluta per hoc, quod poſtea nihil opponat, ſed contrahat Matrimonium ceſſante metu. In exemplo: aliquis violentè captus eſt, ſed poſtmodũ permittitur vincula ſibi deponere, & lictores abeunt, nihilominus tamen ille retinet vincula, & petit ire ad carcerem liber à lictoribus: nunquid talis liberrimè iret ad carcerem, licèt priùs violentè fuerit captus & tractus invitus. Ad id, quod additur, dico, Matrimonium eſſe nullum, utpote necdum liberum à metu injuſto, ſi Judex agentem vel excipientem contra priora Sponſalia non audiat, vel ſi ſtante adhuc metu ex ignorantia non opponat exceptionem vel actionem, aut ſi opponat, metum tamen probare nequeat Ad 5. *Diſt. Min.* Durum eſt imponere tam grave onus ſine cauſa ſufficiente & absque Jure. *C. Min.* cum cauſa & jure, ex quibus probavimus valorem Sponſalium. *N. Min.* Jus non irritavit ex una parte hujusmodi Sponſalia, ex altera verò impedimentum publicæ honeſtatis annexit Sponſalibus validis. Dein iſtud onus com-

compenſatur per hoc, quòd patiens metum poſſit ſtare Sponſalibus, ſi iſta valeant, vel ea reſcindere, prout libuerit. Ad 6. *N. Ant. & Conſ.* Nam omne juramentum obligat, quod ſine peccato & valide impleri poteſt: ſed Matrimonium, etiam ex vi juramenti ſeu *formaliter*, ut loquuntur adverſarij, licitè, & ſi ceſſavit metus, etiam validè poteſt contrahi: ergo. Si metum paſſus nolit excipere exceptione metûs causâ, nullam patitur injuriam, neque, ſi metus ceſſavit, vim ampliùs: ergo ſibi imputet, ſi Matrimonium poſtea liberè contrahat.

Dico 8. Valent Sponſalia, licèt ipſis adijciatur conditio, modò ea poſſibilis ſit & honeſta: item licèt apponatur modus: aut dies. Patet ex ijs, quæ dicta ſunt de contractibus in genere ad *Tit. de Pactis in lib. I.* Atque de *conditione* probatur ſpecialiter ex *c. 3. & 6. de Condit. appoſ.* Nec refert, an conditio ſit neceſſaria vel contingens, de præſenti, præterito, vel futuro: ſi tamen ſit de futuro contingenti, ſuſpenditur obligatio ſponſalitia usque ad eventum conditionis, quo autem poſito, & ſic purificata conditione, absque novo conſenſu oritur obligatio. per §. *6. Inſt. de V. O.* Si adijciatur *modus*, ſeu gravamen imponatur uni vel utrique contrahentium, non ſuſpenditur obligatio ſponſalitia; obligatio tamen ſpecialis inducitur ad præſtandum illud gravamen, v. g. ut petatur licentia parentum: dico, *ut* petatur; nam modus exprimitur per tò *ut*, conditio autem per tò *ſi*. Si *dies* certus per modum termini *ad quem* adijciatur, v. g. dies 10. Februarij, ſtatim quidem obligant Sponſalia in actu primo, ſed in actu ſecundo non efficaciter, antequam 10. dies Febr. illuxerit. Dixi in aſſertione, *modò ea poſſibilis ſit*; licèt enim multi cum Sanch. putent, Sponſalia valere, quibus adjecta eſt conditio impoſſibilis vel intrinſecè inhoneſta, & habeatur pro non adjecta, ſicut ſi talis conditio adijciatur Matrimonio, juxta *c. fin. de condit. appoſ.* verius tamen cum P. Wieſtner *n. 30.* ac alijs puto, ea non valere; quia generali-

17

ter adjecta conditio impoſſibilis irritat actus, & tantùm *c. cit.* excipitur Matrimonium, non verò Sponſalia. Nec illa diſpoſitio debet extendi ad Sponſalia, cùm non ſit tantus favor Sponſalium, adeóque diſpar ratio; nec enim Sacramentum ſunt, nec indiſſolubilia, ſi aliquando valuerunt, ſicut Matrimonium. Vid. *tit. V. n.* 11.

18 Quæres, an Sponſalia, à perſonis impedimento dirimente vel impediente ligatis contracta ſub hac conditione, *ſi Papa, vel Epiſcopus diſpenſaverit*, valeant? R. cum Sanch. Palao, Gobat in *Theol. Experim. tr.* 10. *cit. n.* 162. P. Wieſtner *de condit. app. n.* 32. & alijs contra graviſſimos Canoniſtas, Hoſtiens. Joan. Andr. Panormit. Anchor. Sylv. Navar. Card. de Luca &c. affirmativè. Quia tam conditio, quam conditionatum eſt poſſibile, licitum, & honeſtum: *conditio* quidem, *ſi Papa diſpenſaverit*; nam ſuppono, perſonas eſſe ligatas tali impedimento, in quo poteſt & ſolet diſpenſari, quale eſſet conſanguinitas in quarto vel tertio gradu, votum caſtitatis ſimplex &c. *conditionatum* verò, ſeu objectum Sponſalium ſub hac conditione initorum, quod eſt Matrimonium, ſit licitum & poſſibile per ipſam diſpenſationem. Confirmatur: permutatio, vel reſignatio beneficij ſub conditione, *ſi Superior permiſerit*, tenet per *c. 7. & 8. de rer. permut.* Item inſtitutio ſpurij pro hærede ſub conditione, *ſi Princeps ipſum legitimaverit.* per *l. 62. pr. ff. de hæred. inſtit.* ergo etiam &c. Diſpenſationem autem per ſe petere communibus ſumptibus debere videntur. Interim tamen, ſi Sponſalia à perſonis taliter impeditis contrahantur ſine dicta conditione, iſta non ſubintelligitur, ſed Sponſalia cenſentur abſolutè eſſe inita, adeóque invalidè; quia promiſſio, cui non adjicitur conditio, regulatur ſecundùm tempus præſens. *l. 83. §. 5. & l. 137. §. 4. ff. de V. O.*

19 Dubitabis, num ſint Sponſalia abſoluta, vel conditionata, vel omnino nulla, ſi quis ad fœminam ſic dicat: *nullam ducam, niſi te*, vel *quàm te?* R. 1. Contra Abb.

Ant.

Ant. de Butr. Menoch. non ſunt Sponſalia abſoluta. Ratio, quia hæc propoſitio eſt negativa, adeóque excludit potiùs promiſſionem Matrimonij, quam includit. Licèt autem illa negativa limitetur per particulam exceptivam *niſi*, vel *quàm*, iſta tamen limitatio non eſt abſoluta, ſed reſolvitur in conditionem, & facit hunc ſenſum: *non ducam uxorem; ſi tamen aliquam duxero, ducam te:* atque iſte ſenſus colligitur tum ex ipſis verbis, ritè penſatis, tum ex *l. 40. §. 2. ff. de condit. & demonſtr.* Hinc R. 2. Videntur eſſe Sponſalia conditionata; conditionis tamen exiſtentia eſt in arbitrio promittentis poſita. Probatur: ſenſus dictæ formulæ videtur eſſe iſte, *ſi aliquam ducam, ducam te*: ſed iſta promiſſio eſt conditionata, exiſtentia verò conditionis pendet ab arbitrio promittentis, quia facta hac propoſitione integrum adhuc ipſi eſt manere cœlibem, vel ducere uxorem; ſi tamen eligat conjugium, debet hanc ducere, & hanc obligationem conditionatam parit memorata formula, quæ fit abſoluta ſine ulteriori promiſſione, quamprimum is ſe determinaverit ad ſtatum conjugalem. Oppones: hæc propoſitio, qua Judæi clamabant, *non habemus Regem, niſi Cæſarem*, habet hunc ſenſum, *Cæſar eſt noſter Rex, & non alius:* ergo eſt affirmativa: ergo etiam hæc erit affirmativa, *non ducam aliam, niſi te*, conſequenter inducet Sponſalia abſoluta, cùm habeat hunc ſenſum: *te ducam, & non aliam*; quæ formula juxta omnes producit obligationem abſolutam Sponſalium, ſi nempe accedat acceptatio & debita repromiſſio. R. *conceſſo Enthym. N. Illatum & paritatem;* nam ſi dictio *niſi*, vel *quàm*, concipitur de præſenti, ſeu afficit tempus præſens, utì in illa propoſitione, *non habemus Regem, niſi Cæſarem*, & in hac, quando quis de præſenti contrahit, dicendo, *non duco aliam, niſi te*, non facit ſenſum conditionatum, ſed hunc, *te duco, non aliam.* Econtra ſi tò *niſi* vel *quàm* apponatur promiſſioni de futuro, facit ſenſum conditionatum, utì vidimus.

20 Dico 9. Sponſalibus rectè apponitur arrha. 2. quæ poſt contractum Matrimonium reſtituenda eſt danti ſeclusa conſuetudine. 3. Si verò Matrimonium non ſequatur, revertitur quidem arrha ad dantem, ſi ſine hujus culpa non ſequatur. 4. Si verò dans ex culpa & injuſtè reſilit à Sponſalibus, & ſic impedit Matrimonium, perdit arrham. 5. Si accipiens reſilit injuſtè, in duplo tenetur reſtituere, vel, ſi ita conventum eſt, in quadruplo. Antequam probetur aſſertio, notandum, quòd *arrha* in propoſito nihil ſit aliud, quàm res quædam, ſive immobilis ſive mobilis, in magna vel in parva quantitate, à ſponſis vel eorum parentibus poſt contracta Sponſalia ſibi invicem quaſi pignus in ſecuritatem futuri Matrimonij data; tradi enim eam oportet actu, nec ſufficit promitti tantùm, ut habet communis; licèt juxta multos ſufficiat arrhæ loco dari pignus. Siquid autem datur à Sponſis uno vel utroque (nam utraque pars dare poteſt & accipere, vel etiam una tantùm) & ſine omni mentione arrhæ, arrha eſſe non præſumitur, ſed ſponſalitia largitas, vel jocalia. Jam pars 1. probatur ex *l. 3. & 5. C. h. t.* Pars 2. ex hac ratione, quia arrha traditur in ſignum, & quaſi in pignus futuri Matrimonij: pignus verò præſtita ſatisfactione vel ſolutione redit ad dantem. Addidi, *ſeclusa conſuetudine*; nam in Germania dicitur arrha manere penes accipientem ſecutô Matrimoniô. Pars 3. ex *l. 5. cit.* ſiquis ergo reſiliat ex ſuperveniente legitima cauſa à Sponſalibus, recuperat arrham, quam dedit. Pars 4. & 5. ex *l. 3. l. 5. citt.* ſi tamen Minorennis dedit arrham, non amittit, nec tenetur ad duplum, ſi accepit. *l. 5. cit.* Addidi, *ſi ita conventum eſt, in quadruplo, h. e.* tenetur reddere arrham, & ſimul triplum. v. g. ſi accepit 50. florenos, reddere debet 200.

21 Quæres, quid ſit ſponſalitia largitas, & quid Juris circa illam? R. 1. Eſt donatio inter ſponſos de futuro, facta ſub ſpe Matrimonii, & in ſignum amoris, non in pignus futuri Matrimonij; per quod differt ab arrha.

Alio

Digitized by Google

Alio nomine appellatur *Jocalium*, *Dotalitium*, *Donum ſponſalitium*, *Donatio ante nuptias*, *Mundus muliebris*. R. 2. Si ſequatur Matrimonium, manet accipienti irrevocabiliter. *l.* 12. *C. de donat. ante Nupt.* Si Matrimonium non ſequatur ſine alicujus culpa, reſtitui debet donanti, niſi ſponſus ante nuptias dedit oſculum ſponſæ (à fortiori ſi habuit copulam) tunc enim ſponſus donans dimidiam partem amittit, eámque lucratur ſponſa. *l.* 15. 16. *C. eod.* Sin autem ex culpa donantis non ſequitur Matrimonium, res donata perſiſtit apud accipientem: ſi ex culpa accipientis, redit ad donantem. *l.* 15. *cit.*

Dico 10. Etiam pœna, ab illo ſolvenda, qui ſine 28
juſta cauſa reſilit, Sponſalibus rectè apponitur ex conventione contrahentium; invalidè verò adjiceretur, ſi per conventionem ſolvi deberet ab illo, qui juſta de cauſa reſilit. Pars prior eſt ſatis controverſa; negatur enim à Panorm. Covar. Sanch. Tann. Gonz. Zœſ. Kugler *in ſuo tomo de Matrim. Opuſc. prævio de Sponſal. p.* 1. *q.* 3. *n.* 42. allegante plures, ſuſtinetur verò à Gobat. *n.* 172. Laym. Haun. Gletle &c. & probatur ſic: ex una parte cœteris contractibus poteſt adjici pœna conventionalis in perſidè reſilientem & ſine juſta cauſa: ex altera verò parte nec natura Sponſalium, nec lex adverſatur pœnæ â contrahentibus Sponſalia ſtatutæ in injuſtè reſilientem: ergo. Confirm. 1. ex *Nov.* 18. Leon. Imperat. Confirm. 2. Quia talis pœna ſervit ad urgendam executionem promiſſionis ſponſalitiæ, ad quam altera pars, ſi juſtam reſiliendi cauſam non habet, tenetur Jure Naturali & Poſitivo. Confirm. 3. licitè apponitur arrha, & quidem in duplum de Jure, & in quadruplum ex conventione in eum, qui accipit, & injuſtè reſilit: ſed duplum & quadruplum habet rationem pœnæ: ergo. *Ma.* conſtat ex dictis. Pars poſterior ferè eſt omnium, & clarè deciſa in *c. Gemma* 29. *h. t.* ubi de pœna, Sponſalibus cum puella necdum ſeptenni contractis appoſita, & poſtmodum à reſiliente exacta, ſic ſtatuitur: *cùm libera Matrimo-*

trimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit meritò improbanda; mandamus, quatenus si est ita, eundem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, Ecclesiasticâ censurâ compellas. Notetur, quòd sermo sit de Sponsalibus in impubertate contractis, à quibus licitè justè & ex dispositione Juris resiliri potest, imò est sermo de Sponsalibus infrà septennium contractis, quæ omnino sunt nulla.

23 Oppones 1. Leges universaliter prohibent pœnam conventionalem apponi Sponsalibus, non distinguendo inter justè vel injustè resilientem, utì *l.* 1. *&* 5. *C. h. t. l. Titia* 134. *ff. de V. O.* & præsertim *c. Gemma cit.* ergo nec nos debemus distinguere. 2. Matrimonia debent esse liberrima. *l.* 2. *C. de inutil. stipulat.* Sed huic libertati repugnat pœna à resiliente solvenda, & facit, ut Matrimonium potiùs metu pœnæ, quàm amore coalescat, & sic infaustos sortiatur exitus. 3. Stipulatio de pœna in testamentis est nulla, & contra bonos mores, ut si quis cum testatore sic stipularetur: *si hæredem me non feceris, tantum dare spondes? l.* 61. *ff. de V. O.* ergo. R. ad 1. Etsi videantur prohibere pœnam sine distinctione inter justè & injustè resilientem, si tamen accuratiùs attendantur, vel de pœna Sponsalibus irritis adjecta, vel à quibus licitè resiliri potest, loqui deprehenduntur, utì de *c. Gemma* ostendimus. Jus Civile insuper non adeò curandum est in hac materia fori Ecclesiastici. Ad 2. *Dist. Ma.* debent esse liberrima â metu injusto. *C. Ma.* à justo, per quem compelluntur contrahentes ad id, ad quod jam aliunde obligantur. *N. Maj.* & retorq. argum. in Judice Ecclesiastico, qui sæpe compellit sponsos ad contrahendum Matrimonium per mulctam 100. vel plurium florenorum, vel per censuras, quibus majorem Ecclesia pœnam non habet. Dein aliunde Sponsi non habent libertatem *moralem, h. e.* jus liberè resiliendi sine justa causa: ergo quando per pœnam adstringuntur ad non resiliendum injustè, non adimitur ipsis libertas. Retorqueo

etiam

etiam in arrha duplicata, vel quadruplicata. Ad 3. *N. Conſ. & parit.* Quia teſtator non aliunde jam eſt obligatus ad hunc inſtituendum pro hærede: econtra Sponſi jam aliunde ſunt obligati ad contrahendum Matrimonium, niſi juſtam reſiliendi cauſam habeant.

Dico 11. Sponſalia clandeſtina, ſeu ſine teſtibus, & 24
parocho contracta, valent, & per ſe licita ſunt. Quòd valeant, eſt communis Catholicorum contra hæreticos quosdam. Quòd licita ſint, docet communior contra Abb. Hoſt. Jo. Andr. Alex. de Nevo, Sylv. &c. Ratio, quia nullo jure irritata vel prohibita reperiuntur Sponſalia clandeſtina, imò ſi præſens deberet eſſe Parochus & teſtes alij, periculum quandoque foret, ne ſtatim omiſſis Sponſalibus & Denuntiationibus contraherent de præſenti, & ipſum Matrimonium. Conſultum tamen eſt adhibere teſtes ſine parocho, vel ſcripturam deſuper conficere, ut probari poſſint, ſi fors altera pars negaret contracta ſponſalia. Optimè attenditur ac obſervatur modus, quem Statuta Diœceſana præſcribunt, vel ſuadent. Oppones 1. Quæ circa Matrimonium ſtatuta ſunt, cenſentur etiam eſſe ſtatuta de Sponſalibus: ſed Matrimonium clandeſtinum Jura volunt eſſe irritum; ergo. 2. Ex clandeſtineitate Sponſalium præſumitur dolus, & ſic facilè cum pluribus poſſunt contrahi Sponſalia: ſed dolus, & cum pluribus contrahere, non licet: ergo. R. ad 1. *Diſt. Ma.* ubi eſt eadem ratio, vel in favorabilibus. *C. Ma.* ubi diſpar eſt ratio, vel in odioſis. *N. Ma.* Sic nemo dicet, contrahentem Sponſalia cum conſanguinea incurrere excommunicationem, quæ tamen ſtatuta eſt in contrahentem Matrimonium cum conſanguinea. *Clem. Un. de Conſang.* Ad 2. Præſumitur dolus, ubi clandeſtineitas alicujus contractûs eſt prohibita; alias non: ſecus nullus contractus poſſet clandeſtinè fieri licitè. Dein clandeſtineitas non eſt cauſa, cur aliquis contrahat cum pluribus Sponſalia, ſed malitia contrahentis. Ex hoc argumento ſequeretur, etiam venditionem equi v. g. clandeſtinam eſ-

ſe

ſe illicitam, quia ſic vendens poſſet ſæpius eundem equum vendere.

§. II.

A quibus contrahi poſſint Sponſalia, vel etiam debeant?

25 SCiendum, licèt certum ſit, Sponſalia non poſſe contrahi a perſonis, inter quas validè & licitè Matrimonium iniri non poteſt, niſi promiſſionem ſuam referant ad tempus habile, quo ſcilicet impedimentum, ſive dirimens, ut eſt conſanguinitas &c. ſive impediens, uti eſt votum ſimplex caſtitatis &c. fuerit ſublatum, nimirum ſub conditione v. g. *ſi Papa diſpenſaverit*; dubitari tamen 1. An Catholicus cum hæretica. 2. An quis nomine alieno, ſcilicet procurator pro alio. 3. Parentes pro liberis, Tutores pro pupillis, Fratres pro ſororibus validè ac licitè contrahant Sponſalia. 4. An neceſſarius ſit liberis parentum conſenſus. 5. An Sponſalia neceſſariò præmitti debeant Matrimonio ab illis, qui volunt contrahere Matrimonium?

26 Dico 1. Sponſalia Catholici cum hæretica, vel viciſſim, ordinariè non tantùm illicita ſunt, ſed etiam invalida. Azor, Sanch. *l. 7. d. 72. n. 3.* Gobat *tr. 9. n. 216.* Sporer *de Matrimon. 118.* Ratio; quia quamvis hæreſis non ſit impedimentum dirimens Matrimonij, licitè tamen non facilè & non niſi in raris circumſtantijs contrahitur cum hæretica, uti videbimus ſuo loco: cùm ergo Sponſalia non poſſint obligare ad rem illicitam, ſicut nullus alius contractus. *c. fin. de Pact.* ſequitur, ea eſſe invalida ac nulla. Confirm. propter hæreſim, in quam labitur ſponſus vel ſponſa, ſolvuntur ipſa Sponſalia priùs inita, ſaltem præbetur ſufficiens cauſa reſiliendi. *arg. c. 2. de divort. & c. fin. de converſ. conjug.* videlicet

tet propter periculum perverſionis vel propriæ vel prolium, quod ſubit pars Catholica: ergo, cùm tale periculum ordinariè jam ſubſit, quando cum parte hæretica contrahuntur Sponſalia, ordinariè erunt nulla. Oppones 1. Videmus paſſim in locis, ubi hæretici vivunt immixti Catholicis, contrahi Sponſalia & Matrimonium ipſum inter diverſæ Religionis perſonas, non reclamantibus Epiſcopis: ergo ordinariè ſunt licita, conſequenter & valida Sponſalia, cùm Matrimonium per conſuetudinem factum ſit licitum, & ſic non obligent ad rem illicitam. 2. Dici poteſt, quòd hujusmodi Sponſalia ſint conditionata, ſi altera pars fuerit converſa ad fidem Catholicam: quo caſu non ſunt illicita, cùm non obligent ad Matrimonium, niſi ſub conditione tacita, *ſi priùs fuerit converſa pars altera*; adeóque nec invalida, cùm ſic non obligent ad rem illicitam: ferè ſicut diximus de Sponſalibus metu extortis, quòd obligent, at non, niſi ceſſaverit priùs metus. R. ad 1. Non videtur hæc conſuetudo eſſe valida, cùm videatur eſſe contra Jus Naturale, quod obligat ad cavenda pericula valde propinqua & ordinaria perverſionis quoad fidem & bonos mores; cujusmodi periculum ſi non marito Catholico, ſaltem liberis ordinariè imminet ex Matrimonio cum hæretica, vel viciſſim. Epiſcopi ſubinde non ſciunt, vel, ſi ſciunt, coguntur ad evitanda majora incommoda diſſimulare, vel, ſi diſſimulant abſque urgenti neceſſitate, etiam ipſi peccant. Ad 2. Si mihi ſufficienter probares, eam conditionem eſſe ordinariè imbibitam vel ipſo jure vel ex conſuetudine Sponſalibus cum hæretica vel hæretico initis, darem manus argumento: ſed non video, quomodo probes, imò praxis pugnat contra te, cùm etiam contrahatur Matrimonium poſt Sponſalia cum necdum converſis. Unde nec paritas eſt cum Sponſalibus metu extortis; quia his conditionem ſublati metûs videtur annexuiſſe ipſum Jus, dum Matrimonium ſtante metu initum irritavit. Sed nec Sponſalia, metu extorta, ſunt

pro-

propriè conditionata, ſed abſoluta, licèt eorum effectus impediatur, quamdiu ſtat metus: ſicut Sponſalia impuberum non ſunt propriè conditionata, aut raptoris cum rapta, licèt effectum ſuum conſequi non valeant, antequam advenerint anni pubertatis, vel ſponſa rapta in loco tuto fuerit conſtituta: ſunt proin abſoluta potiùs, reſtricta tamen ad certum tempus, licèt videantur *quaſi* conditionata.

27 Dico 2. Sponſalia licitè ac validè contrahuntur per proxenetam (Unterhändler) procuratorem; aut internuntium, vel internuntiam (aut litteras.) Sumitur *ex c. fin. de Procurat in 6.* Ubi ipſum Matrimonium ſic iniri poſſe dicitur. Et *poteſt quis per alium; quod poteſt facere per ſe ipſum.* Item: *qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum. c. 68. & 72. de R. I. in 6.* Confirm. ex praxi Principum & Magnatum. Requiritur tamen 1. Ut procurator habeat mandatum ſpeciale ad contrahendum, & quidem cum determinata ac individuali perſona. 2. Ut per ſe exequatur procurator mandatum, non per ſubſtitutum. 3. Ut mandatum nec taciterè nec expreſsè ſit revocatum, etiam ignorante procuratore, dum actu contrahit. Habentur hæc *c. fin. cit.* Non tamen obſtat, licèt principalis, cujus nomine contrahit procurator, illo temporis puncto dormiat, aut ebrius ſit, aut etiam in amentiam inciderit: quia conſenſus, per mandatum procuratorium aliquando explicatus, quamdiu poſitivè non revocatur, virtualiter ac moraliter adhuc perſeverat: ſi igitur accedat conſenſus perſonæ, ad quam ſe refert mandatum (ſive ſcripto ſive oretenus datum) utriusque conſenſus exiſtit eodem moraliter tempore. Dixi, *vel internuntiam*; quippe fœmina quoque ab una, imò & ab utraque parte contrahentium conſtitui poteſt, ut docet Sanch. *l. 2. d. 11. n. 15.* quia non requiritur, ut procurator ſit capax illius juris, quod per ipſius miniſterium acquiritur, ſed ſufficit, ſi principalis, cujus agit miniſtrum: adeóque procuratorum loco poſſunt conſtitui

vel

vel duo maſculi, vel duæ fœminæ; licèt principales debeant eſſe diverſi ſexûs, mas & fœmina. Cœterùm litteræ amatoriæ, in quibus ſcribens aliquam vocat ſponſam ſuam, non ſatis indicant conſenſum ſponſalitium, nec ſufficiunt ad Sponſalia ritè probanda, licèt faciant aliquam præſumptionem, ut notant communiter.

Oppones 1. In alijs negotijs procurator validè pro- 28
cedit tam diu, quàm diu mandati revocatio ipſi non intimatur, vel exiſtit tantùm in mente revocantis. *Clem. un. de Renunt. l. 15. ff. Mand.* ergo etiam in negotio Sponſalium. 2. Hæreditas non poteſt adiri à mandatario, vel ſervo, quando mandans vel dominus ante aditionem deſtitutus eſt mente. *l. 47. 48. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* ergo nec Sponſalia poſſunt contrahi à procuratore, quando mandans ante actualem contractum fit amens. R. ad 1. *N. parit.* quia in alijs contractibus Jus Humanum ſupplere poteſt voluntatem contrahentis, non verò in Sponſalibus, ad quorum valorem neceſſarius omnino eſt conſenſus verus, naturalis, & proprius. Ad 2. *N.* iterum *parit.* nam aditio hæreditatis eſt actus diſpoſitioni Juris Civilis ſubjectus: Sponſalia autem ſunt actus naturalis, non tam ex diſpoſitione & ſubtilitate Civili, quàm diſpoſitione & ſimplicitate Naturali regulandus.

Dico 3. Suſtinentur Sponſalia, quæ parentes, pater 29
vel mater, nomine liberorum præſentium & tacentium ſine mandato eorum contrahunt; non verò, quæ Tutor pro pupillo, Frater pro ſorore &c. præſente & tacente contrahit. Communis Theologorum & Jurisperitorum ex *c. 1. de Deſponſ. impub. & c. un. §. porro eod. in 6.* Ratio autem eſt; quòd Jus præſumat conſenſum liberorum, præſentium & non contradicentium (ſive ſint liberi legitimi ſive illegitimi, emancipati vel in patria poteſtate adhuc conſtituti) ſi parentes nomine ipſorum contrahant, non verò præſumat conſenſum, ſi tutor pro pupillo, frater pro ſorore &c. contrahat; nam tutor, frater, aut alij conſanguinei non ita tenerè amant, atque adeò ſyn-

cerè bonum pupilli, ſororis &c. quærunt, ſicuti parentes liberorum ſuorum. Accedit, quòd Jura *citt.* ſolis parentibus tribuant facultatem pro liberis contrahendi Sponſalia, & quidem tantùm pro præſentibus. Cœterùm ſi liberi reipſa non conſentirent, ſed præcisè tacerent, non fierent Sponſalia, et, ſi ſuum diſſenſum aliquo indiciô, vel ſaltem juramentô, ad quod admitti debent, probarent, aſſerentes, ſe tantùm tacuiſſe ex verecundia vel reverentia vel metu, etiam in foro externo abſolvi deberent â Sponſalibus obſervandis. *per can. un. cauſ. 30. q. 2. & can. 2 cauſ. 27. q. 2.* ubi requiritur omnino verus conſenſus & proprius. Sanch. *l. 1. d. 23. n. 3. 4.* Dixi autem, *præſentium*; ſi enim liberi abſentes forent, vel ignorarent, nomine ſuo contrahi Sponſalia à parentibus, Sponſalia forent nulla, niſi liberi re intellecta ſpecialiter *ratificaverint tacitè vel expreſsè. c. fin. §. porrò cit.* Utrùm verò ſufficiat mera taciturnitas, ſi nempe liberi, poſtquam oretenus vel ex litteris intellexerunt, quid loco ſui factum ſit, taceant, & hoc ſilentium ſit tacita ratificatio, quam Jus requirit, non conſentiunt DD. & plures cum P. Wieſtner *h. n. 41.* affirmant, ego autem cum Sanch. *loc. cit. n. 17.* & aliis nego, ac puto, requiri ad tacitam ratificationem aliquem actum poſitivum, utì v. g. eſt miſſio annuli vel munerum ad ſponſam à parentibus electam. Fundamentum petitur ex *c. un. cit.* ubi textus diſtinguit inter caſum, quo liberi ſunt præſentes, & inter caſum, quo ſunt abſentes: in priori ait ſufficere taciturnitatem, in poſteriori requirit ratificationem tacitam vel expreſſam: tacita autem ratificatio per ſe non eſt merum ſilentium, &, cùm iſta diſpoſitio Juris, præſumentis ex taciturnitate conſenſum, reſtringat Jus Naturale, quod requirit conſenſum perſonaliter poſitum, non debet ampliari, ſed reſtringi.

30 Oppones 1. Regula Juris 44. *in 6.* dicit: *is, qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur:* ergo liberi tacentes non conſentiunt: ſine conſenſu autem impli-

implicat omnis contractus. Quamvis verò regula 43. præcedens dicat, *qui tacet, conſentire videtur*; tamen id non procedit, quando agitur de præjudicio & obligatione imponenda. Confirmatur ex generali regula, quòd nemo poſſit alterum obligare alteri, & ſtipulari tertio. 2. Sponſalia requirunt verum & naturalem conſenſum. *cann. citt. & l. 4. ff. h. t.* ſed taciturnitas non eſt verus, ſed tantùm præſumptus conſenſus. 3. In *c. 1. de Deſponſ. Impub.* habetur, quòd filius, cui pater elegit Matrimoniùm, poſtquam pervenerit ad perfectam ætatẽ, illud *omnino adimplere debeat*: ergo liberi, pro quibus, ſive abſentibus ſive præſentibus, contrahunt parentes Sponſalia, non poſſunt diſſentire, ſaltem ſi impuberes fuerunt tempore, quo parentes pro ipſis contraxerunt. 4. In *c. 1. de Matr. contracto contra interd. Eccl.* referuntur Sponſalia à fratre contracta pro ſorore tacente: ergò etiam de fratre reſpectu ſororis, & non tantùm de parentibus reſpectu liberorum, procedit noſtra aſſertio. Et quid, ſi ſoror taceret, dum frater pro ſe contrahit Sponſalia, interiùs tamen revera conſentiret? An non forent vera Sponſalia, cùm adeſſet utriusque conſenſus, ſatis manifeſtatus? R. ad 1. Illa *Regula 44.* & altera, quòd nemo poſſit alterum alteri obligare, procedunt quidem generaliter; quando autem parentes pro liberis tacentibus & non contradicentibus contrahunt, eſt ſpecialis exceptio, quam facit Jus *c. un. cit.* dum præſumit conſenſum verum in liberis. Nec parentes cenſentur agere aliquid in ipſorum præjudicium, ſed in maximam utilitatem, & ideo liberi tacentes conſentire videntur. Ad 2. Eſt ferè eadem reſponſio: ſufficit enim in hoc caſu conſenſus ex taciturnitate præſumptus; quamvis, ſi revera non daretur, ſed eſſet *merè* præſumptus, non ſufficeret. Ad 3. Ibi per tò *debet* non intelligitur debitum præciſæ neceſſitatis, ſed honeſtatis ac decentiæ, ſi filius alias elegit ſtatum conjugalem, nec juſtam contradicendi cauſam habet. Ad 4. Ibi ſoror mediante fratre;

Digitized by Google

quem quasi procuratorem constituit, contraxit, ac insuper factis suum verum consensum satis expressit. Certè ita naturale est requiri consensum personalem ac proprium in contractu tam arduo, in quo ipsa persona obligatur, ut, nisi Jus Positivum aliter statuisset de parentibus nomine liberorum præsentium & tacentium contrahentibus, neque de his admittendum foret, quòd sine consensu, ab ipsis liberis personaliter expresso, validè contraherent. Proinde dispositio hæc Juris Positivi, cùm sit restrictiva Juris Naturalis, extendenda non est â parentibus ad fratres, tutores &c. Ad id, quod additur, aio, non perfici tali casu Sponsalia propter defectum manifestationis consensûs; nam soror, licèt consentiat, non manifestat suum consensum sufficienter per taciturnitatem: verba autem fratris eundem consensum nec ex se significant, quia stantibus ijsdem verbis posset soror non consentire: nec ex dispositione Juris, ut vidimus.

31 Dico 4. Valida sunt Sponsalia, sine consensu parentum inita, excepto casu, quo ipsum Matrimonium foret illicitum: regulariter tamen illicita sunt, si sine præscitu, consilio, vel etiam consensu illorum contrahantur, P. Kugler *de Sponsal. p. 1. q. 9. ân. 105.* cum Sanch. Laym. &c. Item Reiffenstuel *ad h. t. n. 23. 24. & n. 272.* cum Guttierez. Menoch. Gobat. &c. quidquid obganniant hæretici Scriptores, præsertim Harpp. *ad princ. Inst. de Nupt. à n. 86.* Prior pars probatur 1. Matrimonium sine consensu parentum, & eorum, in quorum potestate constituti sunt contrahentes, valet, uti decisum est in Conc. Trid. *S. 24. c. 1. de Ref. Matr.* & nos dicemus infrà *n. 82.* ergo etiam Sponsalia, quia sunt inchoativè Matrimonium ipsum, & pertinent ad electionem statûs de se perpetui, quæ liberis debet esse liberrima, ac independens ab aliena voluntate, adeóque pugnat eadem ratio, quæ in ipso Matrimonio: imò major, quia, si Matrimonium, quod est indissolubile, absque consensu parentum valet, Sponsalia quoque â fortiori, cùm adhuc

huc aliâ viâ diſſolvi poſſint, valebunt. Certè ſi valor Sponſaliorum pendéret a conſenſu parentum, liberi deberent contrahere cum illis, à quibus ſæpe abhorrent, & ſic tolleretur libertas Matrimonij. 2. Ex praxi Eccleſiæ, eos ad ſtandum Sponſalibus ſæpe compellentis, qui ea clam, inſcijs, vel etiam invitis parentibus contraxerunt. 3. Ex eo, quia ſpectato Jure Naturali valent, Jure autem Poſitivo non ſunt irritata. Poſterior pars ſuadetur ex præcepto quarto Decalogi, vi cujus liberi tenentur revereri parentes, eísque obedire, adeóque tenentur in re tam gravi conſilium parentum exquirere regulariter, quamvis non ſemper teneantur eorum conſilium ſequi, vel conſenſum exſpectare, niſi ex Sponſalibus, quæ meditantur, grave ſcandalum, familiæ probrum, rixæ & inimicitiæ inter conſanguineos meritò timerentur; vel ſi evitari poſſent per Sponſalia cum illis contracta, cum quibus ea ſuadent parentes. Dixi 1. *excepto caſu &c.* ſi enim Matrimonium licitè non poſſent contrahere cum hujusmodi perſonis, quas nolunt parentes, puta quia Matrimonium eſt inæquale aut indignum, nempe cum perſona notabiliter viliore, turpi &c. Item ſi ex eo ſequeretur ſcandalum grave, aut inimicitia magna ac diuturna, lites & rixæ &c. irrita forent Sponſalia; cùm nemo poſſit ſe validè obligare ad illicitũ. per *c.* 18. *de Jurejur.* Si verò hujusmodi abſint, & parentes nihilominus non conſulantur, vel eorum conſilium negligatur, vel conſenſus non petatur, vel parentes, quorum non intereſt multùm, ſi cum tali perſona fiant Sponſalia, absque cauſa juſta & gravi negent conſenſum petitũ, valent Sponſalia, quamvis ordinariè ſint illicita, utpote contra pietatem, charitatem, & reverentiam ſaltem negativam parentibus debitam inita; licèt probabiliter ſint tantùm venialiter peccaminoſa, niſi prævideant gravem illorum triſtitiam; cùm parentes non poſſint eſſe rationabiliter inviti graviter, ſi eorum conſilium non petatur in re, ardua quidem, ſed abſolutè pendente ab electione libera liberorum, utpote pertinente ad ſtatum

vitæ. Dixi 2. *regulariter*; nam ſub nullo peccato, etiam veniali, tenentur liberi petere conſilium, minùs conſenſum parentum, ſed clam ipſis licitè contrahunt, quando prævident, parentes nullam habere juſtam cauſam contradicendi, &, ſi conſulerentur, contradicturos Sponſalibus alias honeſtis, ex inordinata tantùm paſſione, v. g. ob intereſſe proprium, ex avaritia, ex odio iniquo erga perſonam, cum qua contrahere Matrimonium intendunt &c. vel ſi aliam juſtam cauſam non conſulendi parentes habeant liberi. Suaſerim tamen, ne ſuo judicio ſoli fidant, præſertim ſi advertant exceſſum amoris.

92 Oppones 1. In *l. 7. §. 1. ff. h. t.* ad valorem Sponſalium requiritur conſenſus parentum, in quorum poteſtate ſunt liberi, nempe patris & avi. 2. Matrimonium ſine conſenſu parentum ſaltem illicitum eſt ſemper: ergo Sponſalia ſine eorum conſenſu ſunt invalida ſemper: cùm obligatio ad illicitum repugnet. 3. Parentes tenentur eſſe ſolliciti pro nuptijs liberorum: ergo iſti viciſſim tenentur quoad nuptias illis obedire. 4. Pater poteſt irritare vota filiorum, in ſua poteſtate exiſtentium, edita ſine ſuo conſenſu: ergo & Sponſalia. 5. Si filij ordinariè teneantur exquirere conſilium parentum, tenentur etiam ordinariè illud ſequi; ad quid enim petere conſilium conducit, ſi ſpernatur? R. ad 1. Leges Civiles in ijs, quæ pertinent ad Matrimonium, quod à Chriſto eſt elevatum ad rationem Sacramenti, & ſic à jurisdictione ac foro ſæculari exemptum, vim non habent. Vel dic, ibi ſuaderi, vel etiam præcipi quidem conſenſum parentum, Sponſalia tamen, vel Matrimonium non hoc ipſo irritari absque tali conſenſu. Ad 2. *N. Ant.* quòd *ſemper* ſit illicitum, quando nempe adeſt rationabilis cauſa non petendi conſenſum, vel conſilium parentum. Ad 3. *N. Conſ.* parentes etiam debent eſſe ſolliciti de filijs promovendis ad Sacerdotium vel Ordinem Religioſum, ſi filij talem ſtatum eligant, tamen electio Sacerdotij vel ſtatûs Religioſi, facta ſine conſenſu parentum, irrita non eſt.

Vel

Vel *diſt. Conſ.* ergo tenentur quoad nuptias illis obedire ex pietate, ac decentia regulariter. *C. Conſ.* ex juſtitia, vel ex pietate ſemper. *N. Conſ.* Ad 4. Imprimis ſi Sponſalia poſſent irritari à parentibus, eo ipſo Sponſalia debent eſſe valida. Dein paritas non eſt inter vota & Sponſalia, cùm vota fiant ſoli Deo, qui ea non acceptat, ſi ſint in præjudicium tertij, vel, ſi acceptavit, iterum cedit jure ſuo, ne tertio præjudicetur: Sponſalia autem fiunt homini, qui non tenetur cedere jure ſuo propter tertium. Item quæ ſunt publici juris, uti Sponſalia ſaltem diſpoſitivè, non ſubjacent juri patriæ poteſtatis. Ad 5. *N. ſequel.* Si enim petatur conſilium à parentibus, ſpes eſt, ab ijs omnia ſyncerè manifeſtanda, quæ liberi ob cæcum amoris impetum ſæpe non proſpiciunt, prodeſſe tamen & obeſſe in tam arduo negotio poſſunt; & ideo rectè ac decenter petunt conſilium: ſequendi autem neceſſitatem ſemper non patitur, nec agnoſcit conceſſa ipſis à Deo & Natura libertas eligendi ſtatum perpetuum. Imò, licèt non rarò peccent non ſequendo conſilium in contractu Sponſalium, non tamen hoc ipſo ſubſequens Matrimonium eſt illicitum; conſequenter nec invalida erunt Sponſalia, licèt fuerint illicita.

Dico 5. Sponſalia, licèt ordinariè præmitti de- 33.
beant Matrimonio, absque ijs tamen contractum Matrimonium ſubſiſteret. Ita communis, & clarè ſupponitur *c. 9. 22. 31. h. t.* Nec exſtat ulla lex, aut ratio, quæ abſolutam neceſſitatem Sponſalium probet. Conſtat etiam ex Eccleſiæ praxi, ratum habentis Matrimonium, quod in articulo mortis ad legitimandam prolem contrahitur cum concubina. Quòd autem ordinariè præmitti debeant, facit præceptum *c. fin. de clandeſt. deſponſ.* & Tridentini, prævias denuntiationes ad detegenda fortè latentia impedimenta Matrimonij ante actualem hujus contractum requirentis, ut res tanta majori cum deliberatione ac ſolennitate peragatur.

Digitized by Google

§. III.

De effectu Sponſalium.

34 SCiendum 1. Duplicem præcipuè effectum naſci ex Sponſalibus. Primus eſt obligatio, quam inducunt: & de hac quæritur 1. Quanta ſit intenſivè. 2. Quanta extenſivè. 3. Quo tempore adimplenda. 4. An â Sponſalibus reſiliens cogi, & quomodo poſſit vel debeat ad contrahendum Matrimonium. 5. Et ad reſarcienda damna alteri illata.

35 Sc. 2. Alterum effectum eſſe *Juſtitiam*, ſeu, *impedimentum publicæ honeſtatis*, quod nihil eſt aliud, quàm propinquitas certarum perſonarum vi Juris Eccleſiaſtici ex Sponſalibus proveniens, & conjugio cùm certis conſanguineis illarum contrahendo obſtans. Eſt igitur quaſi affinitas, orta ex conjunctione & conſenſu animorum, per Sponſalia tam de futuro quàm de præſenti (de hac poſteriore infra *n.* 132. agetur.) copulatorum, ſicut vera affinitas oritur ex conjunctione ſeu copula carnali corporum, vi cujus inhoneſtum videtur, ut aliquis cum conſanguinea ſuæ ſponſæ; aut viciſſim aliqua cùm conſanguineo ſponſi Matrimonium contrahat: cùm in Matrimonijs non ſolùm id, quod ex natura rei licet, ſed etiam id, quod decet & honeſtum eſt, ſpectari conveniat. De hoc impedimento publicæ honeſtatis ex Sponſalibus de futuro ortum trahente quæſtio movetur 1. Ex quibus Sponſalibus. 2. Et inter quas perſonas oriatur. 3. An ſit perpetuum, vel ceſſet diſſolutis per mutuum conſenſum Sponſalibus.

36 Dico 1. Sponſalia valida inducunt obligationem juſtitiæ per ſe gravem contrahendi ſuo tempore Matrimonium cum perſona, cui in contractu Sponſalitio data eſt fides. *can. 27. 47. 50. cauſ. 27. q. 2. c. 2. 10. &c. h. t.* Quia ſunt promiſſio mutua onerosa acceptata, mutuò dans jus proprietatis ad rem, & quidem in materia gravi. Unde,

de, niſi contrahentes expreſsè tantùm ſub peccato veniali ſe obligare, vel obligationem fidelitatis aut veracitatis tantùm intendant, quod non præſumendum, ex juſtitia & ſub peccato mortali tenentur non reſilire, non contrahere cum alia &c. niſi juſta ſubſit cauſa, de qua §. ſequenti. Oppones. In *l. 1. C. de Sponſal.* ſic habetur: *alij deſponſatæ renuntiare conditioni ; & nubere non prohibentur :* ergo licet à Sponſalibus pro libitu recedere. R. Jus Civile tantùm pro foro externo permittit receſſum, & recedentem à pœna abſolvit. At Jus Civile in hac materia non attenditur, ſed attendi Jus Naturale, & Canonicum debet, ita ut non tantùm detur obligatio naturalis, ſed etiam actio contra reſilire volentem. *c. 10. ſit.* adeóque à Jure Canonico correctum eſt Jus Civile.

Quæres, an Sponſus, vel Sponſa, fornicando cum 37
perſona alia, peccet mortaliter ſicut contra caſtitatem, ita & contra juſtitiam, adeò ut circumſtantia Sponſalium cum alia ſit in confeſſione Sacramentali ſpecialiter exprimenda? R. Mihi probabiliorem videri negativam; quam tenet Covar. Pont. Henriq. Maſtrius, Roſignolo, König *ad tit. de adult. n. 9.* Accedit Pirhing *ad tit. de adult. n. 3.* & Zoëſ. *eod. n. 2.* qui duo tamen ab Adverſarijs quibusdam citantur pro ſe; ſed perperam; licèt affirmativam præferant Azor. Laym. Palao. P. Kugler *de Sponſal. p. 2. q. 2. n. 24.* & plures alii. Diſtinguunt Sanch. Koninck. Fagund. Filliuc. La Croix de Sponſal. *n. 57.* &c. inter fornicationem ſponſi, quem non obligant, & fornicationem ſponſæ, quam adſtringunt ad aperiendam in confeſſione Sponſalium cum alio circumſtantiam; eò quòd fornicatio ſponſæ turpior ſit, quàm ſponſi, præbeatque huic jus reſiliendi à Sponſalibus. Noſtra reſponſio probatur negativè, quia peccatum injuſtitiæ, & obligatio exprimendi in confeſſione circumſtantiam Sponſalium cum perſona alia non ſufficienter probatur, imò rectè videtur oppoſitum ſuaderi ex eo,

quòd Sponſalia contrahentes nihil aliud ſibi mutuò promittant, quàm contractum Matrimonialem ſuo tempore, quem non impedit fornicatio unius ex ſponſis, licèt innocenti detur jus reſiliendi, utì infrà dicemus: interim verò fornicans obligatur cum innocente Matrimonium contrahere, ſi iſte velit. Confirmatur: ſi fornicatio ſponſi vel ſponſæ eſſet *quaſi* adulterium, exprimendum ſpecialiter in Confeſſione, pariter exprimi deberet, ſi tactus impudici, oſcula &c. ab ijsdem eſſent habita cum perſona tertia, ſicut à conjugibus exprimi debent hujusmodi, non minùs ac *verum* adulterium: conſequens fortè nemo admittit: ergo.

38 Oppones 1. Per Sponſalia confertur ſponſis mutuò jus ad rem, ſicut per Matrimonium confertur jus in re, ſeu dominium in corpus: ſed per fornicationem violatur iſtud jus ad rem, conſequenter alteri parti fit gravis injuria, & ſic peccatum injuſtitiæ committitur: ergo. 2. Sponſi ſibi mutuam dant fidem de corpore nulli alteri tradendo in uſum, ſeu quaſi commodando: ergo, ſi corpus alteri dant in uſum, gravem & ſpecialem inferunt injuriam innocenti. 3. Fornicatio ſponſi vel ſponſæ tribuit innocenti jus reſiliendi. *c. 25. de jurejur.* ergo ponit cauſam, ne ſequatur Matrimonium, ad quod tamen ſe obligavit, conſequenter etiam ad vitandum omne id, per quod impeditur Matrimonium. 4. Per hoc, quod ſponſus vel ſponſa contrahat Matrimonium cum alia vel alio, alteri parti facit injuriam: ergo etiam per hoc, quòd fornicetur cũ alia vel alio; quia fornicatio eſt fœdior quàm Matrimonium. 5. Per fornicationem ſponſa præbet cauſam, vel ſaltem ponit periculum, ne ſponſus teneatur alere prolem non ſuam; & per fornicationem ſponſus præbet periculum, ne debeat alere prolem ex alia ſuſceptam cum jactura bonorum, & ſic cum præjudicio ſponſæ: ergo committunt injuſtitiam, ſaltem caſu, quo ex fornicatione cõcipitur proles. R. imprimis retorquendo ferè omnia in illos, qui ſolùm ex parte ſponſæ, non verò

verò ex parte ſponſi fornicantis oriri volunt obligationem exprimendi circumſtantiam Sponſalium. Item retorq. in ſponſis tactus impudicos & oſcula exercentibus cum alia perſona, vel admittentibus. In *forma* ad 1. *N. Min.* quia jus integrum manet parti innocenti ad contrahendum cum fornicata Matrimonium, quod jus ſolum eſt datum, non verò promiſſa ſimul integritas corporis ſervanda usque ad nuptias, ſicut non eſt promiſſa conſervatio divitiarum v. g. licèt earum intuitu pars altera contraxerit Sponſalia cum divite, non tamen ſpecialiter paciſcente de ijs conſervandis. Per Sponſalia non traditur jus in corpus, ſed tantùm promittitur, ſicut, qui promitteret alteri vendere agrum, tamen illi per hoc non tradit jus in agro, licèt det jus ad rẽ. Sicut ergo talis promittens venditionem agri non infert injuriam promiſſario, ſi agrũ interea commodet alteri ad uſum, etiam cum aliqua deſtructione agri, ita nec ſponſus vel ſponſa alteri interea commodans corpus, usquedum contrahatur Matrimonium ipſum. Et ſicut promittens venditionem agri primùm tunc faceret injuriam promiſſario, ſi agrum alteri promitteret vel venderet, ita ſponſus vel ſponſa primùm tunc faceret alteri parti injuriam, ſi Sponſalia, vel Matrimonium cum alia vel alio contraheret: quia plus non promiſit. Ad 2. *N. Ant.* Ratio negandi patet ex dictis. Ad 3. *N. Conſ.* poteſt enim, & tenetur adhuc, ſi innocens velit, cum illo contrahere Matrimonium, nec alteri ſe validè obligat ad Matrimonium: ergo conſervat illi totum jus, quod illi dedit per Sponſalia. Ad 4. *C. Ant. N. Conſ.* quia, quòd cum alio nolit contrahere Matrimonium, promiſit, non verò, quòd alteri nolit interea commodare corpus. Ad 5. Si ſponſa ſupponat ſponſo prolem alienam alendam &c. utique committit injuſtitiam, ſed hoc reſpectu fornicationis per accidens eſt, & non neceſſariò connexum; poteſt enim ex fornicatione proles non concipi, vel, ſi concipiatur, non ſupponi ſponſo, futuro marito. His non obſtantibus

Dico,

39 Dico 2. Obligatio Sponſalitia extendit ſe ad omittenda omnia, quibus impediatur Matrimonium promiſſum, aut fides data lædatur. Ratio eſt clara, quia per hoc, quòd ſponſi ſe obligent ad Matrimonium, tacitè ac indirectè promittunt, quòd non velint ponere impedimentum illius, vel contravenire promiſſis: ſic absque injuſtitia ſponſus non poteſt ſuſcipere Ordines ſacros (quamvis Religionem ingredi ex ſpeciali diſpoſitione Juris valeat. *c. 7. de converſ. Conjug.*) aut Sponſalia vel Matrimonium ſine conſenſu compartis cum alia contrahere, ultra tempus debitum differre contractum Matrimonialem &c. nam

40 Dico 3. Sponſi ex juſtitia obligantur contrahere Matrimonium tempore ab ipſis determinato, niſi juſta cauſa excuſet. 2. Si dies executioni non ſit præfixa, quamprimum alterutra pars exigit. 3. Per ſe tamen probabiliùs non priùs, quàm petat compars. Prima duo membra ſunt certa apud omnes tum ex *c. 10. h. t. & l. 23. ff. de O. & A. l. 41. ff. de V. O.* tum ex natura contractuum. Tertium eſt ſatis controverſum, cui ſubſcribunt Sanch. Diana, Tanner. Pirh. *h. n. 16.* Kugler *p. 2. n. 6.* Gonz. *in c. 2. h. t. n. 6.* atque alij; contradicunt verò Pont. Coninck. Palao, Wex, Wieſtner. *n. 59.* Reiffenſtuel fusè *à n. 143.* Probatur 1. ex *l. 10. C. de pignor.* ubi, licèt hæc lex ponatur ad *tit. de Pignoribus*, & loqui videatur de debitoribus, qui pignora dederunt, tamen initio ponitur hæc regula generalis: *debitores præſentes priùs denuntiationibus conveniendi ſunt*: ergo comparte tacente, non denuntiante, non exigente impletionem Sponſalium, non eſt obligatio implendi; quia textus generaliter requirit interpellationem actualem, per quam debitor ad ſolutionem urgetur. 2. Quia ſilentium indicat, compartem conſentire in dilationem. Addidi tamen, *per ſe*; ſi enim compars non exigeret impletionem & executionem Sponſalium ex verecundia v. g. aut metu reverentiali, uti contingit quandoque apud fœminas,

Digitized by Google

nas; vel quando compars eſt in periculo, ne interim vel ſecum, vel cum alijs incontinenter vivat, niſi contrahatur citò Matrimonium, per accidens urgebit obligatio ſtatim contrahendi, licèt executio ſpecialiter non petatur & expreſsè. Oppones 1. In *l.* 14. *ff. de R. I.* ſic pronuntiatur: *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.* Idem habetur *l.* 41. *cit.* ergo ſtatim & prima opportunitate datur obligatio exequendi Sponſalia. 2. Votum, cujus executioni dies aut certum tempus non eſt præfixum, abſque mora & prima opportunitate debet dari executioni, ut habetur *Deuteron. c.* 23. *v.* 21. ergo idem dicendum de Sponſalibus. 3. Non eſt ratio, cur poſt menſem vel annum, & non ſtatim, impleri debeant Sponſalia, cùm eorum præſens executio poſſit eſſe utilis Sponſis. 4. Ex dilatione impletionis ſæpe oritur periculum fornicationis ſponſorum inter ſe: ergo. R. ad 1. Debetur quidem præſenti die, ſeu obligatio exequendi jam datur præſenti die, ſed non pro præſenti die; ſeu debitum contrahendi jam exiſtit, ſed non ſtatim contrahendi, comparte non urgente, non interpellante. Ad 2. *N. Conſ.* Quia Deus, cùm nunquam ſoleat expreſsè urgere executionem voti, cenſetur ſemper urgere & petere, cùm non ſit ratio, cur Deus non exigat ſtatim pro prima occaſione, ſed primùm poſt aliquod tempus, v. g. annum. Econtra Sponſi exigere poſſunt, & ſolent executionem Sponſalium, quando eam deſiderant. Ad 3. etiam pecuniæ ſolutio ſtatim eſt utilis creditori, & tamen non eſt obligatio ſtatim ſolvendi, ſi eam creditor non exigat; cenſetur enim in dilationem conſentire; adeóque eſt ratio differendi, usquedum exigatur. Ad 4. Si tale periculum detur, per accidens eſt obligatio non differendi: & quia hoc periculum ſæpe dari poteſt, ordinariè ſuadendum eſt ſponſis, ut prima opportunitate contrahant, licèt per ſe obligatio non ſit.

Dico 4. Si Sponſus vel Sponſa convento tempore, 41

vel

vel ad instantiam alterius partis nolit contrahere Matrimonium, potest ac debet cogi à Judice per competentia Juris media ad contrahendum, si monitio non sufficiat, nec justa causa aliud suadeat. Ita quoad rem communis apud Kugler *p. 1. q. 5. n. 70.* atque desumitur ex *c. 2. 10. & 17. h. t.* Confirmatur ex *c. 1. & 3. de Pactis*, vi quorum cogendus est promissor ad servanda etiam pacta simplicia, consequenter à fortiori ad servandos contractus onerosos. Certè Judicis est compellere ad reddendum cuique suum, aut quod ipsi ex justitia debetur. Dixi 1. *ad instantiam alterius*, si enim utraque pars voluntariè differat, vel omnino omittere Matrimonium decernat, cessat officium Judicis. 2. *à Judice*, nimirum Ecclesiastico, qui privativè competens est; quando concurrit quæstio de jure ac valore Sponsalium, vel de causa resiliendi, & non de sola executione agitur. 3. *Per competentia Juris media*, videlicet per carcerem, aliasve pœnas corporis afflictivas, et, si istæ nihil proficiant, per comminationem censurarum, vel per actualem excommunicationem. Trid. *s. 25. c. 3. de Ref.* Si tamen Judex Ecclesiasticus careat manu & familiâ armatis, potest quidem, at non tenetur brachium sæcularis Judicis implorare pro executione suæ sententiæ, adeóque statim ad censuras confugere potest. Reiffenstuel *ad h. t. n. 161.* 4. *Si monitio non sufficiat;* non enim statim compelli debet Matrimonium detrectans, sed priùs moneri. *c. 17. cit.* cùm coactiones soleant difficiles frequenter habere exitus. *ibid.* 5. *Nec justa causa aliud suadeat;* cujusmodi foret periculum perpetuarum rixarum, odiorum inter familias, violandæ fidei conjugalis, scandalorum &c. quæ mala si ex coactis nuptiis prævideantur, uti & si tanta durities & pertinacia sit partis, ut non curare credatur censuras &c. præstat non compellere ad contrahendum Matrimonium ad majora mala evitanda. Oppones. Matrimonia debent esse libera, *c. 17. cit.* & metu gravi extorta non valent: ergo sponsi

illa

illa contrahere detrectantes non poſſunt compelli. 39. Debent quidem eſſe libera phyſicè, & à metu injuſtè incuſſo, non verò Juridicè, & a metu juſtè incuſſo. Juridica libertate ſe ſponte privant ſponſi, quando antecedenter per verum & deliberatum conſenſum Sponſalia ineunt, & ſic neceſſitatem ad Matrimonium ſibi imponunt atque obligationem, cui ſi nolint ſatisfacere, juſtè coguntur: niſi hæc coactio credatur fore cauſa majoris mali, quàm ſit omiſſio vel dilatio Matrimonii.

Dico 5. Si ſponſus vel ſponſa renuat contrahere Ma- 42
trimonium debito tempore, & altera parte urgente; aut ſi injuſtè reſiliat, ſcilicet absque juſta cauſa; vel impedimentum nuptiis ponat per ſuam culpam, tenetur, & compellendus eſt à Judice ad expenſas & damna comparti propterea emergentia, cùm v. g. æquè commodas nuptias acquirere ampliùs non poſſit. Sanch. *l.* 1. *d.* 30. *n.* 15. Barboſ. *in c. Gemmam. h. t. n.* 6. 10. *l. un. C. de ſentent. quæ pro eo. & c. fin. de injur.* Ratio, quia fidem datam non ſervans facit alteri injuriam, &, ut ſupponitur, ſimul infert damnum: ſed per injuriam ſeu injuſtè damnum alteri inferens tenetur in conſcientia, & compellendus à Judice eſt, ad reſarciendum damnum, expenſas &c. Si tamen pars innocens peteret nimium, Judicis foret moderari & ſecundùm æquitatem taxare, niſi pars reſiliens etiam immodicæ prætenſioni liberè conſentiret. Exteude aſſertionem, quòd pars innocens, etſi damnum non patiatur, nihilominus ab altera, quæ ſine legitima cauſa ab obligationis vinculo liberari cupit, aut nubere renuit, licitè prætendat aliquid pro eo, quòd cedat jure ſuo in ipſius perſonam jam quæſito: tenetúrque Judex talem condemnare ad æquam ſatisfactionem pecuniariam, ſi petat innocens. Gobat *tr.* 10. *caſ.* 4. & 5. Suffragatur praxis, & ratio: ſi enim pœna conventionalis in injuſtè reſilientem ſtatui poteſt à Partibus, cur non per ſententiam à Judice? Et ſi reſilire volens compelli corporali pœna, imò etiam per cenſuras poteſt ad

ſtatu-

ſtandum promiſſis, cur innocens nequeat pro ſua ſatisfactione, & ceſſione juris ſui pecuniariam pœnam expetere? Certè per hoc, quòd ſponſus vel ſponſa averſetur nuptias ſine juſta cauſa cum perſona, cui promiſit, illam contemnit, eique gravem injuriam pretio æſtimabilem infert: ergo innocens jure petit ſatisfactionem, etiam pecuniariam, moderatam tamen, vel arbitriò Judicis moderandam.

43 Dico 6. Impedimentum publicæ honeſtatis oritur quidem ex Sponſalibus de futuro abſolutè & cum perſona determinata contractis, ſed defacto non niſi ex validis. Pars prior conſtat ex variis *cann. & cc.* nempe *can. 11. 14. 15. & c. cauſ. 27. q. 2. & c. 4. 8. h. t. c. un. eod. in 6. c. 4. de deſponſ. Impub.* Si Sponſalia conditionatè contraherentur, non ante purificatam conditionem, bene tamen poſtea inducerent præfatum impedimentum. *c. un. cit.* Poſterior ex Trid. *ſ. 24. c. 3. de Ref. Matrim.* Quamvis enim de Jure Antiquo *c. 4. & un. citt.* etiam ex Sponſalibus invalidis, modò non fuerint invalida propter defectum conſenſus, inductum ſit hoc impedimentum, Trident. tamen *lo. cit.* voluit, ut ex Sponſalibus de futuro, quocunque modo invalidis, non inducatur, conformiter regulæ; *non præſtat impedimentum, quod de Jure non ſortitur effectum.* Quid autem ſentiendum de Sponſalibus de præſenti invalidè contractis, dicemus infrà *n.* 133.

44 Quæres, an decretum Tridentini ſe extendat etiam ad Sponſalia, quæ publicè habentur pro validis, reipſa tamen invalida ſunt propter ſimulatum v. g. aut fictum conſenſum, vel ex alio defectu, qui in foro externo probari non poteſt? Sive, an ex Sponſalibus apparenter tantùm validis oriatur impedimentum publicæ honeſtatis poſt Tridentinum? R. cum Gob. *tr. 9. de Sponſal. n. 368.* Palao, Illſung &c. Sanch. & Gonz. *in c. 4. cit. n. 7.* & alios, non oritur: quia Tridentinum *lo. cit.* non oriri decernit ex Sponſalibus *quacunque ratione* inva-

invalidis. Si loquamur de Sponſalibus ratione ficti conſensûs, vel propter defectum conſensûs invalidis, idem etiam de Jure Antiquo obtinet. *c. un. cit.* Oppones. Non minùs ſcandaloſum eſt, & ſic publicæ honeſtati contrarium, ſiquis cum consanguinea putatitiæ Sponſæ contraheret Matrimonium, ac ſi ſponſalia fuiſſent vera & valida: ergo ex Sponſalibus apparenter & publicè validis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, licèt revera ſint invalida. R. in ordine ad contrahendum hoc impedimentum non attenditur, quod homines per errorem judicant, ſed veritas, & realis animorum conjunctio, quæ tantùm habetur per vera Sponſalia, ſicut in affinitate contrahenda, cui aliquo modo ſimilis eſt juſtitia publicæ honeſtatis, utpote *quaſi* affinitas, non attenditur, quòd homines erroneè putent, copulam carnalem inter duos interceſſiſſe, ſed ſolùm vera copula affinitatem inducit. Item ſicut ex Sponſalibus occultis, revera tamen validis, oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ita viciſſim ex Sponſalibus publicis, revera tamen invalidis, non orietur; cùm, ſicut nihil facit publicitatis defectus, ita nec facere debeat ipſa publicitas. Id verum eſt, quòd in foro externo, pro quo non conſtat de invaliditate Sponſalium, præſumatur contractum eſſe impedimentum publicæ honeſtatis.

Dico 7. Dictum impedimentum defacto ſolùm afficit 45
perſonas in primo gradu conſanguinitatis conjunctas ſponſo vel ſponſæ; adeóque Sponſus tantùm cum matre, ſorore, & filia ſuæ Sponſæ invalidè contraheret Matrimonium; Sponſa verò cum patre, fratre, & filio Sponſi. Trid. *lo. cit.* ubi correxit quoad Sponſalia *de futuro* (non *de præſenti*) Jus Antiquum *d. c. un.* & *c. ult. de Conſang.* & *Affinit.* ubi impedimentum hoc ex communi DD. extenditur ad quartum gradum inclusivè.

Oppones. Si invalidè contrahitur Matrimonium cum 46
ſorore Sponſæ, tunc Titius, qui cum duabus ſororibus

ſucceſſivè contraxit Sponſalia, neutram poterit ducere, quia cum utraque contraxit hoc impedimentũ: ſed hoc eſt contra praxim: ergo. Confirmatur: qui cum Caia contraxit Sponſalia, & poſtea carnaliter peccat cum Bertha ſorore Caiæ, neutram poteſt ducere: non Caiam, quia ipſi obſtat impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita cum Bertha ſorore: non Bertham, quia ipſi obſtat juſtitia publicæ honeſtatis orta ex Sponſalibus cum Caia: ergo idem dicendum de Titio, qui cum duabus ſororibus contraxit Sponſalia. R. N. ſequelam: Titius enim poteſt & debet ducere primam; quia Sponſalia cum ſecunda fuerunt invalida, & ſic juſtitiam publicæ honeſtatis non induxerunt. Si verò cum ſecunda contraxiſſet Sponſalia de præſenti, iſta forent pariter nulla, & licèt Sponſalia de præſenti, etiam invalida, alias inducant impedimentum publicæ honeſtatis, tamen in hoc caſu non inducunt reſpectu ſororis, cum qua priùs contraxit de futuro Sponſalia; quia non operantur retro, ut obſint prioribus Sponſalibus, ſed tantùm impediunt vel dirimunt ſubſequentia, ut clarè indicat textus *d. c. un.* ibi: *ad impediendum vel dirimendum ſequentia Sponſalia, vel Matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum.* Ad Confirmationem N. *Conſ. & parit.* Nam affinitas agit retro, & irritat Sponſalia præcedentia quoque; quia de ſola juſtitia publicæ honeſtatis id negatur in Jure.

47 Dico 8. Impedimentum publicæ honeſtatis eſt perpetuum, nec Sponſalibûs etiam per mutuum conſenſum diſſolutîs ceſſat. Communior cum declaratione Cardinalium de anno 1658. approbata ab Alexandro VII. qui teſte Gobat *n.* 362. & Fagn. *in c. 4. b.t. n.* 29. juſſit hanc doctrinam non ampliùs revocari in dubium. Fundatur in *c. 11. 14. cauſ.* 27. *q.* 2. ubi habetur, quòd per mortem Sponſæ non extinguatur hoc impedimentum: & in *c. 5. de deſponſ. impub.* ubi refertur exemplum Sponſalium, per diſſenſum puellæ pubertatem adeptæ

adeptæ diſſolutorum, & tamen manere dicitur dictum impedimentum. Nec obſtat, quòd ibi fortaſſis tantùm una pars reſilierit, & ſic non mutuo diſſenſu ſublata ſint Sponſalia; nam ratio, quam aſſignat ibidem Pontifex, valet pro quibuscunque Sponſalibus, etiam mutuo conſenſu diſſolutis, nempe quia *inhoneſtum videtur, ut matrem habeat, cujus filia fuit ſibi deſponſata.* Diſſentiunt nihilominus pro caſu, quo Sponſalia diſſolvuntur mutuo conſenſu, Barb. Pont. Palao, Gonz. *lo. cit.* Engel *hìc §. 6. n. 3.* qui dictam declarationem ab Alex. VII. approbatam ignorâſſe cenſendi ſunt. Hi cum Farinac. opponunt 1. declarationem aliquam Cardd. 2. Sic arguunt; impedimentum publicæ honeſtatis fundatur in mutuo conſenſu: ergo eo ſublato tollitur quoque *ipſum*, cùm omnis res eo modo diſſolvatur, quo colligata eſt. *c. 1. & l. 35. ff. de R. J.* 3. Sponſalia ſunt principale, impedimentum publicæ honeſtatis eſt acceſſorium: ſed ruente principali ruit & acceſſorium. *R.* ad 1. Illa declaratio eſt antiquior, & non ita approbata â Pontifice, ſicut illa quam nos adduximus; deinde, ut notat Pignat. in ea tantùm dicitur, quòd Sponſalia per mutuum diſſenſum fiant invalida, non plùs. Ad 2. *diſt. Ant.* fundatur *in fieri*, ſeu per mutuum conſenſum primò oritur. *C. Ant. in conſervari*, ita ut ultra conſenſum non ampliùs duret. *N. Ant. & Conſ.* & retorq. argum. *in* Sponſalibus alio modo diſſolutis, præſertim per mortem unius, ubi etiam mutuus conſenſus ceſſat. Vel aliter *diſt. Ant.* fundatur in mutuo conſenſu per accidens, quia Eccleſia annexuit hoc impedimentum. *C. Ant.* per ſe. *N. Ant. & Conſ.* Sicut igitur principaliter ex ſure & diſpoſitione Eccleſiæ, & non ex conſensûs mutui natura oritur hoc impedimentum, ita manebit etiam ceſſante conſenſu mutuo, à quo nec introductum eſt, nec dependet ſaltem *in conſervari.* Ad 3. retorq. argum. in Sponſalibus alio modo quàm mutuo conſenſu diſſolutis. Dein impedimentum publicæ honeſtatis

non est propriè accessorium, sed potiùs effectus Sponsalium, non ex natura rei resultans, sed ex lege Ecclesiastica per accidens annexus Sponsalibus.

§. IV.

Quibus modis dissolvantur Sponsalia.

48 Sciendum 1. Modos, quibus Sponsalia semel validè contracta rursus solvuntur, esse in duplici classe. Præterquam enim quòd per mortem unius, sicut ipsum Matrimonium, tollantur, sæpe dissolvuntur vel ipso Jure ex utraque parte: vel per rescissionem, recessum, & liberam voluntatem unius, cui datur justa causa resiliendi, quamvis posset non resilire. *Ipso Jure* & ex utraque parte dissolvuntur 1. mutuo consensu, vel potiùs dissensu. 2. Dissensu unius pubertatem adepti, si impubes contraxit Sponsalia. 3. Per impedimentum superveniens, propter quod vel validè, vel licitè, non potest ampliùs contrahi Matrimonium: invalidum reddit superveniens affinitas, professio Religiosa, susceptio Ordinis Sacri, actuale Matrimonium cum alia persona &c. illicitum verò efficit superveniens votum Religionis ingrediendæ, & juxta multos Sponsalia posteriora, quibus accessit copula carnalis, vel juramentum. 4. Per lapsum temporis, siquod præfixum finiendæ obligationi.

49 Sc. 2. Per *rescissionem* seu recessum ex libera voluntate unius, cui nempe ex altera parte tacitè vel expressè, justè vel injustè præbetur sufficiens causa resiliendi, Sponsalia dissolvi posse 1. Propter compartis dolum in contractu sponsalitio commissum. 2. Propter diuturnam illius post contracta Sponsalia absentiam, vel dilationem diuturnam executionis. 3. Propter ingressum in Novitiatum Religiosi Ordinis. 4. Propter votum simplex castitatis, aut cœlibatûs, aut SS. Ordinum post

Sponsa-

ponſalia editum. 5. Propter Sponſalia licèt invalidè ontracta cum alia perſona. 6. Propter fornicationem bſequentem; idem eſt de fornicatione ſpirituali, ſive e lapſu in hæreſim. 7. Propter aliam notabilem muta-onem ſupervenientem, vel primùm ex poſtfacto dete-am, ſi nimirum tanta ſit, ut, ſi ab initio tale quid ad-iiſſet, vel cognitum fuiſſet, Sponſalia non fuiſſent con-acta. De his verò cauſis, propter quas uni, ſcilicet in-ocenti, datur facultas reſiliendi, ſi velit, notandum t, quòd, ſi cognita tali cauſa & jure reſiliendi nihilomi-us ratificet priora Sponſalia vel verbis, vel factô, præ-rtim copula carnali, reſilire ipſi non ampliùs liceat, eò uòd cenſeatur juri ſuo renuntiâſſe. *arg. l. 13. §. fin. ff. l L. Juliam de Adult.*

Sc. 3. Modos utriusque claſſis diſſolvendi Sponſalia; numeratos deinceps per varias aſſertiones magis explitum iri, exceptis quibusdam, quos differemus ad alios itulos, nempe quando diſſolvuntur Sponſalia per diſſenſũ ibertatem adepti, per actuale Matrimonium, aut fortè et-per Sponſalia poſteriora, quibus acceſſit copula vel ju-mentum, per Religionis aut caſtitatis &c. votum; de his nim commodiùs agemus in loco magis proprio. Sci-:et ad Titulos *de Deſponſatione Impuberum: de Sponſa uorum: Qui Clerici vel voventes &c.* Rectè tamen oc loco examinabimus etiam quæſtionem, an ad diſſo-itionem aut receſſum à Sponſalibus requiratur auctori-is Judicis Eccleſiaſtici, vel an propria auctoritate fieri oſſit.

Dico 1. Sponſalia, licèt juramentô, vel votô, vel eti-51 n carnali copula eſſent firmata, mutuo conſenſu Spon-rum diſſolvuntur. Communis ex *c. 1. de R. J.* ibi: *nnis res, per quascunque cauſas naſcitur, per easdem iſſolvitur:* ſed omnis contractus, qualis etiam ſunt ponſalia: *c. 2. h. t.* naſcitur ex conſenſu mutuo: ergo iam conſenſu, vel potiùs diſſenſu mutuo diſſolvitur; xcepto tamen Matrimonio. Non obſtat *juramentum*,

quia in favorem contrahentium ad firmandum contractum adjicitur, cui renuntiare poſſunt, & ſic principali ſublato ceſſat quoque juramentum velut acceſſorium. Quando in *c. 2. cit.* dicuntur Sponſi *modis omnibus inducendi, ut præſtitam fidem* (juratam) *ſervent*, ſermo eſt de caſu, quo non uterque vult Sponſalia ſolvere, ſed unus tantùm. Nec obſtat *Votum*, quo fortè Sponſi ſe obligârunt ad Matrimonium, fortaſſis quia putabant ſe in cœlibatu non fore continentes; nam tale votum redundans in gratiam hominis non aliter acceptat Deus, niſi in quantum acceptat homo, in cujus gratiam fit, nec diutiùs. Nec obſtat ſuperveniens Copula carnalis; quia hæc per ſe nullam vim aut inſolubilitatem addit Sponſalibus. Oppones. Sponſalia per copulam ſubſecutam tranſeunt in Matrimonium, quia præſumitur facta animo maritali ad excludendum fornicationis peccatum. *per c. 15. & 30. h. t.* ergo facit indiſſolubilia. R. quamvis id de Jure Antiquo verum fuerit, defacto tamen à Tridentino annullata ſunt Matrimonia ſine præſentia Parochi & teſtium contracta, adeóque ſuſtulit Matrimonia præſumpta ex copula. Cœterùm ad hanc Sponſalium diſſolutionem requiritur conſenſus ex utraque parte liber à fraude, & metu gravi injuſtè incuſſo; cùm remiſſio obligationis ſit ſpecies donationis. Unde in conſcientia tutus non eſt, qui conſenſum Sponſæ extorquet per minas, v. g. dicendo: *Si te ducere debebo, & tu me non dimittis, inſtar mancipii te habebo; dirè te tractabo &c.*

52 Dico 2. Quamvis Sponſalia ſolvantur per ſuperveniens impedimentum dirimens Matrimonii, v. g. impotentiam, affinitatem ortam ex copula illicita cum conſanguinea Sponſæ &c. cùm ad impoſſibile nemo obligetur. *l. impoſſibilium ff. de R. J.* Si tamen impedimentum oriatur ex culpa unius, atque tale ſit, in quo poſſit & ſoleat diſpenſari, is probabiliùs tenetur regulariter petere diſpenſationem, ſi pars innocens velit. Ratio: quia qui culpabi-

abiliter ponit impedimentum Matrimonii, injuſtè & gra-
iter violat jus alterius : ergo ex juſtitia tenetur hoc jus
:parare removendo impedimentum, ſi poteſt : atqui
oteſt petendo diſpenſationem, ſi impedimentum ſit diſ-
enſabile. Addidi tamen, *regulariter*, niſi nimirum
ne expenſis extraordinariis, vel graviori ſuo damno
iſpenſationem obtinere non poſſet. Confirmatur : ſi
on tenetur talis petere diſpenſationem, facile ipſi eſt
: liberare ab obligatione ſponſalitia, ſcilicet ponendo
npedimentum Matrimonii, v. g. fornicando cum con-
ınguinea Sponſæ : ſed hoc foret indecens & iniquum,
ùm ex ſua malitia reportaret commodum. Oppones
. Ad impoſſibile nemo tenetur: ſed diſpenſatio, utpo-
: pendens à voluntate Principis, reputatur inter quaſi
npoſſibilia *arg. l.* 137. §. 6. *ff. de V. O.* 2. Diſpenſa-
ones ſunt vulnera legum, & per eas quaſi læduntur Ju-
ı : ergo ad reparationem juris alicujus privati nemo
bligari poteſt ad petendam diſpenſationem. R. ad 1.
iſpenſatio dari non ſolita, vel valde difficulter obtini-
ilis, reputatur inter quaſi impoſſibilia ; non verò faci-
: & ſine magnis incommodis, vel ſaltem cum mino-
i, quàm pateretur pars læſa, obtinibilis. Ad 2. Quam-
is per ſe major debeat eſſe favor & cuſtodia legum,
uàm juris privatorum ; nihilominus tamen quia ipſa Ju-
a diſpenſationes permittunt ex juſtis cauſis, nihil fit con-
:a Jura, ſi petatur diſpenſatio, cujus petitionem urget
ıs alicujus privati læſum, ſi iſte privatus urgeat petitio-
em. De reliquo, licèt ſe offerat ad petendam diſpen-
ıtionem, qui impedimentum poſuit, innocens tamen
ıon tenetur illam admittere.

Dico 3. Quamvis Profeſſio Religioſa, uti & ſuſce- 53
ptio actualis Sacrorum Ordinum, diſſolvant quidem
ponſalia, quia utraque eſt impedimentum dirimens Ma-
rimonii contrahendi. per *c. 7. de converſ. conjug. c.* 1.
Qui Clerici. & Extrav. Antiquæ Joan. XXII. de Voto.
.icitè tamen non ſuſcipitur Ordo ſacer poſt Sponſalia

jam contracta, ignorante vel invitâ ſponsâ (quamvis licitè emittatur Profeſſio Religioſa) ut habet verior cum Sanch. *l.* 1. *d.* 47. *n.* 3. contra Pontium, Gobat, Laym. Ratio eſt, quia nec Naturali aut Divino, nec Humano Jure conceditur ſponſo poſt datam alteri fidem ſponſalitiam ſuſcipere Ordines Sacros, & ſic privare ſponſam jure ſuo : conceditur tamen in *c.* 7. & *Extrav. citt.* Profeſſio Religioſa; ibi enim habetur, quòd Sponſalibus, etiam de præſenti, inſit hæc tacita conditio, *niſi Religionem intravero* : talis autem conditio ijs ineſſe quoad ſuſceptionem Ordinis non probatur. Et hinc Ordinarii diligenter inquirunt, an ordinandus non ſit ligatus Sponſalibus. Oppones. Votis ineſt hæc conditio, *niſi quid perfectius, vel ſtatum perfectiorem elegero*: ergo etiam Sponſalibus : atqui ſtatus ſacerdotalis eſt perfectior Matrimonio : ergo Sponſalibus ineſt hæc conditio, *niſi ſtatum ſacerdotalem, vel Ordines Sacros ſuſcepero* : ergo licitè ſuſcipitur Ordo Sacer, & ſacerdotalis. R. *N. conſ. & parit.* nam vota fiunt ſoli Deo, de quo rectè præſumitur, quòd ipſi præplaceat, quod perfectius eſt : Sponſalia autem ſunt promiſſio homini facta, qui attendit potiùs ſuam utilitatem, quàm id, quod in ſe melius & perfectius eſt. Certè hoc modo poſſent negligi omnes promiſſiones hominibus factæ, etiam juratæ, ſi eas liceret infringere propter aliquid melius : ſic poſſes Eccleſiæ donare equum, quem homini jam promiſeras : ſic poſt Sponſalia licitè eligeres ſtatum cœlibatûs in ſæculo & ſine ſuſceptione Ordinis Sacri ; quia cœlibatus etiam eſt perfectior ſtatus quàm Matrimonialis &c. Quæ ſunt falſiſſima. Cauſa, cur liceat Religionem ingredi cum præjudicio Sponſæ, non eſt præcisè, quòd Religio ſit ſtatus perfectior, ſed quia intuitu ſtatûs tam perfecti id à Jure conceſſum eſt. Quid ſentiendum de voto Religionis, Ordinis Sacri, caſtitatis &c. Sponſalia vel ſubſequente vel antecedente, patebit ex dicendis *tit.* 6. *Qui Clerici vel voventes.*

Dico

Dico 4. Per lapſum temporis, quod Sponſalibus præ- 54
ixum eſt à contrahentibus ad obligationem finiendam,
olvuntur quidem Sponſalia ex utraque parte, ſi abſque
illius culpa, vel ex culpa utriusque intra illud tempus
on ſecutum eſt Matrimonium: ex parte verò unius
antùm, ſcilicet innocentis, ſi ex culpa (vel etiam mora
nculpabili) unius tantùm non eſt ſecutum. Pars prior
undatur in *c. 85. de R. J. in 6.* ibi: *contractus ex con-
entione legem accipere dignoſcuntur.* atque ſic ſentit
um Laym. *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 16.* Palao, Illſung,
anch. *l. 1. d. 53. n. 6. 8.* cenſetur enim utraque pars
utuo conſenſu recedere à Sponſalibus, quorum termi-
um, finiendæ obligationi adjectum, præterlabi ſtudio-
è permiſit, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter, eò quòd
alis terminus ſit adjectus per modum conditionis, qua
on impleta ceſſat obligatio. Poſterior pars, quam te-
et idem Sanch. *lo. cit.* & P. Wieſtner *n. 116. 117.* col-
gitur ex *c. 22. h. t.* vi cujus tantùm ille liberatur ab ob-
gatione, penes quem *non ſtetit, quin ad ſtatutum ter-
inum Matrimonium conſummaverit*, id eſt, contra-
erit. Nec decet, ut, qui ſuâ culpâ Matrimonium ſuo
mpore neglexit contrahere, ferat commodum & de-
bligetur. Dixi, *quod præfixum eſt ad obligationem
niendam*; ſi enim certum tempus fuiſſet adjectum, &
ræfixum obligationi implendæ, ſeu non differendæ, ac
er modum termini, à quo incipiat obligatio in actu ſe-
undo, ita ut ante adventum talis temporis executio
ponſalium efficaciter negari non poſſit. v. g. Si ſponſi
bi mutuò promitterent Matrimonium ſequenti Paſcha-
, vel intra hunc annum contrahendum; elapſo hoc
rmino non finiretur obligatio. Ut habet communis ex
6. de dolo, & ex hac ratione, quòd taliter contrahen-
s ſibi duplicem imponant obligationem, unam abſo-
tè contrahendi Matrimonium, alteram non differendi
tra certum tempus; prima ſemper manet, licèt altera
pſu temporis deficiat; & obligatio, quæ debuiſſet im-

pleri intra certum tempus, impleta tamen non est, non cessat: sic si non solvisti annuos census hoc anno, non liberaris ab obligatione solvendi eosdem postea.

55 Oppones 1. cum Sanch. Pontio, Sporer &c. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. c. 41. de R. J. in 6.* Simile quid habetur *c. 66. eod. & c. 22. cit.* ergo si utraque pars non fuit in culpa, quo minùs secutum sit Matrimonium termino finiendæ suæ obligationi in Sponsalibus præfixo, neutri parti aliquid imputari debet, & ex neutra dissolvuntur sponsalia, sed terminus habetur pro non adjecto. 2. Cum Bosco & Reiffenstuel *n. 221. h.t.* contra secundam partem assertionis. Contractus ex conventione legem accipiunt: ergo solvuntur Sponsalia ex utraque parte, quibus adjectum est certum tempus, quo exspirent, licèt culpâ unius tantùm non sit secutum Matrimonium: sic, si culpabiliter hodie non recites Breviarium, non teneris ampliùs resarcire obligationem præteritæ diei bis illud recitandô; quia hæc obligatio est annexa diei, & eo exspirante exspirat. R. ad 1. *N. Conf. vel dist. conf.* Neutri parti aliquid imputari debet in culpam, vel pœnam propriè dictam. *C. Conf.* Imputari non debet in damnum, vel in dissolutionem Sponsalium ex conventione conditionatâ sub certi temporis lapsu decretam. *N. Conf.* Illa Jura habent locum in priori, non in posteriori sensu. Ad 2. Contractus quidem legem accipiunt ex conventione, at non expressâ tantùm, sed etiam tacitâ, quæ tum ex natura rei tum ex dispositione Juris contractui inest: æquitas autem naturalis, & leges positivæ, volunt, ut contrahens non ferat commodum ex sua culpa, aut mora, atque ut compenset, quod alteri per suam culpam aut moram abstulit, adeóque ut Matrimonium debito tempore non contractum adhuc contrahat, si velit altera pars. Obligatio de recitando Breviario non est ad rem, quia non oritur

ex

x conventione, ſed ex lege, & quidem non reſpiciente
tilitatem alicujus compartis.

Dico 5. Deceptio & dolus accidẽtalis, ſi fuit cauſa con- 56
ractûs, præbet alteri parti juſtam rationem reſiliendi à
ponſalibus. Ita ſentire debent, qui nobiſcum *ad tit. 14. de Dolo & Contum. in lib. II.* docent, quòd dolus acci-
lentalis antecedens, ſeu dans cauſam contractui bonæ
dei, eum non irritet *ipſo Jure*, ſed faciat tantùm reſcin-
ibilem. Dixi 1. *Accidentalis*, nam ſi dolus vel de-
eptio eſſet ſubſtantialis & circa perſonam ipſam, tolleret
onſenſum & utique irritaret contractum. 2. *Si fuit cauſa contractûs*; ita ut, ſi ſciviſſet contrahens, rem non ita
habere, uti dixit altera pars, non contraxiſſet Spon-
lia. v. g. Si perſuaſus à ſponſa, ſe virginem, divitem,
obilem &c. mentiente, contraxiſti ſponſalia. Sed
nc

Quæres, an volens contrahere Sponſalia teneatur 57
anifeſtare ſuum defectum, propter quem fortè, vel
robabiliter, non contraheret ſecum altera pars, ſi eum
iret? R. ſi defectus eſt occultus, neque notabile dam-
um allaturus aut moleſtiam alteri parti, non tenetur ma-
ifeſtare, præſertim ſi ſine probro ſuo manifeſtare non
oteſt, modò non poſitivè affirmet vel neget qualita-
m, quæ inducere credatur alteram partem ad ſponſa-
a, ſi adſit, vel abſterrere, ſi abſit. Sic Sponſa non te-
etur prodere fornicationem ſuam cum alio habitam ſine
prægnatione, ignobilitatem, paupertatem, leves de-
ctus corporis, vel animi &c. Partim quia ſic fert uſus,
tacita conventione hominum fundatus, nec infertur
teri parti injuria, cùm eidem ſimile jus competat, ſuos
efectus non manifeſtandi, vel, ſi infamia metuatur, eti-
n celandi, ſine mendacio tamen: partim quia pars de-
epta ſibi imputare debet, quòd non fuerit accuratior.
contra tenetur manifeſtare defectum, qui repugnat ſub-
antiæ Matrimonii, vel qui noxius foret alteri, vel no-
bilem difficultatem afferret, uti eſt lepra, paralyſis,

mor-

morbus gallicus, mores perditi ſine animo corrigendi, infamia honeſtam familiam deturpatura, ſterilitas, imprægnatio facta ab alio. &c. Ratio, quia hujusmodi defectus deberent etiam poſt contracta jam ſponſalia manifeſtari, eò quòd aliàs ſequerentur infauſta Matrimonia, diſſenſiones, divortia &c. Adde, quòd compars aliunde reſciens hujusmodi defectus poſſet diſſolvere ſponſalia jam contracta, quod ſine grandi disguſtu & incommodis, quæ imputarentur parti decipienti, vix fieret: ergo ad hæc evitanda priùs manifeſtari debent iſti defectus. Vid. Gobat *in Experim. Theol. tr. 10. caſu 9. à n. 367.* Palao, Illſung &c.

58 Dico 6. Si Sponſus inſciâ vel invitâ Sponſâ ſe conferat in alienas terras animô mutandi domicilium; vel ſine animo quidem mutandi domicilium, ſpes tamen non ſit, eum brevi rediturum; ſtatim licet Sponſæ â Sponſalibus, etiam juratis, reſilire, ſive cauſa diſceſsûs fuerit neceſſaria ſive voluntaria. Text. & DD. *in c. 5. h. t.* Ratio, quia talis diſceſſus, vel diuturna abſentia eſt quædam tacita renuntiatio Sponſalium, quam proin ſponſa acceptare poteſt, & Sponſalia ſolvere, ſi velit; neque cenſenda eſt ſe voluiſſe obligare ad tam diu exſpectandum (præſertim ubi periculum incontinentiæ, aut aliæ nuptiæ aliud ipſi ſuadeant) multò minùs ad mutandum domicilium. Adde, quòd Sponſus non videatur dignus, ut exſpectetur diutiùs, qui dignatus non eſt ſponſam de diſceſſu, vel emanſione diuturna præmonere, vel ejus conſenſum requirere. Dixi 1. *Animô mutandi domicilium*, ſeu non redeundi, textus enim *c. cit.* adhibet verba, *terram dimiſit*, quod facere non cenſentur, qui ſtudiorum vel alterius negotii causâ aliò ſe conferunt. *arg. l. 2. C. de incolis.* Dixi 2. *vel ſine animo &c. ſpes tamen non ſit, eum brevi reverſurum*: ſiquidem ſi ſponſus abiiſſet in locum vicinum, vel ſpes foret, brevi reverſurum, exſpectandus eſſet, vel requirendus, ut convento tempore, aut ſine ulteriori

ori dilatione impleat Sponſalia. Si verò de abeuntis el abſentis intentione, an voluerit mutare domicilium ec ne, aut an brevi rediturus ſit vel non, haud ſatis conat, per epiſtolam vel nuntium requirendus eſt, ut reeat & ſtet promiſſis. Quodſi autem ob loci diſtantin vel aliam cauſam id fieri non poſſet, Judex Eccleſiaicus adeundus, qui attentis circumſtantiis arbitretur, an es ſit celeris reditûs, ac ſponſa ad ſponſalia cum alio anſire poſſit, nec ne. P. Wex *in Ariadne p. 5. tr. 2. 2. controv. 7. n. 11.* Porro ſi abſens requiſitus, ut reeat, is tamen nolit, vel etiam præſens requiſitus, ut ponſalia impleat, tergiverſetur & differat, aut implere cuſet absque legitima cauſa, integrum erit Sponſæ ſilire ac alteri nubere, niſi certum tempus eſſet præfim, & illud necdum elapſum: quia frangenti fidem les ſervanda non eſt.

Oppones. In *l. 2. C. h. t. & l. 2. C. de repud.* jube- 59
r Sponſa exſpectare Sponſi abſentis reditum per bienum, ſi is degat intra provinciam, per triennium verò, extra provinciam migravit: imò juxta *l. 17. ff. h. t.* adic diutiùs, ſi abſentia ſit neceſſaria. v. g. ob valetudim: ergo non ſtatim reſilire licet, ſi inſciâ, aut invitâ onsâ diſceſſit ſponſus, vel viciſſim. R. Standum pois eſt Juri Canonico, quod in *c. 5. cit.* ſine præfinitio temporis, & ſine ulla diſtinctione inter cauſas abſene dat facultatem ad alia vota tranſeundi. Deinde Jus vile, quod etiam extra caſum abſentiæ dat Sponſis entiam reſiliendi, in dictis *ll.* eandem abſolutè non adit intra biennium vel triennium, ſed fortè id duntaxat lt, quòd Sponſa, antequam fluxerit biennium vel trinium &c. propter abſentiam Sponſi reſilire cupiens on lucretur arrham, & donata ob nuptias, bene tamen ſt illius temporis lapſum reſiliens. Securiſſimè proditur, quod ſuadent Palaus, Guttierez, & alii, ſi negom committatur Judici Eccleſiaſtico, ſaltem ubi eſt du-

bium

bium de ſufficientia cauſæ reſiliendi, utì etiam, an dilatio executionis in ſponſo præſente ſit nimia nec ne.

60 Dico 7. Per ingreſſum in Novitiatum Religioſi Ordinis non quidem ſolvuntur Sponſalia ex parte ingredientis, remanenti tamen in ſæculo datur juſta cauſa reſiliendi, ſi velit. Ita valde communis hodie cum *Suar. Laym. Palao*, Pellizar. Buſenbaum, Perez, Zœſ. Vallenſ. Wieſtner *ad tit. Quì Clerici vel Vov. n. 31.* contra S. Thom. 4. *diſt. 27. q. 2. a. 3. ad 1.* utì citatur ab Adverſariis, Durand. Armillam, Covarr. P. Schmier *de Sponſal. p. 1. c. 5. n. 41.* qui docent, obligationem Sponſalitiam manere ex utraque parte, tam remanentis in ſæculo, quàm ingredientis: item contra Sylv. Roſignolo, & Sanch. *l. 1. d. 42. n. 5.* qui putant, ex neutra parte obligationem permanere, & ſponſalia ſolvi totaliter. Pars poſterior ſuadetur 1. quia ingrediens Novitiatū videtur tacitè renuntiare Sponſalibus: ergo remanenti dat jus pariter renuntiandi, ſi velit, ac ſe liberandi à fide data. 2. Difficile nimis foret remanenti in ſæculo exſpectare per annum, nempe usque ad Profeſſionem ingredientis cum periculo vel incontinentiæ, vel negligendi aliud connubium opportunum & conveniens. 3. Quia probroſum aliquo modo eſt nubere viro (vel fœminam ducere) aliquando jam Monachum induto & inconſtanti; inhæret enim aliqua nota egredientibus è Monaſterio: ergo non cenſetur ſe voluiſſe obligare ad exſpectandum egreſſum, vel Profeſſionem ingredientis Novitiatum. Pars prior ſic probatur 1. Ingreſſus in Novitiatum non ſolvit Sponſalia ex natura ſua, quia adhuc impleri poſſunt, caſu quo ingreſſus revertitur ad ſæculum: neque ex diſpoſitione Juris; quia nullum exſtat. 2. Pars remanens in ſæculo non tenetur cedere ſuo jure, ſicut innocens non tenetur cedere ſuo jure propter fornicationem compartis, utì dicemus: ergo ingreſſus manet adhuc obligatus, licèt obligatio maneat ſuſpenſa, donec emittat Profeſſionem. 3. Si ingrediens liberaretur ab obli-

obligatione, via aperiretur fraudibus; facile enim foret aſſumptione modica habitûs Religioſi ſibi viam aperire ad alia Sponſalia, ſiquis faſtidiret priora.

Oppones 1. Sponſalia non claudicant, ſed eſſentialiter ſunt mutua, uti §. 1. dictum: ergo vel ex utraque vel neutra parte ſolvuntur. 2. Profeſſio Religioſa tollit Sponſalia tam de futuro quàm de præſenti ex utraque parte: ergo etiam ex utraque parte tolluntur ſponſalia de futuro per ingreſſum in Novitiatum; quia etiam ingreſſus in Novitiatum eſt valde favorabilis, & Sponſalia habent imbibitam hanc conditionem ſemper, *niſi ſtatum perfectiorem elegero*: Vel, *niſi religionem ingrediar. per c. 2. 7. de converſ. conjug.* 3. Et principaliter: contrahentes ſciunt, vel ſcire debent, Sponſalibus ineſſe conditionem, *niſi Religionem intravero*: ergo, ſi pars alterutra ingrediatur Religionem, præſumitur altera conſentire, & velle exſpectare Profeſſionem, vel reditum illius: ergo nec ex parte remanentis in ſæculo tollitur obligatio. 4. Ingrediens Novitiatum utitur jure ſuo & libertate ſibi à jure conceſſa: ergo non poteſt ſuo jure, quod habet adverſûs remanentem in ſæculo quoad Matrimonium, privari ab iſto per receſſum à Sponſalibus. R. Ad 1. *diſt. Ant.* non claudicant initio, dum fiunt Sponſalia. *C. Ant.* in conſervari. *N. Ant.* & retorq. argum. in ſuperveniente notabili mutatione, fornicatione compartis &c. in quibus caſibus juxta Adverſarios quoque innocenti reſilire licet, & ſic claudicare incipiunt ſponſalia. Ad 2. *N. Conſ. & parit.* Profeſſio Religioſa ideo tollit, quia inducit impedimentum dirimens Matrimonii, & obligationem ad perpetuò manendum in Religione: tale impedimentum aut obligationem non inducit ingreſſus in Novitiatum. Illa conditio, *niſi ſtatum perfectiorem elegero*, vel, *niſi Religionem ingrediar*, Sponſalibus imbibita, intelligenda eſt de ingreſſu Religionis per Profeſſionem, per quam aſſumitur *ſtatus* perfectior, cui Jura ita favent ſpecialiter; 64

per ingreſſum enim in Novitiatum necdum aſſumitur *ſtatus*, cùm ſit via duntaxat ad ſtatum, & ſtabilitatem ac firmitatem non habeat. Ad 3. Illa ſcientia dictæ conditionis facit tantùm, ut Sponſi licitè poſſint inire Religionem, atque Novitiatum, non verò ut remanens in Sæculo teneatur exſpectare Profeſſionem vel reditum ingreſſi: in illud per dictam ſcientiam præſumuntur conſenſiſſe contrahentes Sponſalia, non in iſtud, ut probant noſtra fundamenta. Nec privilegium ingredienti conceſſum debet prodeſſe egreſſo in præjudicium tertii, vel ejus, qui remanſit in ſæculo. Ad 4. *C. Ant., N. Conſ.* vel *diſt. Conſ.* non poteſt privari jure ad Matrimonium invitus. *tranſ.* volens, aut voluntariè ponens juſtam cauſam, cur privetur, & altera pars reſiliat. *N. Conſ.* ac *retorq. Argum.* in eo, qui ex cauſa neceſſaria, v. g. valetudinis, militiæ &c. diu abeſt; talis enim habet jus non veniendi ad Sponſam, & ſic differendi executionem Sponſalium: & tamen ſponſa non tenetur exſpectare, ſed poteſt alias nuptias contrahendo ipſum privare jure ſuo: imò non privat jure, quia iſtud ceſſat, ſi notabili tempore, ſive culpabiliter ſive inculpabiliter, differat impletionem Sponſalium, cùm ad hoc ſe nunquam ſe obligaverit Sponſa, vel pro tali caſu ipſi jus nunquam dederit.

62 Dico 8. Fornicatio Sponſi, vel Sponſæ, ſponſalibus ſuperveniens, dat innocenti facultatem reſiliendi. 2. Licèt Sponſa fortè fuerit vi oppreſſa. 3. Item fornicatio Sponſæ, præcedens Sponſalia, poſtmodum detecta. 4. Licèt aliter quoad hoc videatur ſentiendum de fornicatione Sponſi prævia, & poſtmodum detecta. 5. Quod autem dictum eſt de fornicatione carnali tam Sponſi quàm Sponſæ, intelligendum quoque eſt de fornicatione ſpirituali, ſeu lapſu alterutrius in hæreſim Sponſalibus ſuperveniente, vel præcedente quidem, ſed ignorato. Pars 1. quam tenent ferè omnes apud & cum Sanch. *l. 1. d. 55. n. 4.* ſumitur ex *c. 25. de Jure-*

jur.

jur. vi cujus in Sponſalibus etiam juratis ſubintelligitur hæc conditio, *ſi Sponſa contra regulam deſponſationis non venerit :* qui textus licèt loquatur explicitè ſolùm *de ſponſa*, intelligi tamen debet etiam de ſponſo fornicante cum alia, eò quòd eadem ratio, quòd ſcilicet *contra regulam deſponſationis* faciat, atque ſuſpectum ſe reddat de ſervanda fide etiam in Matrimonio, reperiatur in ſponſo. Nec ſponſi debent judicari ad impatia: & *frangenti fidem fides frangatur eidem. Fides* hìc non debet accipi in eo ſenſu, quaſi pars fornicans ageret contra promiſſionem ſuam (nam promiſit quidem Matrimonium, ſed non omiſſionem fornicationis) ſed in ſenſu latiori, quòd fornicans cenſeatur alteram partem contemnere, & quaſi repudiare, séque ſuſpectum faciat de non ſervanda fide in conjugio. Confirm. propter adulterium tam ſponſa innocens, quàm ſponſus, inſtituere divortium poteſt, uti hìc ſupponitur : ergo à fortiori reſilire à Sponſalibus tam ſponſa innocens, quàm ſponſus; *nam turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hoſpes. c. cit.* Pars 2. Quam contra Tabien. & multos defendunt cum Sanch. *n. 7.* plures, colligitur ex *can. 33. cauſ. 27. q. 2.* ubi permittitur ſponſo recedere à ſponſa, violentè rapta : ergo à fortiori, ſi fuerit violentè oppreſſa ; cùm ſponſa etiam per violentam & involuntariam violationem reddatur vilior. Accedit, quòd difficulter conſtare poſſit, utrùm non aliquo modo conſenſerit ſponſa : item an non conceperit prolem ex violenta oppreſſione. Pars 3. ex eadem ferè ratione; quia ſponſa cenſetur notabiliter vilior eſſe propter fornicationem, ſi ea poſtmodum innoteſcat, & habetur pro defectu tali, quem, ſi ſponſus ſciviſſet, non contraxiſſet cum ea. Adde, quòd in Jure paria ſint, aliquid ſupervenire, & ignoranter præcedere. per *c. 4. de Except. & l. 77. ff. de contrab. empt. l. 30. ff. de Teſtam. Tutela.* Pars 4. quam docet communis cum Sanch. *d. 63. n. 9. lib. 1.* Gobat, Coninck &c, contra Na-

var. & Schmier *n.* 110. ex eo, quia ceſſat dicta ratio; nam ſponſus, qui priùs aliam cognovit, non cenſetur in æſtimatione morali tam vilis, quàm ſponſa cum alio fornicans, nec ſponſæ ita probroſum eſt, ſi ducat virum corruptum, ac ſponſo, ſi ducat ſponſam ab alio corruptam: adeóque in uno caſu innoteſcens fornicatio priùs habita cenſetur inducere notabilem mutationem, non in altero. Limitant DD. niſi poſtea deprehendatur, ſponſum ſæpius fuiſſe fornicatum (aut ex una prolem jam haberet) nam ejusmodi frequentia redderet infamem, & de incontinentia ac violanda fide conjugali valde ſuſpectum, atque notabiliter mutatum. Imò, licèt ſponſum ſemel tantùm fornicationem ante ſponſalia commiſiſſe poſtea innotescat, ſponſam in foro conſcientiæ non damnarem, ſi reſiliret, eò quòd notabilis mutatio ex parte ſponſi videatur eſſe detecta, & utique virgo honeſta non æquè intendat nubere viro impudico, qui per unam fornicationem jam ſe facit ſuſpectum de fide Matrimoniali violanda, & aliquo modo vilem, quàm pudico; licèt pro foro externo propter auctoritatem DD. aliter judicari exiſtimem. P. Kugler *p.* 3. *de Sponſal. n.* 15. Pars 5. deſumitur ex *can.* 6. *cauſ.* 28. *q.* 1. *c.* 2. *de divort.* & maximè ex eo, quòd ſuperveniens hæreſis vel apoſtaſia inducat notabilem mutationem in perſona, de qua mutatione plura in aſſertione ſeq.

63 Oppones 1. Major eſt turpitudo ſponſæ fornicantis & vilitas indè reſultans, quàm ſponſi: ergo propter fornicationem ſponſi etiam poſt ſponſalia commiſſam non licet reſilire ſponſæ, quamvis liceat ſponſo. 2. In *can.* 46. *cauſ.* 27. *q.* 2. habetur, quòd ſponſa rapta, quamvis à raptore per vim violata ſit, reſtitui debeat ſponſo: ergo violenta oppreſſio ſponſæ non dat facultatem ſponſo reſiliendi. Adde, quòd uxoris violenta oppreſſio non præbeat viro juſtam cauſam divortij: ergo nec oppreſſio ſponſæ cauſam reſiliendi. 3. In *c.* 25. *de Jurejur.* ſic dicitur: *ſiquis juravit, ſe ductu-*

rum

Digitized by Google

cùm aliquam in uxorem, non poteſt opponere fornicationem præcedentem, ſed ſubſequentem : ergo neque ſponſa repudiari poteſt propter fornicationem ante ſponſalia commiſſam, ac poſtea detectam, ſaltem ſi ſponſalia ſint jurata. 4. Paria ſunt in Jure aliquid ſupervenire, & præcedere ignoranter, item eſſe & apparere, cùm tunc cenſeatur res fieri, quando innoteſcit: ergo etiam ſponſæ licet recedere, ſi fornicatio ſponſi priùs ignorata innoteſcat ex poſtfacto. 5. Sponſus ante ſponſalia fornicatus facit ſe ſuſpectum de violanda fide thori : ergo ſponſa, ſi fornicationem illam reſciat, habet juſtam cauſam reſiliendi. R. ad 1. *N. Conſ.* quia ratio, cur Sponſis liceat reſilire propter fornicationem poſt Sponſalia commiſſam, non tam eſt vilitas indè reſultans, quàm violatio datæ fidei. Ad 2. Ibi eſt ſermo de Sponſa non *de futuro*, ſed *de præſenti*, vel, ſi de illa velis eſſe ſermonem, dico, reddendam eſſe ſponſo, eam poſtulanti. Ad id, quod additur, negatur paritas; plus enim requiritur ad divortium inter conjuges, qui nectuntur vinculo indiſſolubili, quàm ad receſſum à Sponſalibus, quæ ſunt vinculum ex multis cauſis ſolubile. Ad 3. Ille textus intelligendus eſt de fornicatione præcedente à Sponſo jam cognita tempore Sponſalium, uti notat *gl. 1. præcedentem*, quo caſu cenſetur remiſiſſe hanc maculam Sponſæ, ac illius mores approbâſſe. Ad 4. Paria ſunt, quando eſt eadem ratio, ac idem inconveniens, ſive præcedat ſive ſuperveniat cauſa reſiliendi, uti eſt in lepra, morbo gallico &c. At in fornicatione Sponſi & Sponſæ in communi æſtimatione hominum non eſt idem inconveniens. Ad 5. *N. Ant.* Saltem ſi ſemel tantùm & non frequenter fornicatus ſit. Ratio diſſolvendi Sponſalia propter fornicationem præcedentem unius ex Sponſis non eſt violatio datæ fidei, ſicuti eſt, quando fornicatio ſubſequitur Sponſalia, ſed turpitudo ac vilitas indè inhærens perſonæ, quæ major eſſe cenſetur in Sponſa quàm in Sponſo.

64 Quæres, quid Juris, ſi utraque pars, tam Sponſus quam Sponſa, poſt Sponſalia jam inita fornicetur cum aliis? An utrique, an uni, vel neutri reſilire licet? R. in hac re prorſus ancipiti puto, probabiliùs ſoli Sponſo, non verò Sponſæ id licitum eſſe. Ita cum Sanch. *d. 55. cit. n. 9.* Pont. Guttierez, Laym. Pirh. *h. n. 62.* communior, contra Palao, Tanner. Wieſtner, P. Kugler, & P. Schmalzgr. *n. 167.* qui hanc facultatem reſiliendi utrique parti concedunt: & contra Palud. Bonac. Roſignolo, & P. Schmier *n. 116.* qui eam neutri indulgent. Prob. noſtra reſponſio. Duplex causa reſiliendi a Sponsalibus reperitur in fornicatione, ijs ſuperveniente, ſcilicet violatio datæ fidei, & ſpecialis turpitudo in perſonam fornicantem indè redundans: ſed quando utraque pars fornicatur, ceſſat quidem ratio violatæ fidei, cùm utraque pars eandem violaverit, & neutra violationem alteri objicere, ac proin neutra ex hoc capite reſilire poſſit, aut actionem adversùs alteram inſtituere; ubi enim agitur civiliter, *paria delicta mutua compenſatione tolluntur. c. 6. de adult. l. 10. §. 2. l. ult. ff. de compenſat.* Et hinc neutri conjugum divortium licet inſtituere, ſi uterque commiſit adulterium. *c. 6. cit.* At non ceſſat altera ratio, ſcilicet turpitudo perſonæ, quæ major eſt in Sponſa, quàm in Sponſo, & major ignominia redundat in eum, qui ducit corruptam, quàm in illam, quæ nubit corrupto: propter quam diverſitatem paulò antè conceſſimus cum communiori ſententia Sponſo recedere propter fornicationem Sponſæ Sponſalia præcedentem, & poſtea detectam, non verò Sponſæ, ſaltem ſi res ad forum contentioſum deducatur. Ergo Sponſo reſilire licet in dato caſu, non autem Sponſæ, ſaltem pro foro externo. Confirmatur in exemplo: Titius debet Caio 200. florenos, nempe 100. ex mutuo, & 100. pro equo: econtra Caius debet Titio 100. pro labore aut opera impenſa. In hoc caſu licèt Caius facta compenſatione debiti pro abore ad debitum ex mutuo non ampliùs

plùs obligetur Titio, Titius tamen adhuc obligabitur Caio ad 100. ex alio capite, nempe propter equum. Sic licèt Sponſa propter æquale delictum violatæ fidei non obligetur Sponſo, obligatur tamen eidem ex alio capite, nempe vilitatis, quam contraxit ex fornicatione: Sponſus verò, cùm hæc ratio apud ipſum non pugnet, non obligatur Sponſæ, poſtquam delictum violatæ fidei compenſatum eſt.

Oppones 1. Vir & fœmina non judicantur ad impa- 65
ria quoad fornicationem. per *can. 20. cauſ. 32. q. 5. & c. 6. cit.* ergo vel neutri vel utrique licebit reſilire, ſi utraque pars fornicetur. 2. Utraque pars violavit fidem fornicando: ſed propter violationem fidei conceditur Sponſis reſilire *c. 25. de Jurejur.* ergo utrique in noſtro caſu reſilire licet. 3. Caſu quo Sponſus fornicatur priùs, immediatè ceſſat obligatio in Sponſa, & oritur jus reſiliendi: ſed ſemel extincta obligatio non reviviſcit, nec jus reſiliendi obtentum extinguitur, ſi poſtea fornicetur & ipſa, ſed ſolùm oritur & Sponſo jus reſiliendi: ergo etiam Sponſæ, ſicut Sponſo, reſilire licet, conſequenter utrique. 4. Fornicatio eſt tacita & virtualis renuntiatio Sponſalium: ergo ſicut per renuntiationem mutuam formalem ſeu diſſenſum ceſſant Sponſalia utrinque formaliter, ita per utriusque fornicationem ceſſant utrinque ſaltem tacitè & virtualiter, ſeu radicaliter, dato jure reſiliendi. Confirm. In Sponſalibus utrinque involvitur tacita conditio: obligo me ad Matrimonium, ſi compars *contra regulam deſponſationis* per fornicationem non venerit. *c. 25. cit.* ergo, ſi hæc conditio ceſſat utrinque, utrinque ceſſabit & obligatio. Sicut v. g. ſi duo promiſiſſent commutare equos ſub conditione utrinque poſita, ſi equus non fuerit claudus, neuter obligaretur ad permutationem, ſi poſtea utriusque equus claudicaret, quamvis unus claudicaret turpiùs. 5. Si utraque pars fornicetur, utraque præbet cauſam diffidendi de obſervatione fidei conjugalis: ſed hæc

cauſa diffidendi præbet jus reſiliendi: ergo utriquè competit jus reſiliendi. 6. Quando utrinque concurrit æquale jus, activum & paſſivum, inducitur mutua compenſatio etiam in delictis. per *l. 10. & ult. citt.* Sed ſi utraque pars fornicetur, utrinque concurrit ex delicto jus æquale, activum & paſſivum, ſeu jus reſiliendi à Sponſalibus, & obligatio receſſum patiendi: ergo inducitur mutua compenſatio, & neutri permiſſum eſt reſilire. Confirm. Si uterque conjunx commiſit adulterium, neuter poteſt petere divortium: ergo etiam, ſi uterque Sponſus fornicetur, neuter reſilire poteſt.

R. ad 1. *diſt. Ant.* non judicantur ad imparia propter fornicationem, ſi jam ſint conjuges, *tranſ.* ſi adhuc ſint Sponſi. *N. Ant. & Conſ.* Cùm Sponſalia ex unâ parte adhuc poſſint diſſolvi, ex altera verò parte fornicatio Sponſæ jus majus & ſpeciale tribuat Sponſo propter majorem turpitudinem &c. quàm fornicatio Sponſi tribuat Sponſæ, ad imparia ſeu inæqualiter judicari debent. Ad 2. *diſt. min.* propter violationem fidei conceditur Sponſis reſilire, niſi utraque pars violet fidem, & hoc modo ſe privet jure reſiliendi; quod alias habuiſſet. *C. Min.* Si utraque violet fidem, & ſic jure reſiliendi ſe privet. *N. Mi.* Ad 3. *diſt. Ma.* immediatè ceſſat obligatio Sponſæ; & oritur jus reſiliendi *conditionatè*, ſi ipſa ſervet fidem. *C. Ma.* abſolutè. *N. Ma.* Unde, ſi & ipſa poſtmodum fornicetur, ejus obligatio reviviſcit, & jus extinguitur, quo priùs uſa non eſt, antequam & ipſa fornicaretur. Exemplum habes in adulterio utriusque conjugis. Ad 4. *N. Ant.* vel *diſt. Ant.* eſt virtualis renuntiatio conditionata, niſi & altera pars fornicetur. *tranſ. Ant.* abſoluta. *N. Ant.* Ad *Confirm.* hoc ipſo, quòd conditio fidelitatis dicta inſit Sponſalibus, & neutra pars eam impleat, & fidelitatem ſervet, propter non ſervatam fidelitatem neutri reſilire fas eſt; cùm neutra pars poſſit alteri

Digitized by Google

alteri objicere infidelitatem, & ſic ſe liberare, ut patet rurſus in adulterio utriusque conjugis: eò quòd conditio, ex diſpoſitione Juris alicui actui annexa, actum non ſuſpendat, nec faciat, ut reſolvatur, tametſi conditio deficiat, ſed tantùm præbet jus reſiliendi, ſi non & altera pars contra conditionem ipſo Jure imbibitam agat. Unde diſparitas eſt inter commutationem allatam equorum & Sponſalia; nam illi per conventionem partium eſt annexa conditio, *ſi equus non fuerit claudus*; & ideo actus ille, non purificata conditione, nullus eſt, & nullam parit obligationem: ecotra Sponſalibus conditio, *ſi fidem ſervet compars*, eſt annexa ex diſpoſitione Juris, & ideo pura ſunt, & obligationem ſtatim producunt, reſcindibilem tamen, ſi unus violet fidem, & non alter: conſequenter ſi uterque violet, neutri aſſiſtit Jus. Ad 5. utraque pars fornicando præbet quidem cauſam diffidendi de obſervanda fide conjugali, ſi tamen ex utraque parte reperiatur hæc cauſa, neutra habet, quod alteri objiciat, & cur eam repudiet, atque Sponſalia reſcindat ex hoc capite: licèt ex alio capite habeat Sponſus, non verò Sponſa. Ad 6. *N. Min.* vel *diſt.* concurrit ex delicto jus æquale ratione violatæ fidei, & ideo neutra pars agere adverſùs alteram ex hoc capite poteſt ad reſciſſionem. *C. Min.* jus æquale ratione turpitudinis ex fornicatione redundantis in Sponſos. *N. Min.* Neque dicas, cauſam reſiliendi eſſe juſtam cauſam diffidendi de fide conjugali aliquando obſervanda, quæ cauſa datur ex utraque parte, & permanet ſemper, caſu quo utraque pars fornicatur: negatur enim, quòd hæc cauſa diffidendi, licèt detur, objici poſſit alteri parti, & propterea agi ad reſciſſionem Sponſalium: ut patet in exemplo de adulterio utriusque conjugis. Unde ad Confirmationem dico, paritatem quidem eſſe inter utrumque Sponſum fornicantem, & inter utrumque conjugem adulterantem, in eo, quòd neutra pars utrobique poſſit agere ad reſciſſionem vel divortium ratio-

ne violatæ fidei, quia utraque pars violavit, & neutra melioris est conditionis quoad hoc: disparitatem tamen esse in eo, quòd Sponsalia sint rescindibilia, non verò Matrimonium, atque ideo rectè permitti possit Sponso jus resiliendi propter aliam causam, quàm violatæ fidei; quam causam habet Sponsus, non verò Sponsa; quia nempe viro in communi hominum æstimatione, quæ in hac re rectè attenditur, magis probrosum est ducere corruptam, utpote notabiliter viliorem factam.

66 Dubitabis adhuc, an sufficientem causam resiliendi præbeant oscula vel tactus impudici, post Sponsalia exerciti vel admissi à Sponso vel Sponsa cum persona alia? *R.* cum Sanch. *n.* 5. Laym. Pirh. & aliis communiter, iterum distinguendo inter Sponsum & Sponsam; si enim Sponsa faciat vel patiatur talia, sponso fit potestas resiliendi; non viciſſim, si sic agat Sponsus, nisi ejus oscula & tactus cum alia essent ita frequentes, ut meritò timeretur, ne fidem quoque conjugalem suo tempore violaret. Ratio disparitatis est, quia non tantum dedecus est Sponsæ, nec adeò probrosum censetur, si nubat viro, qui semel vel iterum tales tactus vel oscula exercuit aut passus est, sicut Sponso, qui duceret Sponsam, quæ impudicè versata est cum alio. Non tamen desunt Neoterici, qui cum Palao, uti & P. Schmier *n.* 124. putent, æquale jus competere Sponsæ propter tactus impudicos Sponsi.

67 Dico 9. Quælibet notabilis mutatio superveniens uni ex Sponsis, sive physica sit sive moralis, causam sufficientem præbet alteri, si velit, resiliendi à Sponsalibus. Communissima tum ex *c.* 25. sæpius *cit.* tum ex natura contractûs Sponsalitii, qui, cùm ordinetur ad mutuum amorem, atque ad Matrimonium individuam vitæ Societatem inferens, majorem, quàm alii contractus, libertatem ac resiliendi facultatem exigit. Unde semper imbibitam hanc conditionem habere censetur: *nisi notabilis*

bilis mutatio intervenerit: ſi res in eodem ſtatu permanſerint. Dixi autem 1. *notabilis*, ſeu talis, propter quam executio Sponſalium notabiliter difficilior redditur, & infelices timentur exitus, vel tanta, ut, ſi pars altera illam prævidiſſet, Sponſalia non contraxiſſet: quænam autem mutatio in ſpecie talis ſit, pendet ex judicio prudentum, maximè Judicis; imò etiam, ſi dubium ſit, ſtandum eſt aſſertioni juratæ reſilire volentis; quia an aliquis habuerit vel habuiſſet intentionem contrahendi Sponſalia, ſi hanc vel illam circumſtantiam prævidiſſet vel ſciviſſet, ipſe ſolus ſcire poteſt, cùm ſit actus internus. 2. *Superveniens*: idem verò eſt, ſi circumſtantia aut qualitas jam præexſtitiſſet tempore Sponſalium, quæ judiciò prudentum potuiſſet ab ijs abſterrere, poſtmodum verò primùm innotuiſſet, juxta ſuperiùs dicta *n.* 62. 63. præſertim ſi dolosè fuiſſet celata. 3. *Sive phyſica ſit*, ut ſi alteruter Sponſorum incideret in lepram, paralyſim, luem Gallicam, epilepſiam, phreneſim, phtyſim, perpetuam oris graveolentiam, vel in alium morbum difficulter curabilem, aut contagioſum; ſi amitteret oculum, naſum, pedem, aurem, manum &c. (Gobat addit herniam, ſi eâ impediat à laboribus ad ſuſtentationem vitæ neceſſariis) ſi fiat claudus, ſurdus &c. Si ſponſa notabiliter fieret deformior in facie, præſertim ſi formoſitas fuit cauſa contrahendi cum ipſa Sponſalia, propter quam ſubinde divites vel nobiles contrahunt cum pauperibus vel plebejis puellis. Gobat addit, ſi Sponſa reddatur, vel reſciatur eſſe ſterilis. 4. Sive *moralis*, nempe vel in moribus & bonis animi, vel in honore, vel fortunis, ut ſi Sponſus fiat (vel deprehendatur eſſe) moribus aſper, durus & crudus, ebrioſus, prodigus, aleator, vagabundus: ſi alteruter committat crimen grande, ex quo contrahit infamiam juris aut facti, utì eſt veneficium, latrocinium, homicidium, falſum, rapina, furtum &c. ſi vel inter ipſos Sponſos, vel eorum parentes aut conſanguineos oriatur odium, diſſen-

diſſenſiones, aut inimicitiæ graves, & ſpes non ſit reconciliationis, vel ſi hujusmodi incommoda, ex nuptiis oritura, prævideantur: ſi incidat in magnam paupertatem vel debita, magnam bonorum partem amittat, ſi promiſſa vel ſperata dos ſolvi nequeat, ita ut onera Matrimonii difficulter ſuſtententur: ſi utraque pars fiat pauper, ut notant Palao, Pontius, & Tambur. vel ſi paupertas prævideatur futura, aut privatio officii jam habiti. Palao de Sponſal. *d.* 1. *pu.* 28. *n.* 4. & Pont.

62 Oppones 1. Si deformitas ſponſæ ſuperveniens eſt cauſa reſiliendi in ſponſo, etiam viciſſim deformitas ſponſi ſuperveniens erit cauſa reſiliendi in ſponſa: ſed hoc eſt contra communem perſuaſionem. 2. Si ſufficiat deformitas ſponſæ, plerumque habebit cauſam reſiliendi ſponſus: ſed hoc modo labefactantur plerique contractus Sponſalitii. 3. Si ſufficiant præviſæ inimicitiæ inter parentes & conſanguineos, in horum poteſtate erit ſæpiſſime turbare ſponſalia; atqui hoc non expedit: ergo. 4. Si ſufficiant inimicitiæ parentum, etiam ſufficiet eorum contradictio, præſertim ſi addant minas exhæredandi filium aut filiam, ſi hanc vel illam duxerit; ſed ſic rarò firma erunt ſponſalia, & eorum valor pendebit plerumque â parentibus. 5. Superveniens unius ex ſponſis paupertas juſtam reſiliendi cauſam præbet, etiam ſupervenientes uni divitiæ, nobilitas &c. juſtam reſiliendi cauſam dabunt: ſed hoc eſt contra communem: ergo. R. ad 1. *diſt. Ma.* etiam deformitas ſponſi extraordinaria, & tanta, ut horrorem páreret, utì cenſetur eſſe *c.* 25. *de jurejur.* ſi Sponſus amitteret oculos, naſum. *C. Ma.* deformitas, quæ tantùm minuit formoſitatem. *N. Ma.* pulchritudo corporis & formoſitas non ita curatur in viris, ſicut in fœminis: unde ſtibium & fucus, qui in fœminis tolerantur, virum potiùs deturpant, quàm ornant. Ad 2. *diſt.* iterum *Ma.* ſi ſufficiat quæcunque deformitas, & modico tantùm tempore durans, v. g. pallor ex levi infirmitate ortus.

pirtus. *C. Ma.* Si tantùm ſufficiat deformitas ſtabilis, & quæ non ſolius ſponſi, ſed etiam Judicis arbitriò ſit magna. *N. Ma.* Ad 3. adverto cum Sanch. Palao, & aliis communiter, Confeſſariis & Judicibus cautè hic procedendum, nec facilè vel ſtatim credendum, quòd ſint orituræ inimicitiæ ſtabiles, ſcandala &c. quæ ſubinde tantùm ſimulantur, vel conſiſtunt in ſolis minis, vel facilè tolluntur; cùm experientiâ teſte, poſtquam primus impetus deferbuit, & Matrimonium eſt contractum, in nihilum recidant, & animi facilè reconcilientur, præſertim ſi ſponſi poſt contractum conjugium ſint valde concordes. Rarò itaque, niſi ſit notabilis diſparitas ſtatûs inter ſponſos, periculum prætenſum inimicitiarum, diſcordiarum, ſcandalorum cauſa ſufficiens eſt diſſolvendi Sponſalia; cùm ob periculum incertum pars altera certo ſuo jure privari non debeat. *arg. c. 65. de R. J. in 6.* Ad 4. Contradictio parentum (vel aliorum, à quibus unus Sponſorum multùm dependet) per ſe non eſt cauſa ſolvendi Sponſalia, imò parentes peccant impedire volendo absque juſta cauſa Matrimonium poſt contracta etiam ſe inſciis aut invitis Sponſalia; poteſt tamen eſſe per accidens, ſi nempe ſit contradictio conſtans, & jure fiat, præſertim ſi accedant ſeriæ minæ de exhæredando, vel privando notabili parte hæreditatis, vel dote, aut de totaliter derelinquendo, officio auferendo vel negando &c. ut ſi Matrimonium vergeret in opprobrium parentum, dedecus familiæ, eò quòd Sponſalia facta ſint cum parte indigna, notabiliter diſpari &c. qua de cauſa graviter offendi, contriſtari, ac proin juſtè ſe opponere poſſunt parentes &c. quia facilè oriuntur perpetuæ inimicitiæ, ac inter ipſos etiam conjuges continua jurgia & averſiones, poſtquam ſtultus amor & libidinoſus deferbuit, ac mens ſerena inconvenientiam videre incipit, cæcúmque deteſtari factum. Imò ſi ita juſtè contradicant parentes, & hæc contradictio jam exſtitit, vel prævideri facilè potuit tempore contracto-

rum

rum Sponſalium, ipſo Jure fuerunt nulla, utpote inducentia ad rem illicitam; cùm tali caſu Matrimonium eſſet contra pietatem & charitatem parentibus debitam, quin & contra juſtitiam, ſi compars eſſet talis, cui ſine probro & dedecore parentum jungi non poſſet. Item juſta reſiliendi cauſa eſt, ſi parentes efficaciter minitarentur prolem exhæredare usque ad legitimam, ſi huic, etiam digno, & non notabiliter inæquali nubat. Sed notandum, quòd in his caſibus ſit facultas reſiliendi tantùm penes illum, qui minas non patitur, & ſimul non præſcivit aut prævidit tempore Sponſaliorum periculum exhæredationis, negandæ dotis, privationis officii &c. quia ſi prævidit vel præſcivit, non cenſeretur adeſſe mutatio. Pars autem illa, quæ patitur tales minas, non habet juſtam cauſam reſiliendi, ſi compars ijs non obſtantibus velit eam ducere, ac ſtatui conformiter ſuſtentare poſſit ex aliis mediis (quod bene notandum) cùm compars mutationem non ſit paſſa: Jura autem facultatem reſiliendi dederint in favorem partis mutationem non paſſæ, uti communiter docent Auctores. Sanè ſi perſona minas patiens reſilire poſſet, præberetur anſa infligandi parentes, ut minentur exhæredationem usque ad legitimam &c. ſi huic nubat, & ſic diſſolvendi pro libitu Sponſalia in præjudicium compartis. Vid. de hac re præ aliis P. Reiffenſtuel *à n. 270. usque ad 294.* Ad 5. patebit ex quæſito ſeq.

69 Quæres, an à Sponſalibus reſilire liceat illi, qui poſt ea contracta ſit notabiliter ditior, nobilis &c.? Affirmat quidem Hurtad. Amicus, Perez, Ilſung, Wex, & Schmier *n.* 149. Nihil verò determinare audent Tambur. Gobat & Sporer. Ego cum Sanch. *l. 1. d. 59. n. 7.* & communi R. negativè; quia univerſim facultas reſiliendi datur tantùm perſonæ, non mutatæ, non verò illi, quæ mutationem ſubit, ut patet ab inductione in lepra, ſævitie, paupertate &c. ſuperveniente: ergo neque in hoc caſu poteſt repudiari perſona, penes quam mutatio nulla

nulla reperitur, ab illo, qui factus eſt ditior, nobilitate vel dignitate auctus. Confirmatur: ſiquis poſſet propter augmentum divitiarum &c. reſilire, tunc ideo, quia poſſet nunc habere meliores nuptias, & ſic difficile accideret ducere minùs divitem, ignobilem &c. Sed hoc probaret nimium; ſequeretur enim, quòd toties daretur facultas reſiliendi, quoties ſe offerret ſponſa ditior, aut nobilior, diſtincta à priore.

Oppones 1. In dicto caſu pars altera manens pauper vel ignobilis mutatur reſpectivè, & comparativè ad compartem, reſpectu cujus fit vilior, ita ut, ſi hæc inæqualitas fuiſſet prævisa, non fuiſſent contracta ſponſalia. 2. Etiam hæc inæqualitas ſponſorum cauſare poteſt infelices exitus & contemptum compartis pauperis: ergo eſt ſufficiens cauſa ſolvendi ſponſalia. R. ad 1. Iſta mutatio reſpectiva, ſi altera perſona in ſe & ex parte ſui manſit in priſtino ſtatu, non ſufficit ad ipſam jure jam quæſito privandam, licèt, ſi dicta inæqualitas fuiſſet prævisa, non fuiſſent cum ipſa inita Sponſalia: ſicut Sponſa non poteſt propterea repudiare ſponſum, quòd ipſa nunc ſit facta notabiliter formoſior, quàm fuerit tempore Sponſalium: non obſtante, quòd cum hoc Menalca vel Mopſo non contraxiſſet, ſi ſuam formoſitatem prævidiſſet. Ad 2. Licèt per accidens & irrationabiliter pars divitiis aucta poſſit inſoleſcere; tamen propterea non debet altera privari ſuo jure absque omni ſua culpa, aut defectu ex parte ſui detecto. Dein *diſt. Conſ.* eſt ſufficiens cauſa ſolvendi Sponſalia ex parte pauperis, ſi ejusmodi incommoda prævideat vel metuat, petitâ etiam aliqua compenſatione. *C. Conſ.* ex parte illius, cui novæ divitiæ, nobilitas &c. ſupervenere. *N. Conſ.*

Dico 10. Sponſi, ſi velint mutuo conſenſu diſſolvere 70
Sponſalia, vel ab iis recedere ob aliquam ex allatis cauſis, non indigent auctoritate Judicis Eccleſiaſtici, ſaltem per ſe, & ſi de cauſa ſufficienter conſtet. Pirhing *n.* 65. cum

Digitized by Google

communi: quia ex nullo Jure probatur neceſſitas adhibendi dictam auctoritatem: & Sponſalibus tacita ineſt conditio, *niſi juſta diſſolvendi cauſa intervenerit*; ergo ea interveniente non obligant: cur ergo ab ijs recedere non liceat propria auctoritate? Neque obſtat *c. 7. de deſponſ. Impub.* ubi impuberes, qui pubertatem adepti reclamant, jubentur ſeparari *judicio Eccleſiæ*, quia id ſolùm jubetur pro caſu, quo per accidens coram Judice Eccleſiaſtico reclamat ſeu reſilit pubertatem adeptus. Minùs obſtant *can. 1. cauſ. 33. q. 2. c. 12. de deſp. Impub. c. 3. de divort.* cùm loquantur de Sponſalibus de præſenti, ſeu de Matrimonio, à quo nec ob cauſam certam & liquidam invaliditatis ſine auctoritate Eccleſiæ licet recedere; non verò extendenda ſint ad Sponſalia de futuro, etiam publica, cùm ſit diſpar ratio in Matrimonio, utpote quod ex natura ſua eſt indiſſolubile: conſequenter, ſi ſemel in facie Eccleſiæ ſit contractum, rectè prohibetur diſſolvi absque auctoritate Eccleſiæ, cùm facilè poſſet oriri aliàs ſcandalum. Dixi tamen 1. *per ſe*, niſi nempe obſtet ſpeciale ſtatutum, aut conſuetudo, vetans diſſolutionem Sponſalium publicè contractorum, vel poſtea publicatorum, etiam mutuo conſenſu, vel receſſum unius partis ſine interventu cognitionis de cauſa in Judicio Eccleſiaſtico: & ſic in Diœceſi Conſtantienſi notoriorum Sponſalium diſſolutio propria auctoritate eſt caſus reſervatus teſte Gobat *in Theol. Experim. tr. 10. de Sponſal. n. 262.* Eadem prohibetur in Rituali Diœceſis Friſingenſis teſte Reiffenſtuel *n. 208. & 310.* Aut niſi per accidens oriretur ſcandalum ex diſſolutione vel receſſu privato. Dixi 2. *ſi de cauſa ſufficienter conſtet*, ſeu moraliter certum ſit, quòd exiſtat cauſa, eaque ſufficiens ſit. Si vel de exiſtentia vel ſufficientia dubium foret, recurri utique deberet ad Judicem Eccleſiaſticum; quia nemo eſt judex in propria cauſa, & nemo ex cauſa incerta deturbandus eſt à poſſeſſione juris jam quæſiti, ac reſiliens propria auctoritate exponeret ſe peri-

periculo gravis injuriæ adverſùs alterum committendæ. Sed hinc

Quæres, quomodo conſtare debeat de cauſa, ut li- 71
ceat recedere à Sponſalibus? ℟. 1. ſi cauſa præcisè ſit talis, ut præbeat facultatem reſiliendi, uti eſt v. g. fornicatio, morbus &c. ſuperveniens, non verò impedit vel dirimit Matrimonium ex ſe, requiritur plena probatio, quæ fit per duos teſtes omni exceptione majores &c. ſaltem pro foro externo: quia non eſt ratio recedendi à communi Juris diſpoſione, quæ requirit plenam probationem, quando agitur de præjudicio tertii. *c. 4. & 23. de teſtib. l. 9. C. eod.* ℟. 2. Si cauſa reſiliendi ſit impedimentum Matrimonii, ſive dirimens ſive impediens; v. g. ſi allegetur affinitas orta ex copula cum conſanguinea Sponſæ, vel votum caſtitatis Sponſalia antecedens &c. ſufficit ſemiplena probatio, etiam per famam, vel teſtem unum, etſi non omni exceptione majorem, vel licèt mulier ſit, vel popriam alleget turpitudinem. *c. 22. eod. c. 12. h. t. c. 2. de conſ. & affin.* quia agitur de vitando peccato, & animæ periculo. Si tamen Sponſalia eſſent jurata, contra ea non ſufficeret unus teſtis, niſi foret omni exceptione major. Sanch. *l. 2. d. 71. n. 8.* Guttierez, Palao &c. Dices: ad diſſolvendum Matrimonium non ſufficit unus teſtis, omni etiam exceptione major, deponens de impedimento dirimente. *c. 1. eod. c. licèt 47. de teſtib.* quamvis etiam agatur de vitando peccato futuro: ergo nec ad diſſolvenda Sponſalia. ℟. *N. Conſ.* quia, quando impugnatur Matrimonium, impugnatur vinculum, quod de ſe indiſſolubile eſt, & ſimul jus alterius, non modò quæſitum, ſed etiam jam poſſeſſum: quæ non contingunt in caſu, quo agitur ad diſſolvenda Sponſalia, & Matrimonium futurum impedien-

dum.

De

De Matrimonio.

SUMMARIUM

72. *Matrimonium activè & passivè sumitur.*
73. *Consideratur ut Contractus, & ut Sacramentum.*
74. *Ejus causa efficiens, materialis, formalis, finalis.*
75. *Dividitur in Legitimum, Ratum, & Consumatum.*
76. *Quæ quæstiones hìc sint decidendæ.*
77. 78. *Potest à Fidelibus absolutè contrahi in ratione contractûs, & ut Sacramentum non sit.*
79. 80. *Utì & sub conditione servandi castitatem.*
81. *Non tamen à parentibus loco liberorum tacentium.*
82. *Parentum consensus non requiritur ad valorem.*
83. *Qui absque justa causa non est denegandus.*
84. 85. *Rectè contrahitur per Procuratorem.*
86. *Consensus Matrimonialis debet esse verus &c.*
87. *Et simultaneus moraliter.*
88. *Fictè contrahens ad quid teneatur.*
89. 90. *Sufficienter restaurat Matrimonium postea consentiens absque novo consensu compartis.*
91. *Alia Impedimenta Matrimonij impedientia, alia dirimentia.*
92. *Impedientia quæ.*
93. *Dirimentia quæ.*
94. *Alia sunt Juris Naturalis, alia Positivi.*
95. 96. *Solus Papa statuere potest dirimentia, & consuetudo.*
97. *Utì & tollere.*
98. 99. *Hæretici in Germania non ligantur de facto impedimentis ab Ecclesia introductis.*
100. 101. *Validè & licitè contrahitur Matrimonium cum dubio Juris Speculativo positivo de existentia impedimenti.*

102. *Error in contrahente Matrimonium potest esse multiplex.*
103. 104. *Si versetur circa personam, vitiat Matrimonium.*
105. 106. *Non verò per se, si circa qualitatem.*
107. *Ità nec error putantis, subesse impedimentum.*
108. *Quid & quotuplex sit Metus.*
109. *Varijs modis incuti potest.*
110. 111. *Gravis injustè incussus irritat Matrimonium.*
112. *Non tamen, si sit incussus non directè ad illud extorquendum, sed alio fine.*
113. 114. *Non irritat Jure Naturali.*
115. 116. *Quibus casibus nec obstet Metus gravis injustus.*
117. *Raptus quid sit.*
118. *Raptores quibus subjaceant pœnis.*
119. *Raptus quando sit impedimentum Matrimonij.*
120. 121. *An habeat locum, si fœmina rapiat virum.*
122. *An se extendat ad Sponsalia.*
123. *Disparitas cultûs quid sit.*
124. 125. *Dirimit Matrimonium inter fidelem & infidelem, non verò Sponsalia.*
126. *Valet quoque Matrimonium inter duos infideles.*
127. *Quid Juris, si unus eorum convertatur ad fidem?*
128. *Vel unus conjugum Christianorum fiat apostata?*
129. 130. *Valet Matrimonium Catholici cum hæretica.*
131. *Licèt adjiciatur pactum de parte prolium educanda in hæresi.*
132. *Impedimentum publicæ honestatis quid.*
133. 134. *Ortum ex Sponsalibus ad primum, ortum verò ex Matrimonio Rato ad quartum usque gradum se extendit.*
135. *Publica honestas non agit retro.*

Digitized by Google

§. I.

De Naturâ, Varietate, & Cauſis Matrimonij.

72 SCiendum 1. Matrimonium à *Matre* potiùs, quàm à patre dictum, quia pro fine principali habet generationem prolis, in qua matris onus & munus gravius eſt quàm patris, dupliciter accipi. 1. formaliter, activè, & in fieri pro ipſo contractu Matrimoniali. 2. objectivè, paſſivè, & in facto eſſe pro ſtatu permanente, & actuali ſocietate, ac jugo viri & fœminæ, reſultante ex prædicto contractu. In hoc ſenſu appellatur etiam *Conjugium*: item *Conſortium*: in priore autem *Connubium*, vel etiam *Nuptiæ*; quamvis hodie per *Nuptias* non contractus Matrimonialis, ſed potiùs celebritas, quæ illum comitari ſolet, ordinariè intelligatur. Matrimonium paſſivè ſumptum videtur magis propriè vocari Matrimonium, cùm in Decreto Eugenij IV. poſt ſeſſionem ultimam Conc. Florentini edito conſenſus ſeu contractus dicatur eſſe *cauſa efficiens* Matrimonii, neque per revocationem conſenſûs ſeu contractûs diſſolvatur Matrimonium, ſicut diſſolvuntur alii contractus per utriusque partis revocationem, ſed permaneat. Quamvis de activè ſumpto deinceps nobis præcipuus ſermo ſit futurus. In *c. 11. de Præſumpt. & l. 1. ff. de ritu Nupt.* definitur eſſe *conjunctio maris & fœminæ, individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Aliqui addunt verbum *legitima*; alii autem verba, *in uſum conjugii*: alii eandem definitionem improbant, eò quòd eſſentiam Matrimonii explicet per effectum, ſive per *conjunctionem*, ſeu corporum, ſeu animorum, quæ oritur ex Matrimonio: ſed iſti advertere debent, quòd data definitio adaptari debeat Matrimonio paſſivè ſumpto: ſi verò adaptanda eſſet etiam Matrimonio *in fieri*, ſeu contractui Matrimoniali, ly *conjunctio* ſumi deberet cauſaliter & efficienter, ſeu quatenus eſt actus, quo inducitur con-

jun-

junctio maris & fœminæ, non formaliter & effectivè. Id apud omnes certum est, quòd Matrimonium, seu activè seu passivè sumptum, non necessariò & essentialiter requirat actualem concubitum, seu carnalem copulam; alias nec daretur Matrimonium Ratum, nec inter Beatissimam Virginem Mariam & S. Josephum fuisset verum Matrimonium: de quorum tamen neutro dubitare licet. Unde illud: *nuptias non concubitus, sed consensus facit. l. 30. ff. de R. J.* Et S. Ambros. *in can. 5. caus. 27. q. 2.* sic loquitur: *non defloratio Virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Cùm conjungitur puella, conjugium est, non cùm viri admissione cognoscitur.*

Sc. 2. Matrimonium activè acceptum rursus esse du- 73
plex, quatenus præcisè est contractus naturalis & civilis: & quatenus est Sacramentum: *quà contractus* merè naturalis & civilis est conventio seu *contractus legitimus, quo mas & fœmina, nullo Jure impediti, mutuò sibi tradunt jus in corpora ad actus ex se aptos ad generationem prolis, & ad individuam vitæ societatem se obligant.* Hujusmodi Matrimonium fuit in Lege Antiqua ante Christi adventum, & hodie adhuc inter non Christianos, nempe Judæos, Turcas, Gentiles. *Quà Sacramentum* eodem modo definiri potest, modò addantur hæc verba: *ex institutione Christi collativus gratiæ.* Dixi 1. *contractus legitimus*, seu validus secundùm Leges, Naturalem, Divinam, & Humanam. 2. *Mas & fœmina*, scilicet unus & una, ut excludatur polygamia. 3. *Nullo Jure impediti*, h. e. nullo impedimento ætatis, conditionis, metûs &c. laborantes. 4. *Mutuò sibi tradunt*, & acceptant, quod subintelligitur: debet enim esse reiproca traditio & acceptatio, sicut Sponsalia debent esse reciproca promissio & acceptatio. 5. *Jus in corpora &c.* juxta illud 1. *Cor. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non ha-*

bet, ſed mulier : ergo jus ſaltem radicale in corpora conjugum ad uſum generationis confertur: & hæc traditio juris, quæ fit per conſenſum mutuum, eſt de eſſentia Matrimonii, non verò realis traditio corporum, quæ fit per concubitum ſeu copulam carnalem, & *actum ex ſe aptum ad generationem prolis*: adeóque Matrimonium eſt traditio corporum conſenſualis tantùm, conſequenter contractus non realis, ſed conſenſualis. 6. *Et ad individuam vitæ ſocietatem ſe obligant*, quibus verbis inſinuatur indiſſolubilitas Matrimonii, juxta illud *Matt. 19. dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Et 1. *Cor. 7. Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Addidi 7. *ex inſtitutione Chriſti collativus gratiæ*: nam quòd Chriſtus in nova Lege elevaverit Matrimonium ad rationem Sacramenti, certum eſt ex Florentino & Tridentino Concilio, licèt non conſtet, quando id contigerit; probabiliter *Mat. 19.* ubi Chriſtus ſuſtulit libellum repudii, & adjecit: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ſcilicet propter ſignificationem conjunctionis ſui cum Eccleſia, quam per Matrimonium ſignificari voluit. Per *gratiam* intelligitur tum ſanctificans, tum actualia auxilia ad obligationes Matrimonii meliùs implendas, ad amorem conjugum perficiendum, & ad onera faciliùs perferenda. Et quia Matrimonium eſt Sacramentum *vivorum*, requiritur in ſuſcipientibus ſtatus gratiæ, ut licitè & fructuosè ſuſcipiant.

74 Sc. 3. *Cauſam efficientem remotam* Matrimonii eſſe Deum ut auctorem Naturæ, qui in Paradiſo jam illud inſtituit tanquam Medium, per quod homines ab ipſo creati naturali ratione de ſæculo in ſæculum propagarentur, utì exigebat humana natura: in ratione Sacramenti verò eſſe Chriſtum. *Proximam* autem eſſe contrahentes & conſentientes in Matrimonium, qui ejusdem, ut Sacramentum eſt, etiam *Miniſtri* ſunt; non enim Sacerdos vel Parochus proferens verba, *ego vos in*

Ma-

Digitized by Google

Matrimonium conjungo in nomine Patris &c. Minister est hujus Sacramenti, sed ipsi contrahentes, ut patet ex *Decreto Eugenii in Conc. Florent. in §. septimum*, & ex ratione, quia ponunt formam, uti dicemus. *Causa materialis*, &, quatenus Sacramentum est, *materia remota* sunt corpora contrahentium ad generationem prolis idonea: *proxima* verò mutua traditio & acceptatio juris in corpora per consensum. *Causa formalis*, & qua Sacramenti *forma* est legitimus & mutuus consensus in dictam traditionem & acceptationem de præsenti, sed ut per signum sensibile expressus, scilicet vel per verba, *ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum. c. si inter 31. h. t.* vel per nutum, vel per scripturam, vel per porrectionem manûs, aut acceptationem annuli, sicut de Sponsalibus dictum, modò vel ex Juris dispositione, vel ex intentione contrahentium, vel ex circumstantiis significent traditionem mutuam juris in corpora. Atque sic docet verior sententia Canonistarum, licèt non ignorem, Auctores circa materiam & formam essentialem Sacramenti Matrimonii diversimode loqui ac sentire. De forma accidentali, quæ consistit in adjectione conditionis &c. nihil hìc attinet dicere. *Causa finalis* Matrimonii est triplex præcipuè, nempe 1. Procreatio prolis. 2. Conjunctio animorum ad mutua auxilia, obsequia, & officia maritalia præstanda. 3. Remedium concupiscentiæ. Ultimus est finis secundarius, qui etiam absque intentione prolis intenditur licitè, sed solùm tunc, ubi spes prolis non est, uti in senibus & sterilibus: primarii tamen duo fines positivè excludi quoad radicem & obligationem sine peccato non possunt, cùm sint Matrimonio intrinseci.

Sc. 4. Matrimonium primariò dividi in Legitimum, Ratum, & Consummatum. *Legitimum* est, quod præcisè juxta leges naturales & civiles contrahitur absque hoc, quòd ab Ecclesia ratum habeatur, aut Sacramentum sit: qualia sunt apud infideles, seu non-Christianos, 79

aut non-baptizatos: imò pro tali habendum eſt probabiliùs etiam illud, quod à Chriſtiano cum infideli diſpenſativè contrahitur. *Ratum*, quod inter fideles ſeu Chriſtianos juxta leges Eccleſiaſticas legitimè contrahitur, adeóque ratificationem Eccleſiæ & rationem Sacramenti habet, cui tamen necdum acceſſit commixtio ſeu copula carnalis. *Conſummatum*. Quod non ſolo conſenſu contractum, ſed etiam copula carnali, eáque perfecta (quam explicat Sanch. *l.* 2. *d.* 21. *n.* 11. & Gobat *tr.* 9. *n.* 390. *&c.*) ſeu per ſe ſufficiente ad generationem prolis, & faciente, ut conjuges per commixtionem ſeminis efficiantur una caro, completum & perfectum eſt. Sufficit tamen ad conſummationem Matrimonii copula etiam per vim extorta primo bimeſtri, intra quod alias obligatio ad copulam non datur, ut habet communior. Præterea aliud Matrimonium dici poteſt *Canonicum* ſeu *Theologicum*, & *Inſolenne*, in quo ſcilicet concurrunt ea tantùm, quæ à SS. Canonibus ad Matrimonium requiruntur. Aliud *Civile* ſeu *Politicum*, aut *Solenne*, in quo nimirum etiam ea concurrunt, quæ à Jure Civili & tanquam ſolennitates requiruntur, uti pacta dotalia, ſolennis traductio ſponſæ in domum ſponſi, conſenſus patris &c. Illa autem, quæ cum his ſolennitatibus ducitur, in Jure vocatur *uxor* propriè, quæ verò ducta eſt ſine illis, *concubina* appellatur. *can.* 4. & 5. *diſt.* 34. Ad Canonicum referri poteſt Matrimonium *ad Morganaticam*, ſeu, ut alii vocant, Matrimonium *conſcientiæ*, quod ſubinde viri Illuſtres ad evitandam fornicationem contrahunt cum fœmina inferioris conditionis, coram Parocho quidem & teſtibus, plerumque tamen occultè, eo pacto, ut talis uxor & liberi ex ea nati contenti ſint dono nuptiali ſeu Morgengebâ, quam corruptè *Morgenaticam* dicunt, vel alia certa portione ad ſuam ſuſtentationem neceſſariâ, conditionem tamen & dignitatem mariti non participent, atque à cœteris bonis avitis, ac paternis, titulisque & inſignibus abſtineant, ſcilicet

licet in favorem primæ uxoris & liberorum ex ea procreatorum. Hujusmodum Matrimonium, cùm habeat omnia Canonicè & Theologicè requisita, licèt careat civiliter & politicè requisitis, meritò habetur pro licito, & approbatur etiam *l. 2. feud. tit. 29.*

Sc. 5. Complures & nobiles controversias hìc decî- 70
dendas esse. 1. An fideles possint inire Matrimonium præcisè in ratione contractûs, & non simul in ratione Sacramenti. 2. An sub his vel similibus conditionibus: contraho tecum, *si mecum vixeris in perpetua castitate: si debitum conjugale nunquam velis exigere, aut mecum nunquam concumbere.* 3. An parentes nomine liberorum. 4. Et procurator nomine alterius contrahere valeat Matrimonium, etiam ut Sacramentum. 5. Qualis debeat esse consensus. 6. An & quomodo simultaneus. 7. Quid juris, siquis fictè contraheret.

Dico 1. Probabile est, à fidelibus posse validum Ma- 71
trimonium celebrari in ratione contractûs tantùm, ita ut tale Matrimonium non sit Sacramentum, si nimirum intendant excludere rationem Sacramenti, volendo Matrimonium præcisè in ratione contractûs naturalis & civilis. Scotus *in 4. dist. 26. q. un.* §. *sed qualiter.* Hurtad. Bonac. Dian. Pont. Vasq. Dicastil. Perez, Gobat, Tambur. Platelius *de Matrim. n. 400.* & alii apud P. Kugler *de Matrim. q. 5. p. 1.* contra valde communem tum Theologorum tum Canonistarum. Prob. 1. negativè, quia spectato Jure Naturali Matrimonium in ratione contractûs subsistit, ex Jure autem Positivo, Divino vel Ecclesiastico, non satis probatur, rationem Sacramenti superadditam esse contractui Matrimoniali ad valorem, & inseparabiliter: ergo. 2. Positivè ex Concilio Florent. quod *in Decreto Unionis* §. *Quintò* definit, *omnia Sacramenta tribus perfici, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod fa-*

cit Ecclesia. Idem definivit Trid. de intentione. *sess. 7. can. 11. de Sacram. in genere*: ergo sine intentione Ministri faciendi Sacramentum &c. non fit Sacramentum: sed fideles intendentes celebrare Matrimonium præcisè in ratione contractûs, expressè & simpliciter excludendo rationem Sacramenti, non habent intentionem faciendi Sacramentum, nec explicitè, ut patet, nec implicitè; quia ponitur, quòd non ex ignorantia vel errore, sed studiosè vel malitiosè nolint rationem Sacramenti, & nolint facere id, quod faciunt alij fideles, aut Christus annexuit cõtractui Matrimoniali: ergo. Confirmatur: licèt Christus in Baptismo ablutionem naturalem & physicã hominis elevaverit ad rationẽ Sacramenti, manet tamen adhuc ablutio vera in suo esse physico & naturali, si baptizans abluat sine intentione, vel cum expressa intentione non faciendi Sacramentum: ergo etiam contractus Matrimonialis manet verus & validus in suo esse morali, licèt à Christo ipsi superaddita sit ratio Sacramenti, si Ministri, qui sunt contrahentes Matrimonium, per suam intentionem excludant rationem Sacramenti. 3. Licèt Ordini Sacro sit annexum votum castitatis, nihilominus siquis illum suscipiat positivè excludens votum, & simpliciter nolens vovere castitatem, validè suscipit Ordinem Sacrum sine ratione vel emissione voti: ergo etiam, licèt contractui Matrimoniali sit annexa ratio Sacramenti à Christo, nihilominus valebit, si contrahentes præcisè velint rationem contractûs, non verò Sacramenti, & istud non suscipiant, vel ministrent.

78 Oppones 1. Contractus Matrimonij intrinsecè est Sacramentum inter Christianos: ergo non est in potestate contrahentium excludere rationem Sacramenti: alias poterit quis contrahere Matrimonium, nolle tamen obligari ad cohabitandum: vel poterit aliquis baptizare velle, non tamen velle hanc ablutionem esse Sacramentalem. 2. Concilium Florent. & Trident. definiunt, Matrimonium inter fideles contractum esse verum ac pro-

propriè dictum Sacramentum, & quidem ſimpliciter ac ſine reſtrictione aut exceptione: ergo ſemper eſt Sacramentum. 3. Si ratio Sacramenti validè ſeparari poteſt à Matrimonio, id etiam licitè fiet, cùm nulla exſtet lex prohibens: ſaltem aliquando fiet licitè. v. g. dum contrahentes ſunt in ſtatu peccati mortalis, ne conficiant & ſuſcipiant Sacramentum indignè: ſed hoc eſt per ſe abſurdum, & repugnans voluntati Chriſti, Matrimonium ad rationem Sacramenti elevantis. 4. Ex noſtra ſententia ſequeretur, pleraque Matrimonia hæreticorum non eſſe Sacramenta, adeóque nec inſolubilia, quia illi negant, Matrimonium eſſe Sacramentum, & ſic intentionem faciendi Sacramentum non habent: ſed hoc eſt contra communem ſenſum Eccleſiæ.

R. ad 1. *N. Ant.* ſicut ablutio corporis in Baptiſmo non eſt intrinſecè Sacramentum absque intentione debita Miniſtri, ita nec Matrimonium absque intentione debita contrahentium. Qui contrahit absque intentione cohabitandi, ſi tamen intendat ſe obligare ad id, quod eſſentia hujus contractûs exigit, validè contrahit, licèt per ſe illicitè. Qui vult *baptizare*, jam habet ſaltem implicitè intentionem conficiendi Sacramentum. At, qui ſimpliciter nolunt rationem Sacramenti in Matrimonio, nec implicitè volunt Sacramentum: licèt velint contractum, qui ex natura ſua eſt ſeparabilis à ratione Sacramenti. Ad 2. Florentinum & Trident. requirunt etiam intentionem in Miniſtro faciendi Sacramentum: ergo non ſimpliciter & ſemper Matrimonium Concilia habent pro Sacramento, ſed quando accedit intentio debita ad cætera requiſita. Ad 3. *N. ſequelam*; quia Jus Naturale prohibet, ne fideles, poſtquam ſciunt, Matrimonium à Chriſto eſſe elevatum ad rationem Sacramenti, illud aliter contrahere intendant. Adeóque ſemper, & fortè in omni poſſibili caſu erit illicitum ac prohibitum fidelibus rationem Sacramenti ſcienter & poſitivè excludere. Nec excuſat periculum, ne indignè ſuſcipiant Sacramentum, ſi in ſtatu peccati mortalis deprehenſi non excludant

dant rationem Sacramenti ; quia hanc irreverentiam erga Sacramentum evitare possunt per contritionem perfectam. Sed ex hoc, quòd agant illicitè, non sequitur, quòd agant invalidè contrahendo cum exclusione Sacramenti. Ad 4. *N. Ma.* quia hæretici habent, &, nisi prorsus malitiosi sint, præsumendi sunt implicitè habere intentionem Sacramentaliter contrahendi Matrimonium, cùm censendi sint habere generalem intentionem contrahendi eo modo, quo Christus fieri voluit: quæ intentio prævalet erroneæ persuasioni, qua putant, Matrimonium Sacramentum non esse. Sed talem intentionem generalem & prævalentem non habet, qui scienter formaliter & positivè excludit rationem Sacramenti. Cæterùm indissolubilitas Matrimonii non tam habetur ex eo, quòd *Sacramentum* sit, quàm ex eo, quòd significet Christi cum Ecclesia conjunctionem, ut suo loco dicetur: atqui significationem hanc non potest impedire voluntas contrahentium, licèt possit impedire rationem Sacramenti.

79 Dico 2. Probabiliùs valet Matrimonium sub conditione, vel potiùs sub modo, servandi perpetuam castitatem, vel ingrediendi Religionem ante consummationem, vel nunquam petendi vel reddendi debitum conjugale. Abulens. Vasq. Pont. Palud. Conink. Perez. Gobat *tr. 10. n. 466.* P. Illsung *tr. 6. d. 9. n. 52.* P. Krimer *in l. 4. n. 798.* contra S. Thom. *in supplem. q. 48. a. 1. ad 3.* Sanch. Guttier. Filliuc. Laym. Pirh. &c. Prob. 1. prædictæ conditiones, vel potiùs modi, sub quibus contrahitur, non sunt contra substantiam Matrimonii: ergo, licèt deducantur in pactum, non faciunt Matrimonium irritum. *Antec. prob.* partim ex eo, quòd talis conditio, vel modus, licitè servetur, vel ex pacto meritoriè adjiciatur post Matrimonium contractum, ut nemo negat; partim ex eo, quòd licitè & honestè intendi possit Matrimonium præcisè *ut Ratum. arg. c. 16. h. t.* Prob. 2. Essentia Matrimonii plus non requirit, quàm

quàm ut detur mutuum jus & poteſtas in corpora in actu primo: atqui hoc jus & poteſtatem in actu primo dictæ conditiones vel modi non tollunt, ſed ſolummodo impediunt uſum hujus juris & actum ſecundum per copulam: ergo. Ma. conſtat à pari cum aliis contractibus, in quibus poteſt proprietas & dominium ſine proximo jure utendi-fruendi, ſeu jure usûs in actu ſecundo transferri: ſic poteſt fundus quoad proprietatem in alterum transferri, & reſervari uſusfructus formalis, & dominium utile, vel viciſſim reſervari proprietas, ſed ſine jure proximo utendi, uti fit in elocatione domûs v. g. ſunt enim diſtincta jura & poteſtates, jus radicale ſeu in actu primo in corpus vel aliam rem cum impedimento ad licitum ejus uſum, & jus in actu ſecundo ſeu proximè expeditum ad uſum. Sic in Ordinatione Sacerdotum confertur jurisdictio & poteſtas abſolvendi à peccatis tantùm in actu primo & radicalis ſine actuali; hæc enim dependet ab aſſignatione ſubditorum. Prob. 3. hæ duæ voluntates non ſunt incompoſſibiles: *do tibi*, & *accepto jus corporis ad uſum conjugalem*: & *nolo uſum corporis*, ſeu commercium carnale: ergo per pactum continentiæ poſſunt componi in contractu Matrimoniali. *Antec. prob.* hæ duæ voluntates ſunt compoſſibiles: *volo retinere jus ad copulam*, & *: nolo copulam*, & poſſunt componi poſt contractum ſeme! Matrimonium: ergo etiam priores; cùm ſit idem Matrimonium in fieri, quod eſt in facto eſſe, quod ſpectat ad effectum obligationis. Prob. 4. Valet Matrimonium à moribundo contractum, ut habet communis ſenſus DD. & praxis Eccleſiæ: ſed in tali Matrimonio excluditur copula perpetuò, & quidem ita, ut naturaliter haberi nequeat: ergo. Prob. 5. Defendi debet, quòd inter B. V. Mariam, licèt voto caſtitatis perpetuæ fuerit adſtricta, ac B. Joſephum exſtiterit verum Matrimonium, & licitè contractum: ſed hoc longè faciliùs & planiùs defenditur in noſtra ſententia, dicendo, quòd contraxerint Matrimo-

nium;

nium vel cum expresso, vel tacito pacto de servanda castitate, quam si dicatur, quòd Sanctissima Virgo jus absolutum, proximum, & nullo pacto impeditum in corpus suum dederit S. Josepho; debent enim Adversarij asserere revelationem specialem, qua fuit à cœlo assecurata, quòd S. Josephus non sit usurus suo jure, cujus tamen revelationis non existat fundamentum in Scripturis: dein licèt revelationem Virgo castissima habuerit, tamen, si votum suum non manifestâsset S. Josepho, non satis syncerè egisset cum S. Josepho, dum inscio dedisset jus & corpus impeditum ab usu: si autem manifestavit, eo ipso S. Josephus ducendo illam non obstante voto renuntiavit juri proximo & in actu secundo ad usum corporis, adeóque tacitum saltem pactum continentiæ intercessit. Certè minùs videtur voto castitatis convenire obligatio sponte suscepta ad actum conjugalem, licèt sciatur, hunc nunquam exigendum: saltem tribuitur alteri jus exigendi, nisi per pactum impediatur hoc jus. Confirmatur. Urbanus II. ut refert Clericatus *de Matrim. decis. 2. n. 16.* approbavit, imò imperavit Matrimonium, quod contraxit Mathildis Italiæ Comitissa cum Wulfone Duce, sub eo pacto, ut Virginitatis votum servaret inviolatum. Idem testatur de Pulcheria Augusta, quòd sub tali conditione nupserit Marciano.

80 Oppones 1. Substantia Matrimonii consistit in traditione mutua potestatis ad usum corporis, seu essentialiter parit jus petendi, ac obligationem reddendi debitum conjugale: sed per pactum continentiæ perpetuæ &c. talis potestas & jus &c. evertitur: ergo. 2. Hæc conditio, *si generationem prolis evites*, est contraria substantiæ Matrimonii juxta *c. fin. de condit. appos.* ergo etiam hæc, *si castitatem mecum servaveris*; quia per hanc quoq; impeditur generatio prolis. 3. Hæc conditio, *si castitatem perpetuam mecum servaveris*, non potest stare cum Matrimonio; quia tota nunquam impletur ante mortem; adeóque nunquam fieret Matrimonium absolutum; dum enim

enim impletur in morte, Matrimonium desinit cum vita; antea autem semper esset conditionatum, & suspensum. 4. Licèt in aliis rebus possit dominium proprietatis ab usu & dominio utili, ac jus remotum â proximo separari, id tamen in Matrimonio, utpote quod essentialiter ordinatur ad usum, fieri nequit, ut nempe quis acquirat jus radicale in corpus alterius sine jure proximo & actuali: secus enim posset quis contrahere cum duabus, uni dando jus radicale in corpus suum, alteri verò actuale, & usum ejus, sicut potest aliquis uni dare dominium proprietatis in suum equum, alteri dominium utile, vel usum, saltem ad tempus. 5. Pactum continentiæ Matrimonio adjectum saltem est illicitum: ergo non obligat. Confirm. Multi docent, & fortè plures, Matrimonium cum tali pacto esse irritum: ergo hoc ipso non obligat, cùm libertas humana stringi non debeat obligatione incerta & dubia.

R. ad 1. *dist. Ma.* consistit in traditione potestatis radicalis ad usum corporis, & essentialiter parit jus radicale ac remotum, obligationem radicalem & remotam. *C. Ma.* in traditione potestatis proximæ & expeditæ semper ac necessariò, vel parit essentialiter jus & obligationem actualem & proximam. *N. Ma.* jus proximum & obligationem proximam & actualem non parit essentialiter, & hinc per pactum impediri, illique renuntiari potest. Neque dicas, illam potestatem radicalem & remotam esse prorsus inutilem, nugatoriam, & ad aliquid impossibile; cùm stante tali pacto nunquam redigi possit in actum; siquidem hæc potestas facit hoc, ut, si conjuges absq; sublatione mutua pacti exercerent copulam, illa verè Matrimonialis esset & nõ fornicaria, aut, si aliquis eorum commisceretur cum tertio, committeret verum adulterium. Dein posset redigi in actum petita priùs dispensatione (si adstringantur voto) aut pacto per mutuum consensum sublato. Adde, quòd conjuges cum pacto & voto continentiæ contrahentes, licèt jus proximum &

actua-

actuale sibi adimant ad copulam, consequerentur tamen alia jura conjugibus competentia. Ad 2. *dist. Ant.* est contraria; si repugnaret generationi prolis positivè. *C. Ant.* si negativè tantùm. *N. Ant. & Cons.* Positivè contraria generationi prolis dicitur illa cõditio, per quam id agitur, ut conjuges, licèt uti commercio carnali velint; per remedia tamen positiva generationem prolis impediant, v. g. per poculum sterilitatis, per copulam in vase innaturali, per procurationem abortûs &c. Negativè, remotè tantùm, & impropriè contraria est, si id agitur, ut omittatur copula, quod utique illicitum & contra substantiam Matrimonii non est; alias obligarentur conjuges ad copulam, nec possent etiam post Matrimonium contractum paciſci de continentia servanda; quod nemo dixerit. Dein generatio prolis est quidem finis Matrimonii, at non tam quod essentiam & proprietatem ejus, quàm quoad usum, qui â Natura principaliter refertur ad generationem prolis. Ad 3. Si sub conditione propriè dicta & de futuro sic contraheretur Matrimonium, *si castitatem perpetuam mecum servaveris*, concederem totum: at dicta conditio in alio sensu accipitur, ita ut sit tantùm conditio impropriè dicta, & de præsenti, scilicet habet hunc sensum, *si velis, & te obliges ad servandam castitatem perpetuam*: vel potiùs est *modus*, quàm *conditio*, quod insinuavi in Assertione. Imò in tali Matrimonio reperitur & conditio & modus: *conditio* in contractûs initio, quatenus neutra pars vult se alteri obligare, nisi sub conditione castitatis servandæ: *modus* verò post contractum jam completum, quatenus utraque pars adstringitur ad onus castitatis servandæ adjectum. Ad 4. Non quidem omni eo modo separabile est dominium corporum ab eorum usu in Matrimonio, quo modo in aliis rebus; cùm utique non possit quis uni tradere dominium corporis, & alteri usum: simpliciter tamen dominium ab usu corporis, vel jus radicale à jure utendi proximo & actuali separabile esse ostendimus.

Quòd

Digitized by Google

Quòd illud prius fieri nequeat, ratio eſt, quòd dominium & uſus corporis, jus remotum & proximum utendi corpore, in Matrimonio reſpiciat idem ſubjectum ſeu eandem perſonam, ac jus actuale fundetur eſſentialiter in radicali, atque ſine hoc dari non poſſit, licèt radicale ſine actuali dari valeat. Exemplum habes in jurisdictione radicali, quæ confertur in Ordinatione Sacerdotali ſine actuali, quamvis actualis jurisdictio eſſentialiter ſupponat radicalem, & ſine hac dari nequeat. Utraque etiam idem ſubjectum reſpicit, ita ut non poſſit jurisdictio purè radicalis uni, & purè actualis alteri conferri. Ad 5. Non modò licitum, ſed etiam meritorium eſt hoc pactum, ſi contrahentes præfigant ſibi bonum finem. v. g. honeſtatem caſtitatis, Dei cultum, &c. ac inſuper non ſe exponant periculo incontinentiæ; ſicut meritoriè ſibi per pactum adimere poſſunt jus petendi & obligationem reddendi debitum conjugale poſt Matrimonium jam contractum. Ad Confirmationem. Hoc argumentum ubique, ſed inutiliter, formari poſſet, ubi diſputant DD. de valore contractûs, exiſtentia legis &c. In forma *diſt. Conſ.* ergo non obligat per accidens juxta illos, qui tenent oppoſitum. *C. Conſ.* per ſe, & juxta alios, qui nobiſcum ſentiunt. *N. Conſ.*

Dico 3. Probabiliùs non valet Matrimonium pro libe- 81
ris præſentibus & tacentibus contractum à parentibus, ad id non conſtitutis. Sot. Henriq. inclinat, & probat Pontius *de Matr. l. 2. c. 14. n. 3.* contra S. Th. *in ſuppl. q. 45. a. 2. ad 3.* Covar. Sanch. Perez. Boſco, & communiorem. Probatur: in re tanta, qualis eſt electio ſtatûs perpetui, requiritur conſenſus perſonalis aliquo ſigno certo ab ipſo contrahente expreſſus: ſed liberi tacendo præcisè, quando parentes pro ipſis ſine ſpeciali mandato contrahunt Matrimonium, non exprimunt ſuum conſenſum perſonalem ſigno aliquo certo ac determinato; quia tacere nec eſt affirmare, nec negare, ſeu nec conſenſum nec diſſenſum ſignificat: *qui tacet, non fatetur, ſed*

nec

nec utique negare videtur. c. 44. de R. J. in 6. Ubi Tridentinum est receptum, non facilè casus iste poterit contingere; cùm Parochus teneatur sponsum ipsum & sponsam interrogare de consensu. Trid. *s. 24. c. 1. de Ref. Matr.* Oppones. 1. *qui tacet, consentire videtur. c. 43. eod.* ergo. 2. Et principaliter: Sponsalia validè contrahuntur sine mandato à parentibus pro liberis præsentibus & tacentibus. *c. un. §. porro. de desponſ. impub. in 6.* ergo & Matrimonium. R. ad 1. in favorabilibus, & quando quis tenetur non tacere. *C. Ant.* quando agitur de onere imponendo & obligatione &c. *N. Ant. & Conſ.* Ad 2. *N. Conſ.* quòd enim Sponsalia valeant, taliter contracta, docet nos *c. un. cit.* etiam de his dissensuros, si specialiter decisum non esset. Quæ decisio, cùm exorbitet à Jure Communi, ac insuper agatur de negotio valde arduo, extendenda non est ad Matrimonium. per *c. 15. & 28. de R. J. in 6.* præsertim cùm sit longè disparratio in Matrimonio, utpote quod indissolubile est, Sponsalia verò, licèt valeant, multis de causis aliis iterum dissolvi possunt: itaque longè minus est præjudicium, si Sponsalia ex taciturnitate præsumantur rata, quàm si Matrimonium.

82 Quæres, an requiratur consensus parentum, vel saltem patris, ad valorem Matrimonii? R. contra hæreticos, non; nec obstat, quòd liberi in Sacris seu in potestate patris adhuc sint constituti. Sumitur ex Trid. *lo. cit. c. 12. de Regular.* Accedit constitutio Caroli V. in Comitijs Augustanis 1548. *tit.* vom Sacrament der Ehe §. 9. quam receperunt hæretici, & nisi simul Imperatori suo, sicut Ecclesiæ legibus, pertinaciter refragari velint, observare deberent. Nihilominus ordinariè requiritur ex decentia & vi quarti præcepti Decalogi consensus parentum ad licitè contrahendum Matrimonium; &, ubi consensum justa de causa non tenentur exspectare liberi, saltem consilium eorum exquirere deberent. Hinc Jus Bavaricum *tit. 4. a. 9.* insigniter plectit liberos, si sine con-

consensu parentum Matrimonia indigna contrahantur; scilicet si sine patris aut matris consensu celebrent Matrimonia statui non convenientia, non debetur ipsis dos, vel donatio propter nuptias, aut aliquid aliud à patre adhuc vivo: imò etsi Matrimonia statui convenientia contrahant, sed sine consilio aut consensu parentum, & 30. annos, si filii sint (& 25. annos, si filiæ) necdum egressi, nihil ipsis debetur à parentibus vivis; quamvis ijs mortuis hæreditatem sibi debitam capere non prohibeantur. Si verò filius infra 30. & filia infra 25. ætatis annum, ab honestis Matrimoniis priùs non impediti, sine consensu parentum ducant personas infames, maculatas, vel inhonestas, possunt eos omnino exhæredare: &, si parentes ab intestato decedant, solùm permittuntur succedere in dimidia legitimæ parte. Oppones 1. Leges Civiles, utì *pr. Inst. de Nupt. & l. 2. 18. 36. ff. de Ritu Nupt.* irritant Matrimonia sine consensu patris inita. 2. In *can. aliter 1. caus. 30. q. 5.* dicuntur conjugia aliter celebrata, quàm ibi præcipitur, & consequenter absque consensu parentum, adulteria esse, stupra, & fornicationes. Concordant *can. 3. & 4. ead. caus. & q.* R. ad 1. Illæ leges vel requirunt tantùm ex honestate & ad licentiam, non verò ad valorem Matrimonii, consensum parentum, quia multæ aliæ omnino consultum volunt libertati contrahentium, utì *l. 21. ff. de rit. nupt. l. 14. C. de Nupt.* Vel â Jure Canonico sunt correctæ, si evinceretur, quòd loquantur de valore Matrimonii. Ad 2. dicuntur adulteria &c. non absolutè, sed limitatè, *nisi voluntas propria suffragaverit*, sive consensus contrahentium. Cœterùm consensus parentum ibi requiritur per modum solennitatis, sicut ibidem requiritur dos, paranymphi, Missæ Sacrificium, benedictio Sacerdotis &c. & sine his dicuntur esse Matrimonia non *legitima*, & non solennia, sed adulteria, stupra &c. nempe in foro externo & præsumptivè, nisi probetur, verè ac legitimo consensu maris & fœminæ contrahentium esse cele-

brata. Missæ Sacrificium verò utique ad valorem non requirunt Lutherani. Jus Divinum in præcepto 4. Decalogi prohibet quidem parentum consensum vel consilium negligere, saltem ordinariè, cùm ordinariè cum irreverentia erga eosdem negligatur; tamen propterea non irritat Matrimonium absque eo contractum; alias etiam sine consensu Matris foret irritum, quod nec hæretici admittunt.

83 Porro sicut liberi absque justa causa invitis parentibus Matrimonia illicitè celebrant, ita vicissim parentes graviter peccant, si absque justa causa per suum dissensum Matrimonia liberorum impediunt. per *c. fin. de Jud. in 6.* cùm privent eos jure suo, quod habent à Natura ad electionem statûs. *c. 12. cit. de Regular.* probabiliùs tamen non incurrunt excommunicationem, quam Trid. *s. 24. cit. c. 9.* statuit contra impedientes libertatem Matrimonii, quia ibi mentionem tantùm facit Dominorum & Magistratuum, qui virtute jurisdictionis, quam habent in foro externo, subditos ad Matrimonia vel cogunt, vel ab iis impediunt. Si quæras, an Judex vel Magistratus sæcularis possit exhæredationem vel aliam pœnam, uti fecit Jus Bavaricum, statuere in liberos, sine consensu vel præscitu parentum contrahentes Matrimonia? R. cum distinctione: si intenderet illos etiam plectere, qui ex justa causa liberos excusante ab omni peccato id faciunt, nullum foret hujusmodi statutum, utpote inimicum SS. Canonibus & libertati à Natura concessæ quoad Matrimonium. Si verò plectere intendat illos tantùm, qui temere & absque justa causa celebrant Matrimonia, præsertim minùs convenientia statui, aut etiam indigna, invitis vel insciis parentibus, justum omnino ac validum est, non minùs ac aliæ leges sæcularium, quæ puniunt eos, qui clàm & sine denuntiationibus, vel contra aliam Ecclesiæ prohibitionem celebrant Matrimonia; quia hoc modo Magistratus Sæcularis adjuvat potiùs Jus Canonicum & Naturale, quàm libertatem Ma-

tris

trimonii à dictis Juribus indultam tollat, ac utriusque executionem justè urget puniendo malefactores & transgressores.

Dico 4. Valet Matrimonium per Procuratorem de- 84
bito modo initum pro alio, etiam in ratione Sacramenti. Communis. Prior pars disertè habetur *in c. fin. de Procurat. in 6.* cui per nullum Jus recentius est derogatum, sed potiùs suffragatur praxis hodierna, uti nuper in duobus Imperatoribus Josepho I. & Carolo VI. Posterior, quam satis multi negant apud Sanch. probatur indè, quia Christus contractum Matrimonialem validum, & juxta leges Ecclesiasticas ac Naturales celebratum, elevavit ad rationem Sacramenti, ut constat ex *c. 7. de divort.* præter alia Jura: sed Matrimonium per Procuratorem debitè initum valet juxta leges Ecclesiasticas & Naturales: ergo est Sacramentum. Adde, quòd juxta superiùs dicta saltem licitè non possit separari ratio Sacramenti à Matrimoniali contractu in Lege Nova: ergo non posset Ecclesia permittere & approbare (uti tamen revera approbat) praxim celebrandi Matrimonia per Procuratores, si Sacramenti rationem non haberent. Dixi, *per Procuratorem debito modo initum*; ut enim procurator (qui vel ex una vel ex utraque parte constitui potest, non tamen facilè debet & absque gravi causa) ritè procedat, requiritur 1. Ut habeat speciale mandatum, & quidem ad contrahendum cum determinata persona. 2. Ut per se ipsum tractet hoc negotium, nec alium substituat. 3. Ut mandatum non sit revocatum, etiam inscio procuratore. 4. Ut procurator sui principalis consensum, uti & persona, quacum contrahit nomine sui principalis, exprimant coram Parocho & testibus, ut evitetur clandestineitas: ut autem ipsum mandatum detur coram Parocho & testibus, necesse non est. *Text. gl. & DD. in c. fin. cit.* Trid. *s. cit. c. 1.* Sicut autem per Procuratorem, ita per Scripturam aut Internuntium contrahi Matrimonium valet.

85 Oppones 1. Parochus ex præcepto Tridentini tenetur ex ſponſis præſentibus per interrogationem intelligere mutuum conſenſum: ergo abſens per procuratorem non poteſt contrahere. 2. Parochus intellecto conſenſu pronuntiat hæc verba: *ego vos in Matrimonium conjungo:* ſed iſta verba ad ſui verificationem non minùs requirunt præſentiam conjungendorum, quam pronomen *te* in forma Baptiſmi præſentiam baptizandi: ergo. 3. Aliud Sacramentum nullum admittit procuratorẽ, aut miniſtrari poteſt abſenti, ut patet ab inductione: ergo neque Matrimonium. Confirmatur; verba contrahentium, *accipio te in meam*, diriguntur in perſonam præſentem: ergo cum abſente non poteſt contrahi Matrimonium ut Sacramentum. 4. Poſſet contingere, ut principalis illo ipſo tempore, quo procurator loco ipſius contrahit, dormiat, vel ebrius, vel amens ſit: atqui dormiens vel ebrius vel amens non poteſt eſſe Miniſter Sacramenti, nec recipere, aut conferre, gratiam Sacramentalem. &c. ergo. R. ad 1. poteſt conſenſum ſponſi abſentis intelligere etiam ex procuratore. Ad 2. Illa verba nec ſunt forma Sacramenti Matrimonii, nec neceſſaria abſolutè: imò licèt forent neceſſaria aut eſſentialia, tamen verificarentur absque præſentia principalis, modò præſens eſſet procurator vel procuratores; haberent enim hunc ſenſum: *ego vos, procuratorio nomine comparentes, conjungo.* Diſparitas cum Baptiſmo ſtatim apparebit. Ad 3. *N. Conſ.* nam Matrimonium eſt ſimul contractus, & hinc imitatur naturam aliorum contractuum, qui validè per procuratores celebrantur: hinc quia valet in ratione contractûs, valet quoque in ratione Sacramenti, ac abſenti conferri poteſt: nullum verò aliud Sacramentum validè confertur abſenti; quia nullum involvit rationem contractûs. Ad Confirmationem. Illa verba, *accipio te in meam*, non ſunt forma determinatè, ſed etiam alia ſigna, non demonſtrativa, conſenſum mutuum exprimere poſſent, ſicut fit in aliis contractibus, cujus-

Digitized by Google

cujusmodi contractus non est baptismus, vel alia Sacramenta, quæ habent verba formalia determinata, & personam suscipientem demonstrantia. In Matrimonio per dicta verba denotantur præsentes, si illi, qui suo nomine contrahunt, sint præsentes, secus, si absentes sint. Verba procuratoris contrahentis possent esse hæc, vel similia: *Titius per me accipit te in uxorem*, vel: *ego nomine Titii contrabo tecum Matrimonium.* Altera verò pars posset sic respondere: *per te accipio Titium in maritum*, vel: *ego quoque tecum, tanquam procuratore Titii, contrabo Matrimonium.* Ad 4. *N. Min.* saltem de dormiente & ebrio (de amente, quamvis eodem modo discurrant communiùs, tamen cum Lugone & aliis P. Kugler *de Matr. p. 1. q. 10.* negat, Matrimonium validè contrahi per procuratorem, si principalis interea incidit in amentiam etiam temporalem tantùm) in dormiente enim & ebrio persistit adhuc intentio virtualis, existens in mandato priùs dato: sufficit autem etiam in aliorum Sacramentorum Ministris intentio virtualis: atque sic principalis per procuratorem contrahendo confert gratiam: recipere autem potest, si per peccatum mortale non ponat obicem, non minùs, ac qui baptizatur dormiens, qui priùs petijt baptismum.

Dico 5. Consensus Matrimonialis debet esse verus, 86
non fictus, voluntarius, mutuus, verbis vel aliis signis Sponsalia de præsenti significantibus expressus &c. ut patet ex dictis de consensu Sponsalitio, item liber ab errore substantiali, & metu gravi injustè incusso, ut patebit ex §. 3. *seq.* item publicus, non clandestinus, de quo infrà *tit. 3.* ac absolutus, de quo ad *tit. 5.*

Dico 6. Debet quoque esse simultaneus, saltem mo- 87
raliter, h. e. utriusque consensus non necessariò coëxistit, & simul ponitur physicè, sed sufficit, si, postquam unus consenserit, alter ex intervallo consentiat, non obstante, quòd unum vel plura negotia aliena interceserint, modò consensus prior non sit revocatus interea, sed

tacitè adhuc duret. Suar. *to. 3. de virt. & ſtat. Relig. l. 7. c. 1. n. 19.* Qui hanc ſententiam dicit eſſe moraliter ſatis certam. Prob. à paritate cum aliis contractibus, in quibus, cùm ſint aliquid morale, ſufficit moralis coëxiſtentia conſenſuum, & *intervallum medium non vitiat obligationem. l. 1. §. qui præſens. de V. O. l. 1. §. 2. ff. de contr. empt.* Nulla autem Lex vel Canon exigit in Matrimonio coëiſtentiam phyſicam aut ſucceſſionem immediatam. Confirm. ex eo, quia Matrimonium poteſt contrahi per procuratorem: quo caſu non niſi moraliter concurrit utriusque conſenſus. Oppones 1. In *l. 137. pr. ff. de V. O.* expreſsè dicitur, ut contrahentes ſibi continuò reſpondeant, antequam ad alia divertant. 2. In aliis Sacramentis requiritur poſitio materiæ & formæ ſimultanea phyſicè, vel ſaltem immediata ſucceſſio: ergo & in Matrimonio. 3. In Miniſtro Sacramenti requiritur intentio actualis, vel virtualis, & non ſufficit habitualis: ſed conſenſus, qui eſt quaſi intentio Miniſtri in Matrimonio, ſi tantùm tacitè & habitualiter perſeverat, nec eſt actualis, nec virtualis. R. ad 1. Ibi eſt ſermo de ſtipulatione ſtrictè dicta, non de quocunque contractu generaliter. Ad 2. Imprimis etiam Abſolutio, quæ eſt forma Sacramenti Pœnitentiæ, poteſt differri. Dein alia Sacramenta non ſunt contractus, ſicut Matrimonium. Ad 3. *N. Conſ. & parit.* cùm enim Matrimonium habeat adhuc rationem contractûs, ſufficit, modò tunc intentio contrahendi fuerit actualis vel virtualis in Miniſtro, quando conſenſum poſuit, & expreſſit, atque ſic ex ſua parte poſuit materiam & formam, nec poſtea revocavit, usquedum & altera pars poſuerit ſuum conſenſum. In aliis Sacramentis, cùm non habeant rationem contractûs, ac moralem interruptionem non patiantur inter poſitionem materiæ & formæ, quæ determinari debent ad rationem Sacramenti per intentionem Miniſtri, utique non ſufficit intentio præcisè habitualiter perſeverans, & merè non revocata.

Dico

Dico 7. Qui fictè contraxit Matrimonium, non solùm 18
peccavit graviter peccato duplici, nempe Sacrilegii contra reverentiam Sacramenti, & Injustitiæ, propter gravem deceptionem alterius partis, sed etiam tenetur in foro externo (& ad id compellendus est) adhærere uxori putatitiæ, in quo foro fictionem asserenti non est credendum, licèt juret, nisi evidenter probet fictionem. In foro autem interno regulariter tenetur adhuc ponere verum consensum, & sic Matrimonium redintegrare. Pars 1. De peccato Sacrilegii & Injustitiæ claret per se. Pars 2. De obligatione & compulsione ad cohabitandum uxori putatitiæ pro foro externo constat indè, quia pro valore Matrimonii stat præsumptio violenta, & vehementissima, nec de internis judicare potest Ecclesia: interim tamen taliter compulsus nec petere nec reddere potest debitum, cùm esset fornicatio, licèt propterea excommunicationem (quæ in foro interno ipsum non ligaret) sustinere deberet. *c. 44. de sent. Excom.* Pars 3. Quòd ipsi etiam juranti non sit credendum, procedit etiam casu, quo semiplenè probaret fictionem; quia in causis valde arduis, uti est etiam Matrimonialis, non habet locum Juramentum suppletorium, præsertim in favorem proprium, uti docuimus in lib. II. *tit. 24. n. 25.* quando enim agitur de Matrimonio dissolvendo, debent adesse probationes manifestæ & luce meridiana clariores ac indubitatæ. Favet *c. 10. de probat. & c. 30. h. t.* & DD. communiter: præsertim cùm contractus coram Parocho & testibus initus fundet tantam præsumptionem, quæ omnem probationem semiplenam & præsumptionem aliam elidit: nisi ergo evidenter probetur fictio, non creditur in foro externo. Nec obstat, quòd Sponsalia fictè contrahens, si aliquo indicio probare possit fictionem, admittatur ad juramentum: nam Sponsalia non sunt indissolubilia, sicut Matrimonium, nec tanta emergunt pericula animarum ex illorum dissolutione a

unde ordinariè ſufficit ſemiplena probatio ad impediendum Matrimonium, & diſſolvenda Sponſalia, ſi allegetur impedimentum. Pars 4. Quòd teneatur adhuc ponere verum conſenſum, & quidem juxta nos determinatè, nec ſufficiat alio modo reſarcire damnum, conſtabit ex dictis *n. 7. & 8.* ad quod etiam compellendus eſt in foro externo, ſi ſufficienter probavit fictionem. Addidi tamen, *regulariter*; nam verum conſenſum ponere & Matrimonium cum decepta inire non tenetur 1. ſi aliud interea Matrimonium contraxit: & hoc caſu neque poteſt contrahere cum priore ampliùs. 2. Si decepta ex indiciis ſatis claris potuit advertere fictionem. 3. Si & ipſa decepit, falsò ſe jactando Virginem &c. 4. Si aliam compenſationem ſponte recipiat. 5. Si gravia ſcandala, vel infelices exitus timerentur ex ſecuto Matrimonio vero.

89 Quæres, an, qui fictè contraxit (idem eſt, ſi ex alio capite, v. g. propter metum defuit conſenſus validus) & poſtmodum vult, utì ordinariè debet, præſertim in foro interno, ſufficienter reſtauret Matrimonium, ſi ipſe ſolus ponat verum conſenſum, vel an neceſſe ſit, ut & altera pars denuo conſentiat? R. cum D. Thom. Navar. Sanch. Conink, Laym. Pirh. *h. t. n. 83.* contra Felin. Scot. Pont. Palao. Krimer *l. 4. n. 530.* Sufficit, conſenſum inſtaurari ab eo, qui priùs non conſenſerat verè & validè. Ratio, quia alterius partis conſenſus, aliquandò abſolutè poſitus, adhuc perſeverat virtualiter (quia vi illius compartem tractat ut conjugem) vel ſaltem habitualiter, quod in contractibus ſufficit, & præſumitur durare. per *c. fin. de Procur. in 6.* ergo ſi accedat poſtmodum conſenſus alterius, qui priùs non conſenſerat, etiam non monita altera parte, habetur conſenſus mutuus, adeóque ſufficiens ad conſtituendum Matrimonium; cùm neceſſe non ſit, ut utriusque conſenſus ponatur ſimul eodem tempore, utì paulò antè oſtendimus. Confirm. à pari: qui fictè, vel ex metu &c. profeſſus eſt Religionem,

nem; poſtea verò ſolus, expreſsè vel tacitè, profitetur verè, & conſenſum verum ac validum ponit, licèt non præmoneat Prælatum, vel Prælatus non acceptet Profeſſionem de novo, validam facit Profeſſionem; utì colligitur ex *c. 11. de Regular. c. 1. eod. in 6. Frid. ſ. 25. t. 19. de Regular.* ergo idem dicendum de Matrimonio. Utrùm verò requiratur, ut ponens verum conſenſum, qui priùs fictè &c. conſenſit, eum exprimat verbis, vel factis, v. g. copulâ carnali, cohabitatione diuturna &c. vel an ſufficiat conſenſus merè internus, diſputant DD. Vid. P. Kugler *de Matrim. â n. 590.* ubi aſſerit, communiùs doceri poſterius.

Oppones 1. Conſenſus partis verè conſentientis eſt conditionatus, ſi nempe pars altera etiam conſentiat ſtatim; ſi enim ſciret, alteram partem non conſentire ſtatim verè, & viciſſim ſibi dare jus immediatè in ſuum corpus, nec ipſa conſentiret, nec traderet jus: ergo neutra pars conſenſit, & utraque contraxit apparenter tantùm: ergo utriusque conſenſus ex poſtfacto neceſſarius eſt. 2. Quando contractum eſt Matrimonium cum alio impedimento dirimente, v. g. conſanguinitatis, publicæ honeſtatis, criminis &c. Matrimonium non convaleſcit, niſi utraque pars ponat novum conſenſum: ergo neque convaleſcit absque utriusque conſenſu, ſi fuit invalidè contractum ex defectu conſenſûs; cùm nullum impedimentum ita dirimat Matrimonium, utì defectus conſenſûs. R. ad 1. N. *Ant.* Sicut non conditionatè, ſed abſolutè cenſetur conſentire, qui per errorem putat, illam, quam ducit, eſſe virginem, nobilem &c. quamvis fortè non conſenſiſſet, ſi ſciviſſet, hanc qualitatem non ineſſe, vel licèt ſuum conſenſum fortè alligâſſet dictæ qualitati, ſi de eâ ſuſpicionem habuiſſet: ita etiam non conditionatè, ſed abſolutè cenſetur conſentire, qui putat alteram partem mox conſentire, & viciſſim immediatè dare jus in corpus, licèt non conſenſiſſet, ſi fictionem ſciviſſet, vel licèt conſenſum ſuum alligâſſet vero illius

consensui immediato, si de fictione suspicionem habuisset. Ad 2. *transf. Ant.* de quo infra ad *tit. XVI. §. 4. N. Cons. & parit.* quia impedimenta alia faciunt, ut utrinque desit legitimus consensus propter defectum objecti, vel incapacitatem subjectorum contrahentium: at defectus consensus ex parte unius tantùm, pariter ex parte unius tantùm ponit obicem, facilè & ab una quoque superibilem.

§. II.

De Impedimentis Matrimonii in genere.

91 SCiendum 1. Omnes quidem personas per se habiles esse ad contrahendum Matrimonium, plurimas tamen prohiberi impedimento, seu obstaculo, per quod Matrimonium vel redditur ipsis illicitum, vel omnino invalidum. Nam impedimenta Matrimonii sunt duplicis generis, impedientia tantùm, & dirimentia: purè *Impediens* dicitur, quo stante Matrimonium quidem contrahitur validè, non tamen licitè seu non sine peccato. *Dirimens* verò, quo stante nec validè contrahitur, nec, si illius habeatur notitia, licitè: *quo stante*, inquam, *contrahitur*; si nimirum jam actu detur, quando contrahitur, dirimit Matrimonium contrahendum, seu facit, ut nulliter contrahatur: si verò superveniat, non dirimit, vel irritum reddit Matrimonium jam contractum; eò quòd Matrimonium, semel validè contractum, sit indissolubile.

92 Sc. 2. Impedimenta impedientia de Jure Antiquo fuisse 12. sequentibus versiculis comprehensa:

Ecclesiæ vetitum, nec non Tempus Feriatum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito Votum,

Luce-

Digitized by Google

Inceſtus, Raptus Sponſatæ, Mors Mulieris,
Suſceptus propriæ ſobolis, Mors Presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolenniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium ſociandum.

Per *Eccleſiæ vetitum* intelligitur ſpecialis prohibitio & interdictum, ne ad certum tempus, v. g. usquedum conſtet abeſſe impedimentum, quod metuitur, contrahatur Matrimonium. De hoc agemus ad *tit. XVI.* uti & de *Tempore Feriato*, quod eſt tempus Adventus & Quadrageſimæ. Per *Catechiſmum* venit quædam cognatio ſpiritualis imperfecta, orta ex inſtructione baptiſmum antecedente in fide Catholica, & fieri ſolet ante fores Eccleſiæ ante collationem baptiſmi per interrogationes, & reſponſiones baptizandi: hodie reſpondent patrini, qui ſimul ſuſcipiunt ſeu levant baptizandum, & propterea contrahunt impedimentum dirimens cum baptizando. *Sponſalia*, nempe de futuro, quomodo ſint impedimentum impediens, dicetur ad *tit. IV. de Sponſa duorum.* Et quomodo *Votum*, ad *tit. VI. Qui Clerici vel voventes.* Atque hæc 5. impedimenta impedientia oriuntur absque delicto: ſequentia 7. verò ex *crimine*, ſcilicet ex *Inceſtu*, ſi nimirum maritus copulam exerceat cum conſanguinea uxoris, vel Sponſus cum conſanguinea Sponſæ in primo gradu, ac viciſſim: uterque autem complex nullum ampliùs Matrimonium licitè poterat olim inire. Ex *Raptu ſponſatæ*, ſeu violenta abductione alienæ ſponſæ: ſi Sponſa conſenſit in raptum, etiam ipſa contrahebat hoc impedimentum. Ex *Morte Mulieris*, ſi nempe maritus uxorem, vel viciſſim hæc illum occiderit ex odio vel ira. Ex *Suſceptu propriæ ſobolis*; ſiquis nempe ſine neceſſitate malitiosè & animô alteram partem privandi debito conjugali propriam prolem ſuſcipiebat, vel levabat ex baptiſmo. Ex *Morte Presbyterali*, ſeu occiſione Sacerdotis, de qua quis convictus fuit in Judicio. Ex *Pœnitentia ſolenni* ſeu publica, pro-

pter

pter præcedens delictum inflicta, quamdiu durabat hæc pœnitentia. Ex *Matrimonio cum Moniali* attentato: & talis vir cum nulla alia poterat ampliùs celebrare Matrimonium. Porro quia ultima 7. impedimenta per unicam vocem *crimen* efferri solent, & *Catechismus* ad Interdictum referri posset, omnia impedimenta impedientia hoc versu unico licebit complecti:

Votum, Interdictum, Feriæ, Sponsalia, Crimen.

At quia cum Navarro, Sanch. Henriq. Coninck notat Laymann in fine suæ Theologiæ Moralis, Pontius, Less. Illsung, & alii DD. passim, omnia impedimenta impedientia *criminis*, seu ex delicto orta, per universalem consuetudinem sublata esse, impedimentum verò *Catechismi* à Trident. *s.* 24. *c.* 2. *de Ref. Matrim.* abrogatum esse docet Sanch. *l.* 7. *d.* 10. *n.* 2. Bosco, König &c. remanent hodie solùm 4. impedimenta impedientia, hoc versiculo comprehensa:

Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

De quibus suo loco, quem jam indicavi: missis reliquis hodie jam abrogatis.

93 Sc. 3. Impedimenta Dirimentia de Jure Antiquo pariter fuisse 12. à Tridentino autem superaddita fuisse duo alia, nempe *Clandestineitatis*, & *Raptûs*, adeóque hodie esse 14. imò 15. si pro speciali impedimento velis ponere *ætatem*, scilicet impuberem, quam tamen plerique ad Impotentiam referunt; quin, si triplicem *Cognationem*, Carnalem, Spiritualem, & Legalem distinguas, numerabis 17. impedimenta dirimentia: quæ omnia plurimis comprehenduntur his versibus:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultûs disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis Affinis, si fortè Coire nequibis,
Si Parochi & duplicis desit præsentia Testis,

Si

Si mulier ſit Rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Ab aliis compinguntur in ſequentes verſiculos:

Error, Religio, triplex Cognatio, Crimen,
Cultûs diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Raptus, Clandeſtina fides, Impos coëundi,
Ætas, Affines, ſolvunt connubia cuncta.

Per *Votum* & *Religionem*, intelligitur idem, nempe Profeſſio Religioſa, de quo impedimento agemus ad *tit. VI. Qui Clerici vel vovent.* utì & de Impedimento *Ordinis.* De *Conditione* autem, intellige ſervili, ad *tit. IX. de Conjug. Servor.* De Impedimentis triplicis *Cognationis*, & *Affinitatis* ad *titt. XI. XII. XIII. & XIV.* De *Crimine* ad *tit. VII. de eo, qui duxit, quam polluit.* De *Ligamine* ad *tit. IV. de Sponſa duorum.* De *Impotentia* ad *tit. XV. de Frigid. & Malef.* De *Ætate* ad *tit. II. de Deſponſ. impub.* De *Clandeſtineitate* ad *tit. III. de Clandeſt. Deſponſ.* De reliquis autem, nimirum de impedimento *Erroris*, *Vis*, ſeu *Metûs*, *Raptûs*, *Diſparis Cultûs*, & *Publicæ Honeſtatis*, cùm proprium Titulum non habeant, ſufficientem declarationem dabit §. ſequens.

Sc. 4. Ex dictis impedimentis aliqua eſſe Juris Natu- 94
ralis, ſcilicet Errorem, Ætatem infantilem, Impotentiam, Ligamen (dum nempe quis jam eſt ligatus Matrimonio) & Conſanguinitatem in primo gradu lineæ rectæ, utì dicemus ſuo loco: reliqua autem ſunt Juris tantùm Eccleſiaſtici, atq; ideo inter Chriſtianos tantùm Matrimonia dirimunt contrahenda. Supereſt decîdendum 1. à quo ſtatui ac introduci poſſint impedimenta Matrimonii. 2. â quo & quomodo tolli. 3. An Hæretici ligentur impedimentis Jure Eccleſiaſtico tantùm ſtatutis. 4. An liceat Matrimonium contrahere, illúdque valeat, ſi probabile tantùm ſit, abeſſe impedimentum.

95 Dico 1. Ab Ecclesia, adeóque à Summo Pontifice introduci possunt impedimenta Matrimonii tam dirimentia quàm impedientia. 2. Non tamen ab Episcopis. 3. Vel à Principe Sæculari pro Fidelibus. 4. Bene tamen per consuetudinem. Pars 1. est de fide ex Trid. *s.* 24. *de Sacram. Matr. can.* 3. & 4. Ratio, quia Matrimonium consistit in contractu legitimo & valido: in potestate autem Legislativa Ecclesiæ est contractum Matrimonialem non minùs, quàm alios contractus, regulare, hoc vel illo modo initum approbare aut irritare, prohibere, permittere, personas ad contrahendũ habiles vel inhabiles reddere, prout commune & spirituale animarũ exigit bonum: ad id enim à Christo potestatẽ accepit. *Mat.* 16. Pars 2. defenditur communiter, & colligitur ex Trid. *loc. cit.* item ex *c.* 1. & 2. *de translat. Episc.* vi quorum majores causæ, quales utique sunt etiam Matrimoniales, quando agitur de valore, & ea, quæ Sacramenta spectant, Summo Pontifici reservata manent. Hoc tamen intellige de impedimentis dirimentibus; non verò de impedientibus, cùm utique Episcopi ex justa causa possint quibusdam ad tempus prohibere Matrimonium. Pars 3. Fundatur in eo, quòd Matrimonialis contractus apud Christianos sit Sacramentum, adeóque contractus Sacer, qui sicut cognitioni, ita dispositioni ac legibus Sæcularis Principis subjectus non est. Trid. *s. cit. can.* 12. & *c.* 3. *de Ord. cognit. c.* 10. *de Constit.* Si tamen Ecclesia non reservâsset sibi causas Matrimoniales, non improbabiliter docent plurimi cum Bellarm. Dicast. Pirh. *h. n.* 150. contra Pontium, etiam Sæcularibus Principibus competiturũ jus & postestatem statuendi impedimenta Matrimonii; quamvis enim istud sit Sacramentum, tamen permansit verè adhuc contractus civilis in naturæ officium, & propagationem communitatis institutus, atque hac ratione potestati politicæ subjectus. Addidi in Assertione, *pro Fidelibus*; quippe non modò Princeps infidelis pro suis subditis infidelibus seu non bapti-

baptizatis, ſed etiam Princeps fidelis, ſi habeat ſubditos infideles, pro ijs impedimenta Matrimonii dirimentia ſtatuere poteſt; cùm apud hos Matrimonium non ſit Sacramentum, ſed merè civilis contractus, quem regulare per ſuas leges ad Principes Sæculares ſpectat, & territoriales. Imò probabile eſt Sanchezio & Coninck, quòd etiam pro Chriſtianis ſibi ſubjectis Princeps infidelis ſtatuere dicta impedimenta valeat, modò Divinis legibus non repugnent, aut in contemptum veræ fidei cedant, ac juſta non deſit cauſa, ad omnem legem requiſita; eò quòd Eccleſia reſervando ſibi diſpoſitionem circa Matrimonii contractum non poſſit præjudicare Principibus infidelibus ſibi non ſubjectis. Pars 4. quem cum Suar. *l. 7. de Leg. c. 16. n. 4. 5.* tuetur Sanch. & melior DD. pars contra Pont. & Fagn. ſatis clarè habetur *c. 1. & 3. de cognat. ſpirit.* item *c. fin. de conſuet.* ubi approbatur omnis conſuetudo in vim legis, ſi ſit rationabilis & legitimè præſcripta: atqui conſuetudinem, vi cujus introducitur impedimentum Matrimonii, rationabilem reddere poſſunt omnia, quæ legem vel ſtatutum hujusmodi reddunt rationabile.

Oppones 1. Eccleſia nihil poteſt immutare circa mate- 96.
riam Sacramentorum: ſed contractus, & mutuus conſenſus maris & fœminæ ſibi mutuò tradentium jus in corpora eſt â Chriſto determinatus pro materia Sacramenti Matrimonii: ergo circa hunc contractum nihil poteſt immutare Eccleſia, reddendo invalidum, qui ex ſe & ſpectato Jure Naturali ac Divino eſt validus. 2. Quod poteſt Papa per Univerſam Eccleſiam, poteſt Epiſcopus per ſuam diæceſim: ergo etiam erit in poteſtate Epiſcoporum. 3. Præfecti militum vetant (& teſte Gobat non illicitè, ſi habeant juſtam cauſam) ne ſine ſuo conſenſu ducat aliquis uxorem: ergo etiam Principes Sæculares poſſunt per legem univerſalem certis perſonis Matrimonium prohibere, ſicut etiam prohibent licitè, ne quis v. g. ducat aliquam ex aliena regione. 4. Conſuetudo impe-

dis-

rimenti inductiva reprobatur *in c. 1. de Sponſal.* ergo nequit eſſe rationabilis. *N.* ad 1. Imprimis contractus non eſt materia & forma, ſed ipſum Matrimoniũ. Sed hoc omiſſo *diſt. min.* contractus etiã ſecundùm leges humanas validè initus, & legitimus, eſt à Chriſto elevatus ad rationem Sacramenti. & mutuus conſenſus pro materia illius determinatus. *C. Min.* Contractus, à legibus humanis independens, *N. Mi.* reliquit igitur Chriſtus determinationi Eccleſiæ, quem contractum, quo modo, & à quibus perſonis celebratum, velit habere pro valido & legitimo : atque ſic nihil immutat Eccleſia à Chriſto præſcriptum & determinatum : ſicut ille nihil immutaret (niſi remotè, indirectè, ac impropriè) qui vino, quod à Chriſto determinatum eſt pro valida materia Conſecrationis in Euchariſtia, tantum affunderet aquæ, ut amitteret prædicatum vini uſualis. Ad 2. Illud axioma ſæpiſſime fallit, imò cum Epiſcopi ſint vocati *non in plenitudinem poteſtatis, ſed in partem ſollicitudinis. can. 12. cauſ. 2. q. 6.* contraria potiùs regula videtur ſtatuenda, ſcilicet eos quoad actus jurisdictionis in ſuis diœceſibus nihil poſſe, quam quod ipſis vel à Jure, vel à conſuetudine, vel indulgentia Pontificis noſcitur eſſe conceſſum. Ad 3. Licèt fortè certis perſonis ob bonum publicum poſſet Princeps Sæcularis prohibere Matrimonium, quatenus id v. g. bono publico eſt nocivum, per hoc tamen Matrimonium non poſſet reddere invalidum, ſi nihilominus contraheretur : imò tali caſu potiùs urgeret Princeps ſæcularis obſervationem Legis Naturalis, quæ prohibet Matrimonia privatis cum præjudicio boni publici, quam novam legem conderet. Ad 4. Illud *cap.* vult tantùm, diſſolvi non poſſe Matrimonium cujusdam Galli, contractum contra leges aut conſuetudinem Franciæ, ſed extra Franciam & in Saxonia, ubi utique conſuetudo Franciæ non ſtringebat, utpote particularis. Imò ibi non tam reprobatur conſuetudo, quàm lex Civilis Francica, Matrimonium irritans.

Dico

Digitized by Google

Dico 2. Impedimenta Matrimonii tolluntur 1. per 97
abrogationem ab eo ſolo, qui illa ſtatuit. 2. Per diſpenſationem ejusdem pro caſu particulari. Sed de Diſpenſatione ſuper impedimentis, à quo & quomodo dari poſſit, alibi fuſiùs tractandum. 3. Conſuetudine contraria, ut habet hodie communis cum Sanch. *l. 7. d. 4. n.* 13. *14.* contra Fagn. & communem Antiquorum. Ratio ſumitur ex dictis; quia Conſuetudo poteſt inducere impedimenta non minùs ac Lex Eccleſiaſtica: ergo etiam habet vim abrogandi impedimenta, vel per legē vel per conſuetudinem aliquando introducta. per *c. fin. cit.* Oppones. In *c. 5. de conſang.* damnatur conſuetudo, qua abrogatur Lex Eccleſiaſtica ſtatuens impedimentum dirimens inter conſanguineos: ergo. R. cum Conink & P. Kugler *p.* 2. *q.* 2. *n. 1518.* ibi non publicam conſuetudinem, ſed aliquorum abuſum fuiſſe damnatum; cùm credibile non ſit, publicè & generatim ibi fuiſſe permiſſum, in tertio gradu conſanguinitatis contrahere, quia tunc etiam ſeptimus gradus adhuc fuit ſub prohibitione.

Dico 3. Probabiliùs defacto non ligantur hæretici in 98
noſtra Germania impedimentis Matrimonii, Jure tantùm Eccleſiaſtico ſtatutis. Ita Petrus March. Bona gratia, alii apud P. Wieſtner *ad h. t. n.* 192. qui *n.* 200. hanc opinionem ſpectata ratione & generalibus Juris principiis potiorem judicat oppoſitâ. Favent Tannerus *to.* 4. *d. 8. q. 3. n.* 112. Laym. Dicaſtillo &c. Contrariam acriter quidem propugnat P. Gobat in *Theol. Exper. tr. 9. à n. 49. & Append. 15. à n. 88.* (licèt noſtram in praxi tutam aſſerat.) citans Leſſium, Buſenbaum &c. Plures adhuc cum allegatis Laym. Tannero & Dicaſt. pro noſtra ſententia ſtant in caſu impedimenti clandeſtineitatis, uti dicemus ad *tit. III.* uti König, Kærchne, Stalenus Presbyter Congreg. Oratorii *in ſua Diſſert. Theologo-Politica part. prior. q. 4. & p. poſter. c. 4. ſeqq.* citans etiam Dianam, Stephanum Banni Gallum,

D. Moquetium. Dixi, *defacto*; scio enim, Hæreticos sicut aliis Legibus Ecclesiasticis, ita & Connubialibus obligari per se, & antecedenter vel ad præscriptionem & consuetudinem illis contrariam, vel ad conniventiam Ecclesiæ; quia hæretici omnino subsunt jurisdictioni Ecclesiæ, quam sunt ingressi per baptismum. *can. 5. d. 45.* & hanc potestatem Ecclesia semper exercuit, præcipiendo hæreticis, eos excommunicando, puniendo aliis pœnis &c. ut patet ex *1. Tim. 1. v. 19. 20. ex can. 38. 40. 43. 48. caus. 23. q. 4. & t. t. de Hæreticis.* Neque rebelles isti subditi per suam contumaciam se eximere, aut contra obedientiam omnem Ecclesiæ debitam præscribere unquam possunt, ut absolutè non amplius ei sint subjecti. *c. 12. & 16. de Præscr.* præsertim cùm Ecclesia ab ipso Christo hanc potestatem in eos acceperit. *Matt. 16. & 18.* adeóque inabdicabilem ab ipsa etiam Ecclesia.

Prob. 1. Ecclesia non videtur urgere suas leges circa impedimenta Matrimonii adversùs hæreticos, sed connivere, permittendo Matrimonia cum illis impedimentis contracta, & non irritando: ergo defacto non ligantur hæretici impedimentis à Jure Ecclesiastico latis. *Ant. prob.* Non est credibile, quòd Ecclesia urgere velit leges, ex quibus plus damni quàm utilitatis consequitur (cùm lex debeat esse utilis communitati) & quarum observantiam sperare moraliter non potest: sed ex legibus connubialibus, si eas apud hæreticos observari vellet Ecclesia, plus damni oriretur quàm utilitatis; quia Matrimonia eorum, cum impedimento Juris Ecclesiastici contracta, essent meri concubinatus & fornicationes, proles illegitimæ, animi hæreticorum, si viderent suas proles à nobis haberi pro illegitimis, magis alienarentur à Catholicis, & sic à conversione magis absterrerentur, luxuriosis daretur occasio deserendi Matrimonia, & contrahendi alia ritu Catholico &c. & hæc sine ullo fructu. Accedit, quòd non sit speranda observatio legùm

gium Ecclesiasticarum in hoc puncto apud hæreticos. 2. Per multos jam annos, utique sufficientes ad introducendam consuetudinem & præscriptionem contra Ecclesiæ leges connubiales; contraxerunt hæretici Matrimonia: ergo illis præscripserunt, & per consuetudinem contrariam derogârunt, vel abrogârunt. Idque fecerunt non ignorante Pontifice, adeóque per dissimulationem tacitè consentiente. 3. Non videtur obligare lex, cujus ignorantia est communis & ferè omnium: atqui hæretici (exceptis fortè doctioribus) ignorant communiter leges connubiales Ecclesiæ, aut saltem se ad illas non adstringi autumant. 4. Ad hominem; quia aliqui ex Adversariis admittunt, Matrimonia hæreticorum clandestina valere propter allatas ferè rationes, nempe propter consuetudinem oppositam, conniventiam Ecclesiæ, ignorantiam communem hujus legis verè obligantis &c. ergo rectè dicuntur etiam valere contracta cum aliis impedimentis Jure Ecclesiastico introductis, v. g. consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis, raptûs.

Oppones 1. Hæretici generatim obligantur legibus 99
Ecclesiæ, v. g. ad abstinendum à carnibus die Veneris &c. ergo etiam legibus impedimenta Matrimonii statuentibus. 2. Pœnâ potiùs, quàm favore & exemptione à legibus Ecclesiæ, digni sunt propter insignem perversitatem, qua leges Ecclesiæ, earúmque conditorem Pontificem spernunt, exsibilant, conculcant per summum nefas. Et quis Princeps sæcularis eximit à legibus suis rebelles subditos ratione suæ pervicaciæ? ergo nec Ecclesia pertinaces hæreticos. 3. Hæretici, si non ligentur impedimentis Ecclesiastici Juris, sunt melioris conditionis, quàm Catholici; & sic ex delicto suo reportant commodum, quod prudenter velle nequit Ecclesia. 4. Neque consuetudo eximit Hæreticos à necessitate observandi leges connubiales, neque conniventia aut tacita dispensatio Papæ: ergo. Non *consuetudo*, partim quia irrationabilis est, utpote introducta impiè, malitiosè, &

in contemptum Ecclesiæ ac Pontificiæ potestatis, adeóque est contraria Juri Divino & Naturali, quo jubemur legitimæ auctoritati parére & non impudenter obsistere: partim quia destituta est consensu Legislatoris seu Papæ, de quo prudenter præsumi nequit, quòd velit quasi in præmium rebellionis & pertinaciæ hæreticis indulgere exemptionem à suis legibus. Non *conniventia* aut tacitus consensus Pontificis, quia est mera tolerantia, & dissimulatio, non verò approbatio aut tacita dispensatio. 5. Sic poterunt Religiosi & Sacerdotes nostri, si deficiant ad hæreticos, valida inire Matrimonia; quia votum castitatis solenne tantùm Jure Ecclesiastico est pro impedimento dirimente statutum: sed consequens horrent omnes Catholici, & est contra praxim; quia reversi ad fidem semper separantur à suis appendicibus sacrilegè associatis.

R. ad 1. Quamvis obligentur legibus Ecclesiæ, quibus per contrariam consuetudinem non præscripserunt, vél quibus Ecclesia eos ligare intendit, non tamen ligantur iis, quas per consuetudinem abrogârunt, vel Ecclesia non urget. Adeóque obligantur quidem legibus Ecclesiæ per se, per accidens tamen & defacto non omnibus. Connubiales propter nostras rationes non ligant hæreticos, saltem quatenus sunt *irritantes* Matrimonium; quidquid sit, an ligent, quatenus *præceptivæ* vel *prohibitivæ* sunt. Ad 2. Quamvis hæretici *formales* potiùs pœnâ sint digni quàm favore, *materiales* tamen, quorum potior est pars, merentur, vel saltem non indigni sunt commiseratione, propter quos toti communitati indiscriminatim aliquid prudenter indulgeri potest. Dein licèt *formales* hæretici non mereantur exemptionem, eam tamen meretur tranquillitas publica, spes promptioris conversionis &c. Et materna Ecclesiæ viscera etiàm ad contumaces filios se extendunt, quorum salutem indefessâ operâ & omni possibili modo procurare laborat, non absterrita injuriis, calumniis &c. adeóque pruden-

clenter creditur dispensare vel non urgere leges suas, quæ præcisè tenderent in damnum hæreticorum sine omni sperato fructu. Et hinc paritas cum Principe sæculari non est, qui potiùs vindicare injurias, quàm prodesse rebellibus intendit. Ad 3. sæpius contingit, ut per accidens reportetur ex malitia commodum, uti etiam fit in Catholicis, qui per malitiam non recipiunt legem aliquam, vel per consuetudinem contrariam, etiam in actibus peccaminosis, dum est *in fieri*, consistentem abrogant. Quamquam absolutè melioris conditionis esse haud videantur, qui honestis & utilibus se legibus privant. Cur Ecclesia id prudenter permittat, patet ex nostris fundamentis. Ad 4. *N. Ant.* quoad utrumque membrum. *Consuetudinem* reddit *rationabilem* evitatio fornicationum & concubinatuum, prolium legitimitas, communis hæreticorum ignorantia, quòd his legibus obligentur, desperatio observantiæ obtinendæ, spes publicæ tranquillitatis, & facilioris conversionis hæreticorum &c. quorum, licèt *formales* sint, pervicacia & contemptus legum Ecclesiasticarum non immediatè repugnat Juri Divino aut Naturali, sed tantùm mediatè, sicut omnis violatio legum humanarum, per quam læditur semper obedientia Superioribus debita, & Jure tum Naturali tum Divino præcepta; quæ mediata violatio Juris Naturalis & Divini non impedit consuetudinem legi humanæ immediatè contrariam; alias nulla lex humana per consuetudinem abrogari posset. *Consensus* Legislatoris etiam non deest, quia ad minimum adest consensus Legalis Summi Pontificis, generaliter omnem consuetudinem approbantis, quæ rationabilis est & legitimè præscripta. *c. fin. de consuet.* Imò adesse non malè censetur consensus Personalis quoque tacitus, dum Pontifex scit frequentem transgressionem, & ex justis causis dissimulat, nec novis constitutionibus observantiam urget, nec contradicit. Falsum quoque est, quòd *Conniventia* Pontificis sit mera tolerantia, & non con-

ſenſus vel diſpenſatio tacita, quando ex una parte nihil ſit contra Jus naturale aut divinum, ex altera verò res concernit integra regna & communitates amplas, & ex negato tacito conſenſu ſequerentur plurima mala ſine omni ferè ſpe alicujus boni, uti hic. Ad 5. *N. ſequelam*; partim quia non eſt conſuetudo integræ communitatis cum voto ſolenni contrahere Matrimonia, partim quia Eccleſia non poteſt præſumi conſentire tacitè in Matrimonium ſacrilegè contrahendum; nam cum voto etiam Jure Naturali ac Divino, præciſa lege Eccleſiaſtica, ſaltem illicitum eſt inire Matrimonium: imò his Matrimoniis ſemper poſitivè & explicitè ſe oppoſuit Eccleſia. Sed traditam huc uſque doctrinam, uti reliquam omnem, obſequentiſſimo animo deciſioni ac judicio Eccleſiæ humillimè ſubjicio.

100 Dico 4. Non modò validum, ſed etiam licitum eſt contrahere Matrimonium cum dubio Juris poſitivo, ſeu cum opinione Juris verè probabili de non exiſtentia impedimenti dirimentis. Hanc controverſiam ſummi momenti in nullo ex impreſſis Auctoribus explicitè moram & deciſam invéni, niſi apud Cardenas in *Criſi Theol. Diſſert.* 2. *propoſ.* 1. *c.* 8. *a.* 3. & 4. atque apud P. Kugler *de Matr. p.* 2. *q.* 4. *à n.* 1533. ſed ex poſtfacto incidi in P. Viva *Propoſit. damn. propoſit.* 11. *n.* 29. & la Croix *p.* 3. *lib.* 6. *n.* 417. & 527. *ſeqq.* & *n.* 538. qui idem docent cum aliis a ſe citatis. Dixi 1. *Non modò validum, ſed etiam licitum. Validum* erit, ſi dubium vel probabilitas verſetur circa impedimentum à Jure Eccleſiaſtico dependens: ſi verò ſit dependens à Jure Naturali, & revera ſubſit, Matrimonium fortè eſt invalidum. Dixi 2. *Cum dubio ſeu opinione probabili Juris*, ſi nempe conſideratis omnibus dubium maneat de lege, Jure, obligatione, & ſolùm probabile ſit, pro hoc caſu impedimentum Matrimonii à Jure non eſſe ſtatutum (licèt oppoſitum quoque probabile ſit) v. g. valere Matrimonium ſub conditione, vel modo, ſervandi per-

perpetuam caſtitatem : initum ſub conditione de futuro : initum ab hæreticis clandeſtinè, vel cum alio impedimento Juris Eccleſiaſtici : initum coram Parocho extra propriam parochiam exiſtente : initum ab eo, qui crimen commiſit, cui neſciebat annexum eſſe impedimentum dirimens : initum cum patrino in baptiſmo neceſſitatis baptizatam levante : revalidatum ſine Parocho & teſtibus : revalidatum altero ignaro nullitatis &c. Si verò eſt dubium ſeu probabilitas *facti* tantùm, de quo haberi per ſe poteſt certitudo, v. g. ſi dubites, & tibi tantùm probabile ſit, te cum Bertha eſſe in quarto conſanguinitatis gradu conjunctum, licitè cum illa non contrahis, imò, ſi revera ſubſit dicta conſanguinitas, nec validè.

Probatur Aſſertio 1. Conſuetudo Eccleſiæ habet, ut celebrentur Matrimonia ſub opinione Juris verè probabili de carentia & negatione impedimenti; videmus enim paſſim oriri lites de valore Matrimonii & exiſtentia impedimenti tum in exemplis adductis, tum in aliis, atque ad eas decîdendas adiri Judices Eccleſiaſticos, qui ſæpiſſime decernunt pro valore Matrimonii, utpote valde favorabilis in Jure, non obſtante, quòd altera opinio, afferens adeſſe impedimentum, ſecundùm ſe eſſet tutior : ſed conſuetudo Eccleſiæ, accedens alicui opinioni verè probabili, eam reddit certam & tutam, non aliter, ac ſi lex Eccleſiæ accederet, præcipiens, vel ſaltem declarans, talem opinionem tutò obſervari poſſe; nam conſuetudo eſt lex non ſcripta, legum optima interpres, & vim habens abrogandi leges humanas, non modò certas. *c. 8. de conſuet.* ſed etiam dubias aut probabiles de impedimentis Matrimonii dirimentibus. Confirmatur : ipſi Pontifices, qui diſpenſant in Matrimonio Rato, ſequuntur ſententiam probabilem relicta tutiore, quæ docet, Pontificem in eodem diſpenſare non poſſe. 2. Urbanus VIII. à P. Joan. de Lugo, poſtea Cardinale, interrogatus circa Matrimonia Indorum Neo-

phytorum, an polygamiæ aſſueti poſſent poſt ſuam converſionem contrahere cum quacunque baptizata priùs ſibi juncta, vel utrùm adſtringerentur ad eam, quam primò in uxorem duxerant (dubium enim erat inter DD. an eorum Matrimonium, quod inierant cum primi, fuiſſet verum & validum ratione veri conſenſûs) reſpondit, *ut, ubi Doctorum ſententiæ utrinque probabiles intercederent, ſequerentur opiniones pro conditione locorum ac hominum barbaris favorabiliores, & ſinerent doctis hominibus ſentiendi libertatem.* Sic enim refert P. Nicol. del Techo in Hiſtoria Paraquariæ l. *10. c. 15.* atqui opiniones probabiles, barbaris favorabiliores, ſecundùm ſe ſunt minùs tutæ : ergo Pontifex declaravit, licere cum opinione Juris verè probabili, licèt ſecundùm ſe minùs tuta, Matrimonium contrahere. Conſequenter ex principiis indirectis, nimirum conſuetudine, & approbatione Eccleſiæ, tutum omnino eſt & licitum ſequi opiniones verè probabiles de valore Matrimonii & carentia impedimenti, eò quòd ex principiis directis in dubio Juris, ubi DD. inter ſe diſcrepant, & clarum Jus non exſtat, certitudo haberi nequeat.

101 Oppones 1. & principaliter. Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem ordine primam: *non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi:* ſed Matrimonium eſt Sacramentum, & quando agitur de impedimento dirimente illius, agitur de valore: ergo non eſt licitum tali caſu ſequi opinionem probabilẽ relicta tutiore. Confirmatur : juxta communem ſententiam non eſt licitum ſequi ſententiã illorum, qui probabile eſſe cenſent, ſufficere attactũ moralem, & non requiri attactum phyſicum materiæ, ſcilicet patenæ & calicis, in ordinatione Sacerdotis (quamvis id verè ſit probabile) quia, agitur de valore Sacramenti Ordinis : ergo à pari. 2. Datur quandoque vera probabilitas Juris, quòd

quòd aliquid Jure Naturali & Divino non ſit impedimentum, v. g. pactum de ſervanda perpetua caſtitate, contractus Matrimonialis cum prima uxore inter gentiles, qui plures ducunt uxores &c. ſed talia Matrimonia, quamvis licitè ineantur ſecundùm dicta, tamen non valent, ſuppoſito, quòd re ipſa ſint impedimenta Juris Naturalis aut Divini: ergo non ſemper valida ſunt Matrimonia cum dubio aut vera probabilitate Juris de carentia impedimenti inita. R. ad 1. Imprimis propoſitio damnata eſt intelligenda de ſequente opinionem probabilem extra caſum gravis neceſſitatis, item quando eſt periculum fruſtrationis Sacramenti: ſed ſi eſt dubium Juris, eſt aliqua neceſſitas ſequendi probabilia, cùm certitudo haberi ordinariè non poſſit, ubi Auctores diſcrepant, & ab Eccleſia nihil deciſum; ſæpe tamen Matrimonium contrahi neceſſarium vel valde utile ſit. Propter hanc cauſam vel ſimilem, quia nimis difficilis foret adminiſtratio Sacramenti Pœnitentiæ, etiam in hoc licitum eſt ſequi opinionem probabilem, v. g. abſolvere eum, qui dicit ſe dolere de peccatis, licèt Confeſſario probabile tantùm ſit eum dolere, ut docent Illſung & la Croix. Item non eſt periculum fruſtrationis Sacramenti Matrimonii, ſaltem ſi dubitetur de impedimento Juris Eccleſiaſtici; quia Eccleſia Matrimonia ſic contracta approbat, & impedimentum pro tali caſu non ſtatuit, vel aufert. Dein fortè meliùs reſpondetur *negando ſuppoſitum*, quòd ille, qui cum dubio vel vera probabilitate Juris de carentia impedimenti contrahit Matrimonium, ſequatur opinionem merè probabilem; nam omnino & ſatis certum eſt, tale Matrimonium valere, cùm Eccleſia illud certò approbet tum per conſuetudinem & praxim Judicum, pro valore ſæpe decîdentium, tum per allatã reſponſionẽ Urbani VIII. Ad *Confirm. omiſſio antec. N. Conſ. & parit.* tum quia praxis Eccleſiæ ſtat pro valore Matrimonii, non verò Ordinis in dicto caſu: tum quia in Sacramento Ordinis & aliis Sacramentis Chriſtus deter-

minavit materiam in ſpecie atoma, in qua Eccleſia nihil mutare poteſt; in Matrimonino verò pro materia determinavit contractum in genere, non in ſpecie atoma, & reliquit Eccleſiæ, quem contractum ipſa habere velit validum pro Matrimonio, vel quæ impedimenta illius ſtatuere. Ad 2. Cardenas quidem, & fortè non malè, exiſtimat, etiam in his caſibus valorem eſſe certum, partim quia id videtur colligi ex reſponſo citato Urbani VIII. partim quia Eccleſia etiam approbare ſolet talia Matrimonia, ubi eſt dubium ſpeculativum & poſitivum ac vera probabilitas circa impedimentum Juris Divini ac Naturalis, & conjuges, quando ſupérvenit dubium de impedimento Juris Naturalis poſt contractum jam Matrimonium, jubet perſeverare in conjugio, atque ſic (ut ego quidem puto) tacitè declarat, illa impedimenta non eſſe abſolutè Juris Naturalis, ſed ſolùm conditionatè, niſi nimirum Eccleſia ex juſtis cauſis approbet Matrimonia taliter contracta. Si tamen hæc reſponſio non ſatisfacit, dic, Matrimonia quidem talia, ſi revera ſubſit impedimentum Juris Naturalis, non valere, licita tamen eſſe: nec obſtat, quòd ſic Matrimonii Sacramentum exponatur periculo fruſtrationis; quia hæc tantùm eſt materialis, quæ propter juſtam cauſam non eſt vitanda: ſic juxta omnes licet in baptiſmo adhibere materiam dubiam, ubi certa haberi nequit, non obſtante periculo fruſtrationis & invalidatis baptiſmi.

§. III.

De quibusdam Impedimentis Dirimentibus in ſpecie.

Ab impedimentis in genere explicanda deinceps veniunt omnia in ſpecie: quoniam verò quædam non habent proprias ſedes, uti hæc 1. impedimentum Erroris:

roris: Metûs: Raptûs: Diſparis cultûs: & Publicæ Honeſtatis: non incongruè in primo adhuc titulo examinantur.

De Impedimento Erroris, vel Deceptionis.

SCiendum, errare nihil eſſe aliud, quàm aliud pro alio putare. *can. 6. cauſ.* 22. *q.* 2. Error igitur eſt judicium rationis perverſum de aliquo: differt â mera ignorantia, quòd hæc de ſe non importet aliquem actum cognitionis & judicium. Triplex in propoſito diſtingui poteſt & ſolet error. 1. *Perſonæ*, qui & *ſubſtantialis* vocatur, ut ſiquis putet ſe contrahere cum Bertha, ſeu cum hac fœmina in individuo, contrahat tamen cum Caia, alio individuo. 2. Error *conditionis*, intellige ſervilis: de quo non hìc, ſed *ad tit. IX. de conjug. ſervor.* 3. Error *qualitatis*, qui & *Accidentalis* appellatur, utpote non verſans circa individuum ipſius perſonæ, ſed circa ejus accidentia & qualitates, ſive dein ſint qualitates intrinſecæ, virginitas, nobilitas, nomen perſonæ, ſive extrinſecæ, uti ſunt divitiæ &c. Quilibet ex his erroribus poteſt eſſe vel *Antecedens* ſeu *dans cauſam contractui* Matrimoniali, ita ut eo non exiſtente contractus non fieret, ut ſi Titius duxit Bertham pauperem, quam putabat eſſe divitem, eam non ducturus, ſi ſciviſſet, non eſſe divitem. Vel *Concomitans* ſeu *Incidens*, h. e. *non dans cauſam contractui*, nec ad eum inducens, ut ſi Titius, qui Bertham credebat eſſe divitem, eam nihilominus duxiſſet, licèt ſciviſſet, non eſſe divitem: vel ſi contrahens cum Bertha, quam putat eſſe Mæviam, ſecundò genitam, ita habitualiter eſt conſtitutus, ut, licèt ſciret eſſe Bertham, primogenitam, nihilominus cum ea contraheret, & fortè libentiùs. Si altera pars ſe fingat talem, qualis non eſt, & ſic inducat ad ſe ducendam, cum errore conjungitur *deceptio, dolus.* 104

Dico 1. Error circa perſonam, ſive antecedens ſive 105

con-

concomitans sit, dirimit Matrimonium, & quidem Jure Naturali. Communis contra Brancat. Sylv. Cajet. Prob. 1. quia ad essentiam Matrimonii Jure Naturali requiritur consensus voluntarius in personam determinatam, quam quis animo concepit. *caus. 29. q. 1. §. error verò. & c. 26. h. t.* sed hunc consensum tollit error circa personam; nam *errantis voluntas nulla. l. 8.* & *nullus est errantis consensus. l. 9. C. de J. & F. J.* Et hinc nullus contractus habetur pro valido, ubi error, consensum voluntarium tollens, intervenit. *l. 57. ff. de O. & A.* Prob. 2. Error circa substantiam, sive circa objectum substantiale, tollit consensum omnino circa tale objectum: ergo error circa personam quoque tollit consensum in illam; nam contrahens Matrimonium non vult consentire in personam quamcunque præsentem, sed in eam, quam sibi in animo determinatè repræsentat; hæc siquidem est primum & substantiale objectum contrahere Matrimonium volentis. Addidi, sive *concomitans* sit; nam etiam talis error, si circa substantiam personæ versetur, facit involuntarium consensum saltem negativè, seu non voluntarium, eò quòd taliter errans revera nec actualiter nec virtualiter intendat contrahere cum hac, sed cum alia persona, quam animo concepit: nec refert, licèt habitualiter ita constitutus sit, ut vellet consentire in hanc, quacum per errorem contrahit, & fortè libentiùs, si eam cognosceret; quia Matrimonium (uti & alii contractus) nascitur ex consensu, qui re ipsa datur actu, vel actu fuit datus, ac virtualiter perseverat, non ex eo, qui daretur facta hypothesi; cùm talis consensus re ipsa non detur: item requiritur consensus positivè voluntarius in personam mente conceptam, seu voluntas actualis, vel priùs habita, adhuc tamen virtualiter perseverans; non verò sufficit voluntas aut consensus merè habitualis, aut involuntarius saltem negativè.

104 Oppones 1. Alios contractus error circa materiam non

non vitiat, modò materia ſit ejusdem valoris & utilitatis, ut ſi emas vinum Francónicum pro Werthemienſi, ſi illud eſt æquè bonum ac ſalubre. 2. Multò minùs vitiat error circa ſubſtantiam perſonæ, ut ſi putes te vendere equum Sempronio, vendas autem re ipſa Mævio: ergo nec Matrimonium vitiat error circa materiam, vel perſonam. 3. In aliis Sacramentis valorem non impedit error circa perſonam, ut ſi Sacramentaliter abſolvas Petrum, putans eſſe Paulum: ergo à pari. 4. Jacob validè contraxit cum Lia. *Gen. 29.* quamvis putaverit, ſe contrahere cum Rachéle; nam Lia fuit à Laban fraudulenter ſubſtituta: ergo error circa perſonam non eſt impedimentum dirimens ſaltem Jure Naturali. R. ad 1. *diſt. aſſertum:* alios contractus non vitiat error circa materiam, ſi una materia ab altera non differat ſubſtantialiter in morali æſtimatione. *tranſ.* ſi differat. *negatur.* In dicto exemplo error potiùs eſt circa qualitatem & accidens, quàm circa ſubſtantiam. In Matrimonio autem una perſona differt ſubſtantialiter ab altera in æſtimatione morali. Ad 2. *diſt. Ant.* error circa perſonam non vitiat alios contractus, quando illa non eſt ſubſtantiale objectum volitum, utì ordinariè non eſt, quia contractus alii ordinariè tantùm reſpiciunt æqualitatem interem & pretium. *C. Ant.* Quando perſona eſt ſubſtantiale objectum volitum. *N. Ant. & Conſ.* in Matrimonio ipſa corpora individualia ſunt materia & objectum, circa quod fit contractus. Ad 3. Nihil intereſt miniſtri aliorum Sacramentorum, v. g. Sacerdotis abſolvere intendentis, utrùm Petrum vel Paulum abſolvat, & hinc non reſtringit vel alligat ſuam intentionem ad certum individuum, ſed intendit abſolvere perſonam præſentem, a cujus peccata audivit, quæcunque illa ſit. Econtra multùm intereſt contrahentis Matrimonium, qua cum perſona contrahat, eò quòd ad individuam vitæ ſocietatem ſe obliget cum ea; & hinc in aliam non conſentit, niſi in perſonam mente conceptam, ac non in præſen-

tem

tem (saltem ordinariè, & nisi actualiter ita tendat in animo) quæcunque illa fuerit. Ad 4. Jacob post deprehensum errorem ac deceptionem cum Lia de novo contraxit; prior enim consensus stante errore non valuit, & hinc copula fuit materialiter fornicaria.

105 Dico 2. Error circa qualitatem, licèt antecedens sit, aut ex alterius dolo proveniens, non dirimit Matrimonium per se. Iterum communis contra Medin. & Præpos. Desumitur partim ex *caus. 29. q. 1. §. Error fortuna. & q. 2. seq.* partim ex paritate cum aliis contractibus; quos error accidentalis, seu versans circa qualitates, non irritat. *l. 11. §. 1. l. 43. &c. ff. de contrah. empt.* partim ex natura rei, quia talis error non tollit consensum quoad substantiam, sed solùm reddit involuntarium secundùm quid, nempe circa accidentia personæ, & circa rationes impulsivas extrinsecas: manet igitur consensus substantialis circa personam, quæ est materia & objectum substantiale, super quo contrahitur. Confirmatur: si error circa qualitates vitiaret Matrimonium, plurima Matrimonia deberent dissolvi, vel saltem impugnari ut dubia possent, maximo cum damno prolium, conjugum, & ipsius etiam Reipublicæ incommodo (innumeri enim circa qualitates, quas si deesse vel adesse sciviſſent, cum tali persona non contraxissent, quotidie decipiuntur) ergo nec Jus Naturale, nec Positivum, errorem accidentalem pro impedimento dirimente statuit. Concordat praxis tribunalium, errorem circa qualitates non curantium. Dixi tamen, *per se*. Nam error etiam circa qualitatem irritat Matrimonium 1. si contrahens, actualiter vel virtualiter (internè vel externè) qualitatem adduceret in conditionem, seu si consensum suum qualitati tanquam conditioni alligaret, dicendo v. g. *si es virgo, dives &c. intendo tecum contrahere, aliàs non.* Ratio est clara, quia actus sub conditione de præsenti celebratus conditione non subsistente non subsistit. *l. 37. ff. de reb. cred.* & talis qualitas non ampliùs habet

bet ſe per modum cauſæ impulſivæ aut demonſtrationis tantùm, ſed ſit pars objecti principalis. verbo: actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. Interim tamen nullius, niſi exteriùs proferat, præſumitur ſic alligâſſe conſenſum qualitati, nec aſſerenti creditur in foro externo, niſi probet. Irritat 2. Si error qualitatis redundet in perſonam; quia tunc cenſetur eſſe error circa perſonam. Quandonam verò error redundet ſeu refundatur in perſonam, arduum eſt explicare, & Auctores intricatè loquuntur. Sanch. *l. 7. d. 18. à n. 26.* poſt longum diſcurſum demum *n. 38.* concludit, tunc id fieri, quando contrahens errat circa qualitatem, quæ certam perſonam deſignat, contrahenti priùs ignotam absque illa qualitate, modò non conſtet aliunde, quòd mens contrahentis fuerit contrahere cum perſona præſente, quæcunque illa ſit. In eundem ſenſum, ſed fortè clariùs, loquitur P. Illſung *tr. 6. d. 9. n. 68.* juxta quem tunc error qualitatis redundat in perſonam, *ſi qualitas ſit individualis determinatio ipſius perſonæ: ut ſi velles contrahere cum primogenita, & tibi ſiſteretur ſecundò genita. Si autem hanc, quacum contrahis, tantùm putas eſſe primogenitam, & tua intentio non fertur in illam, quatenus eſt primogenita, nondum fuit error in perſona.* Vel dic cum Gobat *tr. 9. n. 113.* errorem qualitatis redundare in perſonam, quando qualitas eſt finis Matrimonii, & Matrimonium eſt unicum medium ad finem illum ſeu qualitatem aſſequendam.

Oppones 1. Conſenſus contrahentis tendens in per- 106
ſonam & qualitatem, ſeu in perſonam ut affectam hac qualitate, eſt indiviſibilis: ergo pro partiali objecto etiam habet qualitatem: ſed ſublato objecto, etiam partiali tantùm, perit actus ſeu conſenſus indiviſibilis: ergo non exiſtente qualitate non datur conſenſus in hanc perſonam. 2. Si error qualitatis eſt antecedens & dans cauſam contractui, tollit conſenſum etiam in perſonam, quia

quia errans non contraxiſſet cum hac perſona, ſi ſciviſſet eam carere illa qualitate. 3. Dolus dans cauſam contractui bonæ fidei facit contractum nullum. *l. 7. ff. de dolo*: ergo ſaltem, ſiquis erravit circa qualitatem inductus dolô alterius, ſe virginem, divitem &c. ſingentis, Matrimonium erit nullum. R. ad 1. hoc argumentum probaret nimium, & nullum ferè contractum ſubſiſtere; quia vix unquam intenditur ſola ſubſtantia rei, omnibus qualitatibus viduata, & rariſſimè contingit, ut omnes qualitates, quæ ad contrahendum impellebant, ſic ſe habeant, utì objiciebantur priùs voluntati. In forma *diſt. Ant.* eſt actus indiviſibilis entitativè & in ſua tendentia. *C. Ant.* objectivè, ita ut indiviſibiliter nolit objectum, niſi omnis qualitas in eo repræſentata ſubſiſtat. *N. Ant.* perit quidem actus indiviſibiliter tendens, ſi perit partiale objectum quoad repræſentationem; non verò, ſi perit ſolùm quoad exiſtentiam, & qualitas eſt accidentalis, nec ei alligatur conſenſus. Ad 2. quamvis error qualitatis det cauſam contractui, ſi tamen qualitati tanquam conditioni non alligetur conſenſus, abſolutè adeſt conſenſus in perſonam; quia taliter errans ſic tendit: *ego duco Bertham, quam puto eſſe virginem, divitem &c. non ducturus, ſi ſcirem non eſſe virginem, divitem &c.* Nec attenditur, quid aliquis facturus eſſet in hypotheſi ſcientiæ, ſed quid actu faciat: actu autem vult abſolutè ducere Bertham. Sic etiam valet eleemoſyna, quam das pauperi, quem putas eſſe pium, licèt non dares, ſi ſcires, non eſſe pium. Aliud foret, ſi errans ſic tenderet: *ego nolo Bertham ducere, ſi non ſit virgo, dives &c.* Siquis enim actu ponat hanc conditionem, aut priùs poſuit, non tamen revocavit, & ſic virtualiter perſeveret in hac voluntate, alligat ſuum conſenſum exiſtentiæ qualitatis, conſequenter ea non exiſtente non conſentit abſolutè in hanc perſonam. Hæc igitur longè diverſa ſunt: *nollem Bertham ducere, ſi ſcirem, non eſſe virginem.* Et: *nollem Bertham*

duce-

ducere, si non esset virgo. Prior consensus est absolutus: posterior conditionatus. Ad 3. In meis principiis, quæ tradidi ad *tit. 14. de dolo & cont. in lib. II.* falsum est *Antec.* Alii negabunt *Cons.* & excipient Matrimonium & Professionem Religiosam.

Quæres, an valeat Matrimonium, si alter, vel uterque 103
contrahentium, putet per errorem, se laborare impedimento dirimente, quod revera non subest? R. cum Sanch. Guttier. Covar. &c. contra Panorm. Sylv. Navar. valet, si contrahentes consentire intendant, quantùm possunt: quia erroneum judicium non facit personas ad contrahendum inhabiles. Oppones. Nemo potest velle efficaciter, quod credit esse impossibile: sed contrahentes cum opinione impedimenti dirimentis credunt sibi Matrimonium esse impossibile: ergo. R. *Dist. Ma.* nemo potest velle absolutè, quod credit impossibile. *C. Ma.* non potest velle conditionatè, si, & quantùm possum. *N. Ma.* Sic validè contrahunt Matrimonium hæretici, & quidem in ratione Sacramenti, licèt putent per errorem, illud Sacramentum non esse, & impossibile judicent Matrimonium in ratione Sacramenti contrahi.

De Impedimento Vis, & Metûs.

SCiendum 1. per *vim* intelligi coactionem omnimo- 104
dam & corporalem de præsenti illatam reluctanti, ut si violentè cogaris ad porrectionem manûs, quæ habetur & accipitur pro signo consensûs; quæ violentia, & *vis absoluta*, cùm omnem consensum excludat, Matrimonium utique irritat. Per *Metum*, verò, seu *vim conditionalem*, intelligi trepidationem mentis ratione periculi instantis vel futuri. *l. 1. ff. de eo, quod metus causâ.* igitur ex metu fieri dicitur, quod quis facit malî declinandi causâ, alioquin non facturus. Metus alius

est & vocatur *gravis*, seu cadens in virum (vel fœminam) aliàs constantem, h. e. qui difficulter est superabilis propter imminens malũ, quod vel vir prudẽs in foro interno, vel Judex in foro externo judicaverit esse tale, ut virum vel fœminam meritò terrere graviter, & ad aliquid faciendum impellere possit, quod aliàs non faceret. Unde ad metum gravem (qui aliàs etiam vocatur *probabilis*, vel *justus*, non eo sensu, quòd justè incutiatur, sed quòd meritò impellere ad aliquid possit) requiritur 1. ut malum, quod intentatur, sit grave in se, vel absolutè vel respectivè, & non præcisè in imprudenti apprehensione hominis meticulosi, ut docet Coninck de Matr. *d.* 28. *n.* 29. contra Gobat & alios. 2. Ut non vanè ac leviter, sed probabiliter credatur imminere. 3. Ut non facilè declinari possit alio modo, v. g. per implorationem auxilii. Porro sicut malum aliud est absolutè grave, seu quod omnes vel plerique homines habent pro gravi, uti est mors, mutilatio, cruciatus corporis per acerba verbera, carcer perpetuus, gravis infamia, excommunicatio, amissio statûs, honoris, omnium bonorum, vel etiam magnæ illorum partis &c. Aliud verò solùm respectivè grave, scilicet respectu certarum personarum, quæ minùs sunt fortes, uti sunt juvenes, fœminæ, virgines, vel viri etiam, ex natura sua meticulosiores: ita metus alius est *absolutè gravis*, alius *respectivè gravis*. In dubio & casibus particularibus relinquitur arbitrio Judicis, pro foro externo decidentis, an metus fuerit gravis vel levis. Ex quibus jam satis appareat, quid sit *metus levis*, qui nempe à viro vel fœmina constante facilè vincitur, eò quòd malum, quod intentatur, grave non sit, vel facilè declinabile, vel imprudenter credatur imminere. Metus levis nec in externo nec in interno foro irritat Matrimonium, uti plerique conspirant. An metus *Reverentialis*, quo liberi parentibus, vel subditi principibus, vel alii Majoribus non audent contradicere ex reverentia, sit pro gravi vel levi haben-

habendus, disputant DD. & meliores eò collimant, quòd purè Reverentialis ex se gravis non sit (cùm alias terè nullus contractus liberorum præsentibus parentibus, vel inter subditum & dominum initus, foret firmus) fiat tamen gravis, si accedant graves minæ, importunæ preces, severi vultus, continuæ exprobrationes, vel alia signa gravis offensæ vel incursæ vel incurrendæ. Atque sic bene conciliantur leges, quarum aliquæ metum Reverentialem pro justo seu gravi, ut *l. penult. ff. de furt. l. 1. §. 6. ff. quarum rer. actio.* aliæ verò pro non gravi reputant.

Sc. 2. Metum incuti posse 1. vel à causa naturali & 108
creatura irrationali, v. g à morbo, naufragio &c. vel ab homine libero. 2. Ab eo, quocum Matrimonium contrahitur, vel ab alio. 3. Justè, vel injustè. 4. Directè ad extorquendum Matrimonium, vel propter alium finem. v. g. Vis alterum occîdere & illatum tibi injuriam ulciscì, nihil dicens de Matrimonio, alter verò ut furorem tuum mitiget, ac vitam servet, tibi filiam suam offert in Matrimonium. Quomodocunque incutiatur, non præsumitur incussus, nisi metum asserens illum probet, saltem per præsumptionem & conjecturas graves, cùm metus aliunde sit difficilis probationis; & hinc ad testificandum etiam habiles sunt amici, consanguinei, testes singulares, imò sufficit unus testis de visu &c. P. Kugler *de Matr. p. 1. n. 122.* Si omnibus consideratis manet dubium, an Matrimonium tali metu, quo illud redditur invalidum, contractum sit, nec ne, præsumendum est pro valore, scilicet propter favorem Sacramenti, prolis, imò & Reipublicæ.

Sc. 3. Extra controversiam esse, Matrimonium valere initum ex metu levi, imò etiam ex metu gravi, justè tamen incusso, v. g. â Judice Ecclesiastico compellente ad standum Sponsalibus, vel incusso à causa non libera. Pariter certum est, non valere, si extorquentur metu *injustè*, *directè* & determinatè incusso ad illud obtinendum,

juxta *c.* 14. *c.* 15. *c.* 28. *h.t.* nec refert, licèt non incuſſus ſit à parte contrahente, ſed ab alio tertio ſine notitia illius, ut patet ex caſu *c.* 15. *cit.* aut licèt per metum non adigatur aliquis ad contrahendum cum perſona determinata, ut habet communior ex *c.* 14. *cit.* quia adactus ad ſimpliciter contrahendum, qui cum nulla vellet contrahere, caret conſenſu ſpontaneo ad Matrimonium requiſito. Controverſum tamen eſt 1. An Matrimonium interveniente injuſto metu initum, ſi metus non directè & determinatè ad contrahendum, ſed ex alio fine incuſſus ſit, pro irrito habendum, an juramento intervenien-te, & an in utroque foro, tam interno quàm externo. 2. Quo Jure ſit invalidum metu extortum. 3. Quomodo ſanari valeat nullitas Matrimonii metu contracti. Porro metum *injuſtum*, ſeu *injuſtè* incuſſum, voco illum cum communi, qui incutitur ab eo, qui jus incutiendi non habet, ut ſi pater deprehendat juvenem cum filia in flagitio, eique mortem minitetur, niſi filiam ducat. *c.* 15. *cit.* Econtra juſtè incuteret pater, ſi minitaretur accuſationem apud Judicem, niſi filiam ducat; quia ad accuſandum habet jus, non ad occîdendum, propter delictum.

110 Dico 1. Matrimonium, metu gravi injuſtè incuſſo initum, eſt invalidum, quando metus eo fine & directè eſt incuſſus, ut extorqueatur Matrimoniū, utì dictū. 2. Et quidem in foro tam interno quàm externo. 3. Non obſtante, quòd juramentô firmatum ſit. Pars 1. eſt omnino certa ex *cc. citt.* quæ Jura irritârunt, vel irrita declarârunt Matrimonia injuſtè extorta metu; quia non ſunt planè libera, ac infelices ſolent ſortiri exitus, &, ſi valerent, metum injuſtum paſſi ab injuria ſibi illata liberare ſe nunquam poſſent ampliùs. Pars 2. Sumitur ex *c.* 2. *de eo, qui duxit.* ubi expreſsè approbatur Matrimonium poſtea cum alia parte liberè initum, & nullum declaratur, quod priùs erat metu extortum: quod fieri non potuiſſet, ſi non etiam in foro interno fuiſſet nullum.

Item

Digitized by Google

Item ex *c. 14. cit.* ubi Matrimonia metu inita dicuntur nulla, quòd deficiat conſenſus ſpontaneus a Jure requiſitus : ſed ſine conſenſu debito actus & contractus pro omni foro, etiam interno, ſunt irriti. Pars 3. quam tenet communis contra nonnullos cum Richardo, claret ex *d. c.* 2. ubi Matrimonium, metu initum, fuit etiam juramentô confirmatum, & tamen declaratur nullum: ergo juramentum nullam peperit obligationem. Dein Matrimonium metu extortum eſt irritatum propter bonum commune : ergo etiam juramentum eſt irritatum. *arg. c.* 12. *de for. comp. & c.* 27. *de Jurejur.* Quia eſſet in præjudicium alterius, & boni publici. Confirm. juramentum ſequitur naturam actûs, cui adjicitur. *c.* 25. *eod.* ergo eſt acceſſorium, quod ruit ruente principali.

Oppones 1. Matrimonium ſolo conſenſu perficitur. 111
c. 14. cit. ergo ſiquis non obſtante metu revera conſentiat internè, valebit Matrimonium in foro interno : ſemper autem verus conſenſus internus & liber adeſſe poteſt ; quia nulla vi nullo metu impedibilis eſt, ſi contrahens eum velit ponere. Eccleſia verò irritat tantùm ideo Matrimonium, quia præſumit, ſtante metu non adeſſe conſenſum internum, quæ præſumptio cedere debet veritati. 2. Omne juramentum, quod non eſt in præjudicium tertii, nec in diſpendium ſalutis æternæ, ſervari debet, ex virtute Religionis ſaltem, uti juramentum, ſub quo ſolvere uſuras aliquis promittit. *c. 6. 8. 28. de jurejur.* ſed juramentum Matrimonio extorto adjectum non cedit in præjudicium tertii, ſed tantùm in præjudicium jurantis, nec in diſpendium ſalutis æternæ, cùm ſine peccato ſervari poſſit : ergo. Confirm. ex *can.* 22. *cauſ.* 22. *q.* 4. ubi approbatur Matrimonium juratum cujusdam Hubaldi licèt ex metu contractum. Dein ſi tale juramentum non faciat valere ipſum Matrimonium metu initum, ſaltem habebit vim efficiendi Sponſalia valida, quia juxta nos Sponſalia metu extorta

valent; eò quòd, *ſi actus non valet, ſicut geritur, valeat eo modo, quo valere poteſt*, ut habet commune brocardicum. R. ad 1. *diſt. Ant.* Matrimonium ſolo conſenſu qualicunque perficitur. *N. Ant.* tali, qualem Jura requirunt, ſcilicet ſpontaneo & libero ab injuſto metu gravi. *C. Ant. & N. Conſ.* Stante metu injuſto nunquam adeſt verus conſenſus internus debitè liber. Dein falſum eſt, quòd Eccleſia irritans Matrimonium metu extortum fundetur in præſumptione non poſiti conſenſûs interni (cùm non præſumat fictionem & mendacium contrahentis ex metu) ſed fundatur in veritate conſenſûs non ſponte poſiti, & per injuriam obtenti, ex quo graviſſima timeri poſſunt incommoda. Ad 2. *transm. Ma. N. Min.* tale enim juramentum, ſi obligaret, præjudicaret Juri Canonico propter bonum publicum irritanti Matrimonium metu extortum; unde cenſendum eſt & ipſum juramentum irritatum eſſe, eò quòd ſine violatione Juris Canonici, adeóque ſine peccato ſervari nequeat. Aliud eſt de juramento promittentis uſuras; quia ſolvere uſuras nec eſt peccatum per ſe, nec prohibitum à Jure Canonico (licèt exigere uſuras ſit prohibitum omni Jure) nec irritatum propter bonum publicum & commune. Accedit, quòd juramentum Matrimonio adjectum non ſit *Promiſſorium*, & de futuro, utì objectio ſupponit, ſed *Aſſertorium*, & de præſenti, quòd contrahens non fictè ſed verè conſentiat: quamvis autem conſenſus ſit verus & non fictus, per juramentum tamen adjectum non ſit ſpontaneus, quem Jura ad valorem Matrimonii requirunt. In *can.* 22. *cit.* non approbatur Matrimonium jam contractum ex metu, ſed liberè contrahendum de novo, ceſſante metu injuſto, ad quod ille Hubaldus aliunde tenebatur, ut honeſtaret concubinam. Quod additur, quaſi juramentum haberet ſaltem vim Sponſalium, gratis dicitur; cùm nec Matrimonium metu extortum, utpote ſimpliciter irritatum habeat vim Sponſalium (quod enim nullum eſt, nullum

parit

parit effectum) cur ergo habeat juramentum adjectum? cùm juramentum sequatur naturam actûs. Certè Matrimonium clandestinum, etiam juratum, non habet vim Sponsalium.

Quæres, an quoque irritum sit Matrimonium ex metu gravi ihjustè incusso contractum, si metus non directè ad extorquendum Matrimonium, sed ex alia causa, est incussus, metum tamen passus eligit Matrimonium ad evitandum malum, quod ipsi alius injustè molitur inferre? v. g. Titius à Sempronio injustè impeditur à consecutione prædii, ad quod habet jus; proin ut declinet amissionem prædii, quam timet ob potentiam Sempronii, offert se ad ducendam filiam Sempronii in conjugem. Vel ad idem se offert, quia aliàs non dimittetur ex carcere, in quem à Sempronio Judice est injustè compactus. Idem est, si v. g. Caia decumbat ægra, Medicus verò, licèt ex officio & justitia teneretur, tamen illi negat operam suam & curationem: quam ut impetret, & sic periculum mortis evitet, cum Medico vel ejus filio inire Matrimonium spondet, illúdque contrahit. R. non est irritum. Sanch. qui *l. 4. d. 12. n. 3.* hanc opinionem vocat *cerrissimam apud omnes*, Perez, qui *d. 17. s. 9. n. 3.* eam dicit veram & *communissimam Doctorum*, Tambur. qui in eadem *convenire* ait *omnes*, Suar. Dicast. Conink, Barb. Gob. P. Conrad. Vogler in doctissimo *Tract. de Sponsal. d. 5. s. 7. n. 10.* Dissentiunt tamen Vera-Crux, P. Wiestner, P. Schmalzgrueber, & alij cum & apud Card. Lug. *de J. & J. d. 22. s. 7. n. 175. & 177.* quibus & ego aliquando jam adhæsi, sed re meliùs examinata sentio cum communi, quam probo sic: 1. negativè; quia non sufficienter probatur nullitas Matrimonii pro casu, quo metus non directè, & non Matrimonii causâ, incutitur. 2. Quia Jura, quando irritant Matrimonium metu extortum, loquuntur de metu directè ad extorquendum Matrimonium illato, quæ, cùm correctoria sint & recedant à Jure Naturali, extendi non de- 112

bent ad casum non expressum, etiam ob paritatem rationis. 3. Quia Jura irritando Matrimonia metu extorta id faciunt ob vim injuriosam, non quamcunque, sed intentam contra Matrimonii libertatem (per *vim* non intelligo vim præcisam in hac materia & physicam, sed, convenienter Juribus, moralem, vel conditionatam, seu metum) atqui vis talis non est, quæ non dirigitur ex intentione inferentis ad extorquendum Matrimonium; sicut enim nemo dicet, fœminæ vim inferri in pudicitia ab eo, qui illam spoliare nititur bonis fortunæ, illa verò ad vitandum hoc malum se offert ad impura; vel si fœmina bonis exuta postmodum vivat impudicè, ut turpi quæstu se alat; licèt illa vis, vel spoliatio, fuerit injusta causa impudicitiæ, aut turpitudinis meretriciæ: ita nec vim Matrimonio aut hujus libertati facere censendus est, qui injustè vexat fœminam, hæc verò ad hanc vexam evitandam offert se ad Matrimonium; cùm ad Matrimonium à nemine compellatur, & ipsa sponte illud eligat tanquam medium ad evitandam injustam vexam: ergo.

Oppones 1. Ideo Jus Canonicum irritavit Matrimonia metu injusto extorta, quia intervenit injuria, & defectus libertatis plenæ, ac spontanei consensûs, qua de causa infelices post se trahunt exitus. *c. 14. cit.* sed injuria, & dictæ rationes Juris, reperiuntur etiam in casu, quo metus injustus non directè ex intentione Matrimonii, sed ex alia causa, est incussus: ergo. Confirmatur: in *d. c. 14.* non exprimitur, quo fine sit incussus metus: ergo ex quocunque fine fuerit incussus, irritat Matrimonium. 2. Professio Religiosa est irrita, licèt metus gravis injustè, non verò incutiatur directè ad illã extorquendam, sed ex alio fine; puta, si maritus intentat mortẽ uxori ob adulterium, quod suspicatur, milites verò qui ad illam trucidandam erant constituti, *pietate ducti* vitam eidem donant sub conditione, si fieret monialis, uti casus est in *c. 1. de his, quæ vi.* ergo etiam Matrimonium est irritum, licèt ex

alio

alio fine incutiatur metus; cùm à Matrimonio Spirituali procedat argumentum ad Carnale. R. ad 1. Injuria ſola non ſufficit; alias etiam metus levis injuſtè incuſſus ſufficeret ad irritandum Matrimonium: neque infelices exitus, quia etiam timendi ſunt ex Matrimonio juſtè per metum extorto: neque adimitur libertas Matrimonii & ſpontaneus conſenſus, quando metus non intuitu Matrimonii, ſed ex alio fine incutitur, quæ libertas, per metum imminuta, eſt præcipua cauſa, cur Jus irritaverit Matrimonium: ergo in præſenti caſu non datur adæquata ratio, cur irritatum ſit Matrimonium propter metum. Adde, quòd, licèt daretur adæquata ratio, propter eandem tamen rationem non ſit extendenda lex odioſa. Ad *Confirm. N. Ant.* ſi enim in facti ſpecie, quæ refertur in *c. cit.* mulier non timuit propter Matrimonium, cur mulier perſonaliter fuit ſequeſtrata in loco tuto, donec lis de Matrimonio eſſet finita? cur timebatur fictio, ne mulier diceret, ſibi placere nuptias, quas oderat? Ad 2. *N. Ant.* quomodo enim aliter vis moralis, ſeu metus, infertur directè, niſi dicendo: *aut morere, aut pecunias da* (uti ſolent latrones) *aut Religionem ingrēdere, aut occīdemus te.* Deinde poſſet etiam negari *Conſ.* quia argumentum ab uno ad alterum non videtur valere in lege odioſa, & Juris correctoria.

Dico 2. Matrimonium metu gravi injuſto initum non 115
Jure Naturali, ſed Poſitivo Eccleſiaſtico tantùm, eſt irritum. Ita communior & verior cum Suar. *de Relig. to. 2. tr. 6. l. 1. c. 7. n. 20.* Sanch. *l. 4. d. 3. & 14. n. 2.* Laym. Lug. Pirhing, Wieſtner &c. contra Scotum, Covar. Molin. Pont. Barb. Gonz. König, Gletle, Schmier &c. Probatur 1. Jure Naturali ad contractuum valorem plus non requiritur, quàm conſenſus ſimpliciter voluntarius ac liber, & titulus; plus enim probari nequit: ſed licèt interveniat metus gravis injuſtè incuſſus, in contrahente tamen Matrimonium adeſt adhuc conſenſus,

Digitized by Google

ſimpliciter voluntarius ac liber, & inſuper titulus: ergò de Jure Naturali valet Matrimonium metu gravi injuſto initum. Quòd adſit *conſenſus* ſimpliciter voluntarius ac liber, manifeſtum eſt tum ex natura actûs voluntatis interni, qui abſolutè cogi & directè impediri à nulla vi creata poteſt, quò minùs liberè ac voluntariè, ſi priùs id cognoſcat, feratur in objectum: & quamvis per metum fiat in voluntarius conditionatè ac ſecundùm quid, & cauſetur aliqua nolleitas, qua quis nollet contrahere, niſi aliud malum metueret, & conſequenter minuatur libertas, abſolutè tamen manet actus voluntarius, & ſimpliciter liber: tum ex *l. ſi mulier* 21. §. 5. *ff. quod metus causâ*, & aliis legibus, ex quibus habetur, quòd coacta voluntas ſit voluntas, & coactus metu verè adhuc velit; quia eligit minus malum, utì ipſi apparet, præ majori. Quòd autem non deficiat *titulus*, conſtat, quia traditio juris in corpus eſt titulus in Matrimonio: ſed hanc traditionem facit etiam metum patiens: ergo. Confirmatur: omnes alii contractus ſpectato ſolo Jure Naturali valent, ut habet communis ex *c.* 2. *de his, quæ vi. & l. fin. C. eod.* quidni ergo & Matrimonium? Prob. 2. Si Matrimonium metu injuſto extortum Jure Naturali eſſet irritum, tunc vel propter defectum conſenſûs, vel ratione intervenientis injuriæ: ex neutro capite eſt irritum; non propter *defectum conſenſûs*; aliàs etiam metus gravis juſtè incuſſus, vel à cauſa non libera, v. g. morbo, irritaret Matrimonium; quia non minùs minuit voluntariũ ac liberũ, quàm metus à causa libera injuſtè incuſſus: non ratione intervenientis *injuriæ*; quia aliàs etiam metus levis injuſtè incuſſus, vel dolus decipientis contrahentem in qualitate, v. g. fingentis ſe virginem, divitem &c. irritaret; quæ nec Adverſariis placent. Et hinc omnia ferè argumenta Adverſariorum in ipſos retorqueri poſſunt vel in metu gravi juſtè, aut à cauſa naturali incuſſo, vel in metu injuſto levi, aut dolo accidentali, ut conſideranti patebit.

Oppo-

Digitized by Google

Oppones 1. In *c.* 14. 15. 28. *h. t.* & *c.* 2. *de eo, qui* 114
duxit, ex quibus probatur, impedimentum metûs esse Juris Ecclesiastici, non primùm introducitur, sed jam supponitur hoc impedimentum tanquam introductum Jure anteriori: sed Jus anterius nullum est nisi Jus Naturale: ergo. 2. In *c.* 14. *cit.* expressè dicitur, quòd *locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit*: ergo, cùm consensus requiratur Jure Naturali ad Matrimonium, istud non valet Jure Naturali, si metus interveniat. 3. Si spectato Jure Naturali Matrimonium meticulosum subsisteret, Natura non satis providisset metum passis, cùm permitteret eos perpetuò ac indissolubiliter alteri injuriam inferenti obligatos, nec providisset remedium contra talem injuriam; quod admitti nequit. 4. Quod repugnat finibus Matrimonii, irritat Matrimonium Jure Naturali: sed metus repugnat finibus Matrimonii, nempe fidei, individuæ societati, conjunctioni animorum & corporum, ac insuper alia mala ex tali Matrimonio coacto sequuntur. 5. Ex injustitia, quæ datur in metu injustè incusso, non potest oriri justitia seu obligatio ex justitia: ergo. R. ad 1. *C. Ma. N. Min.* nam ex nostris fundamentis eruitur, Matrimonium non esse irritatum Jure Naturali: ergo illud Jus anterius debet esse Positivum, nempe vel vivæ vocis oraculo, vel scripto, quod postmodum periit, ab Ecclesia introductum, vel consuetudine, aut traditione. Exemplum habes in Matrimonio inter cultu dispares, seu inter fidelem & infidelem, quod etiam Adversarii fatentur Jure Ecclesiastico tantùm esse introductum, licèt textum, quo primitus irritatum sit, in toto Jure Ecclesiasto non reperiant. Ad 2. utì & reliqua omnia, memor esto retorsionum in metu justè incusso, vel injusto levi, de quibus te monui *n. præced.* In forma *dist. Ant.* consensus perfectè liber & spontaneus, quem ibi Jus Ecclesiasticum requirit ad valorem Matrimonii, non habet locum, ubi intercedit metus. *C. Ant.* simpliciter voluntarius & absolu-

ſolutè liber, quem ſolum requirit Jus Naturale ad Matrimonium & alios contractus. *N. Ant. & Conſ.* Ad 3. Natura ſatis providit metum paſſis, quòd legitimo & Eccleſiaſtico Magiſtratui dederit poteſtatem irritandi Matrimonium metu injuſto extortum, uti & de facto irritavit ex juſtis cauſis, propter quas Jus Naturale prohibuit (non irritavit) hujusmodi Matrimonia. Deinde ipſum Jus Naturale attulit remedium prohibendo ſub pœna æterna incuſſionem gravis metûs injuſti, cui ſe exponit metum inferens, uti & ſub periculo malorum ex Matrimonio extorto facilè ſequentium. Ad 4. *N. Ma.* quia repugnat etiam finibus Matrimonii, ſi contrahens intendat non ſervare fidem, proles occîdere, alteram partem deſerere &c. Tantùm conditio repugnans finibus & bonis Matrimonii, eaque in pactum deducta, irritat Matrimonium. *c. fin. de condit. appoſ.* Deinde incuſſus metus non ex natura ſua repugnat individuæ ſocietati, cohabitationi &c. ſed hæc mala oriuntur ex malitia metum paſſi cohabitare nolentis. Ad 5. *transmiſſ. Ant.* quod abſolutè falſum eſt; quia ex injuſtitia oritur obligatio juſtitiæ ad compenſandum illatum damnum, vel ad ſatisfaciendum pro injuria. *N. Conſ. & ſuppoſitum*, quòd ex injuria, per quam metus injuſtè incutitur, oriatur obligatio juſtitiæ ſeu Matrimonialis; nam hæc oriretur ex conſenſu ſimpliciter libero, niſi Matrimonium tale eſſet irritatum à Jure Poſitivo: ex injuria potiùs ortum habet irritabilitas Matrimonii, quàm firmitas.

115 Dico 3. Metus purgatur, ſeu nullitas Matrimonii ex metu iniți ſanatur 1. verè & pro utroque foro per conſenſum ſublato metu ſponte poſitum, & vel verbis, vel factis expreſſum. 2. præſumptivè & pro foro ſaltem externo per copulam ſponte habitam, vel per diuturnam cohabitationem ſpontaneam; diuturnitas temporis relinquitur arbitrio Judicis vel prudentis; cùm in Jure non ſit determinata: in foro autem interno ſufficit cohabitatio

tio momentanea ſponte facta. 3. Non tamen ſanatur hæc nullitas per modos relatos, niſi pars metum paſſa ſciat, Matrimonium fuiſſe nulliter contractum. 4. et altera pars adhuc ſuum continuet conſenſum. Pars 1. patet ex eo, quia per conſenſum ſpontaneum ſatis manifeſtatum tollitur impedimentum. Pars 2. ex *c.* 21. *c.* 28. *h. t. & c.* 4. *qui Matrim. accuſar.* Dixi autem, *præſumptivè*; quia, ſi copula admittatur a parte metum paſſa, quæ fugere poterat, præſumitur fuiſſe maritalis, ſeu animo conjugaliter vivendi habita, & ſpontanea. *arg. c.* 30. *eod.* Item cohabitatio diuturna, ſi fugere potens non fugit, aut opem non imploravit metum paſſa, præſumitur ſpontanea eſſe, & ex affectu conjugali procedere. *c.* 21. *cit.* Per copulam autem, aut cohabitationem ut ut diuturnam, ſi ſponte & liberè non fiat, nullatenus reſtauratur Matrimonium metu initum; quàm parùm enim verba ex metu prolata efficiunt conſenſum Matrimonialem, tam parùm eundem faciunt facta ex metu poſita. Pars 3. ex ratione, quia nullitas ex defectu conſenſûs legitimi orta non ſanatur ſine poſitione conſenſûs novi: ſed ab ignaro nullitatis & errante non ponitur conſenſus, nec per copulam aut cohabitationem ſpontaneam manifeſtatur; cùm nihil tam contrarium ſit conſenſui quàm error. *l. ſi per errorem* 15. *ff. de jurisd. omn. Jud.* Pars 4. ex dictis *n.* 87. ubi oſtendimus, conſenſum Matrimonialem debere eſſe ſimultaneum, & ab utraque parte poni ſimul ſimultate morali.

Oppones. 1. In *c.* 21. *cit.* requiritur cohabitatio ſpon- 116
tanea per unum annum & dimidium, ut præſumi poſſit conſenſus ſponte renovatus: ergo cohabitatio brevioris temporis non ſufficit. 2. Tridentinum ſuſtulit Matrimonia præſumpta: ergo neque ſpontanea copula, neque diuturna cohabitatio ſufficit ad reſtaurandum Matrimonium metu initum, ſed requiritur renovatio conſenſûs coram Parocho & teſtibus. R. ad 1. ibi illud tempus non pro regula, ſed pro exemplo, & occaſione facti de-

ter-

terminatur, ut cum Sanch. docent communiter. Ad 2. *diſt. Ant.* ſuſtulit Matrimonia præſumpta, quæ nempe nunquam coram Parocho & teſtibus contracta ſunt. *C. Ant.* quæ jam ſic fuerunt contracta, & nullitas non eſt notoria, vel in Judicio probari nequit, utì contingere poteſt in Matrimonio ratione metûs invalido. *N. Ant. & Conſ.*

De Impedimento Raptûs.

217 SCiendum 1. per *Raptum* in genere intelligi violentam cujuscunque perſonæ abductionem de loco in locum, ut Raptor eam in ſua poteſtate habeat. Sed de hoc non eſt nobis ſermo. Preſſiùs, & quatenus eſt ſpecies luxuriæ, Raptus eſt violenta perſonæ alicujus abductio de loco in locum libidinis exercendæ causâ: ſive dein vi abducatur fœmina, quod frequentiùs contingit, nupta vel innupta, ſive maſculus; ſive vis inferatur ſoli perſonæ raptæ, ſive parentibus, aut iis, quorum poteſtati ſubeſt, ſive utrisque. per *can. 3. cauſ. 36. q. 1.* Propriiſſimè huic loco, & quatenus eſt impedimentum dirimens Matrimonii, Raptus eſt violenta abductio fœminæ cujuscunque (imò juxta dicenda etiam & maris) de loco in locum Matrimonii contrahendi causâ. Atque de eo taliter ſumpto ſic ſtatuit Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. de reform. Matr. Decernit Sancta Synodus, inter Raptorem & Raptam, quamdiu ipſa in poteſtate Raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium. Quodſi Rapta à Raptore ſeparata, & in loco tuto ac libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam Raptor in uxorem habeat; & nihilominus Raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo Jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea Raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxe-*

duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitriô Judicis dotare. Itaque ad Raptum, prout eſt hodie impedimentum dirimens Matrimonii, præter *violentiam*, ſeu phyſicam, quæ fit per injectionem manuum, ſeu moralem, quæ fit per minas graves, aut metum, vel etiam per mandatum alteri datum ad vim inferendam (cujusmodi violentia in omni Raptu eſt de eſſentia) item præter *abductionem* de loco in locum moraliter diverſum ad habendam perſonam raptam in ſua poteſtate, requiritur etiam, ut abductio violenta fiat *animô contrahendi Matrimonium* cum rapta, & ut rapta exiſtat, dum illud contrahere attentat, adhuc *in poteſtate raptoris*, licèt in Matrimonium ſponte conſentiret; nam ſi non ſponte conſentiret, jam aliunde & independenter â diſpoſitione Tridentini invalidum foret Matrimonium.

Sc. 2. Raptoribus varias eſſe ab utroque Jure ſtatutas 118
pœnas, & quidem Jure *Civili* antiquo 1. ſtatuta eſt pœna capitis in raptorem & auxilium ferentes. 2. Addictio bonorum raptoris, & auxilium ferentium, in liberam diſpoſitionem raptæ. 3. Irritatio Matrimonii inter raptorem & raptam. *l. un. C. de raptu Virg. Nov. 143. & 150.* Sed hodie attendi debet conſuetudo. Si raptui acceſſit ſtuprum & violenta oppreſſio, etiam de Jure novo Caroli V. *in Conſt. pœnal. art. 119.* pœna eſt capitalis. Ex nova autem Ordinatione Criminali Joſephi I. Raptor capite plecti, & rotæ imponi debet. *art. 19. §. 23.* Ad hoc tamen, ut iſtæ pœnæ incurrantur, requiritur 1. ut fiat abductio de loco in locum moraliter diverſum; non enim cenſetur eſſe raptus, ſi fœmina ex hypocauſto in cameram vel alium locum obſcurum, vel fortè etiam de domo in domum in eodem pago, vel etiam urbe, vel de via publica inter arbuſta etiam vi pertrahatur ad flagitium commodiùs perpetrandum. 2. Ut fœmina, quæ rapitur, ſit virgo, vel puella, aut vidua, aut etiam nupta honeſtæ vitæ. 3. Ut interveniat aliqua violentia, vel ſaltem invita abſtrahatur, vel invitis parentibus aut

tuto-

tutoribus, si in eorum sit potestate: nam fortè probabiliter non est necesse, ut positiva violentia ipsis inferatur juxta Molin. *tr. 3. d. 105. n.* 2. Alii tamen probabiliùs videntur requirere violententiam positivam, vel raptæ, vel iis, in quorum potestate est, illatam, in ordine ad pœnam ordinariam. 4. Ut abstrahatur libidinis exercendæ causâ sive extra-sive intra Matrimonium (quod tamen propter vim est irritum) licèt postea volens & consentiens violetur: sed hoc casu raptor mitiùs esset puniendus; nam Jus Civile videtur requirere violentiam tam in abductione quàm in copula: quæ tamen in dubio interveniisse præsumitur. De Jure *Canonico* antiquo sic puniebatur Raptus. 1. Raptor fiebat servus raptæ, nisi se redemisset solutô pretiô. 2. Raptor virginis, vel viduæ honestæ, item cooperatores & fautores, si Clerici fuerint, deponi, si laici, excommunicari jubebantur. 3. Matrimonium inter raptorem & raptam, esto consensus liber & repetitus accesserit, erat nullum. *can. 3. sauf. 36. q. 1. & can. 1. 2. 4. 5. 11. q. 2.* Sed hoc impedimentum Matrimonii, si postmodum liberè consensit rapta, licèt adhuc in potestate raptoris constituta, fuit sublatum *c. 6. & fin. de Raptor.* In eodem *c. 6.* non habetur pro raptu, si sponsa consentiens, licèt invitis parentibus, fuit abducta. Denique *Tridentinum*, quod in foro Canonico hodie observandum est, præterquam quòd rursus irritaverit Matrimonium inter Raptorem & Raptam (licèt hæc sponte consentiat) si adhuc est in potestate Raptoris constituta, has insuper pœnas statuit. 1. Raptor & complices ejus ipso Jure & ante omnem sententiam sunt excommunicati, si verò Clerici fuerint, deponendi. 2. Sunt infames perpetuò, & omnium dignitatum incapaces. 3. Raptor tenetur raptam decenter dotare, sive eam duxerit, sive non, in conjugem. Trid. *lo. cit.* Omnes hæ pœnæ, excepta excommunicatione, requirunt sententiam Judicis. Si Raptor alia damna intulit raptæ, Jure Naturali obligatur ad ea compensanda.

Dico

Dico 1. Ut hodie aliquis incurrat impedimentum Raptûs, requiritur, ut mulier quæcunque (non Sponſa propria) per violentiam phyſicam aut moralem abducatur de loco in locum Matrimonii ineundi causâ, & rapta necdum ſit conſtituta in loco tuto, ſeu extra poteſtatem raptoris. Ita communior & verior ex Trid. *lo. cit.* deſumpta. Dixi 1. *mulier quæcunque*, etiam inhoneſtè vivens; quia Tridentini mens erat ſalvam facere omnibus perſonis Matrimonii libertatem. 2. *Non ſponſa propria*; nam ſi rapiatur illa, cum qua priùs jam ſunt inita Sponſalia, non aufertur ipſi libertas moralis ad Matrimonium, utpote quam ſibi ipſa priùs jam ademerat, liberè contrahendo Sponſalia. Confirmatur ex *c. 6. cit.* Excipe, niſi tali Sponſæ ſuperveniſſet cauſa reſiliendi, & illa reſilire voluiſſet. Multi nihilominus raptum committi putant, licèt Sponſa propria, non conſentiens, abducatur vi, utì Azor, Sanch. Gob. Wieſtner &c. 3. *Per violentiam &c.* Si enim fœmina lubens ac volens, licèt invitis parentibus &c. quibus ſubeſt, abducatur, non præjudicatur libertati Matrimonii. *arg. c. cit.* & ſic non inducitur impedimentum, ut habet communior cum Sanch. *l. 7. d. 13. n. 13.* contra Guttierez & Card. de Luca *de Matrim. diſc. 5.* Si tamen invitis parentibus volens abducatur, in praxi ſolet ſeparari ab Amaſio & in locum ſecurum collocari, ut & ibi conſentiat, teſte Clericato *de Sacram. Matr. deciſ. 33. n. 13.* 4. *Abducatur de loco in locum*, nimirum moraliter diverſum, non de domo in domum in eadem vicinia, à via publica ad locum occultum &c. Sanch. *n. 7. d. cit. & d. 12. n. 21.* 5. *Matrimonii ineundi causâ*; unde ſi ex alio fine, v. g. libidinis exercendæ causâ rapiatur fœmina, validè cum raptore contrahit Matrimonium, etiam conſtituta adhuc in ejus poteſtate. Pyrrhus Corrad. *in Praxi diſpenſ. Apoſt. l. 7. c. 6. n. 48.* allegans deciſionem S. Congreg. quia libertas Matrimonii, quam Tridentinum principaliter intendit, non læditur, ſi fœmina non ex in- 19

tentione Matrimonii contrahendi rapiatur, ſed ob alium finem, v. g. eam ſpoliandi causâ. Tridentinum enim non facit mentionem de raptu alio, quam de eo, qui tendit ad Matrimonium: ergo ejus diſpoſitio non eſt extendenda ad alium raptum, utpote odioſa. 6. *Et rapta necdum ſit conſtituta in loco tuto &c.* Unde valebit Matrimonium, ſi, poſtquam de poteſtate Raptoris liberata eſt, conſentiat in Matrimonium. Porro impedimentum Raptûs non egreditur Raptorem & Raptam, nec extenditur ad præbentes auxilium, vel favorem &c. quos tamen aliis pœnis obnoxios eſſe vult Tridentinum.

120 Dico 2. Impedimentum Raptûs, utì & pœnæ in rapientes ſtatutæ à Tridentino, etiam habent locum, ſi fœmina rapiat virum. Ita Guttierez, Maſtr. Gonzal. Haun. Krimer *l. 4. n. 522.* & teſte Marſilio apud Fagn. *in c. Ne innitaris de conſtit. n. 372.* communiter DD. contra Sanch. Pont. Molin. Dian. Zæſ. Pirhing *de Raptor. n. 12. 28.* Wieſtner *eod. tit. n. 16.* & fortè communiorem. Prob. 1. Tridentinum voluit vel maximè conſulere libertati Matrimonii ſtatuendo impedimentum Raptûs: ſed hæc libertas æquè aufertur, ſi fœmina rapiat virum, ac ſi vir fœminam. 2. Alia impedimenta Matrimonii, utì criminis, publicæ honeſtatis, metûs &c. ſunt reciproca, & non modò viros, ſed etiam fœminas æqualiter afficiunt, ſi crimen committant, metum injiciant &c. ergo & impedimentum Raptûs. 3. Sub ſexu Maſculino, ſaltem in correlativis, & ubi reperitur eadem ratio, etiam venit Fœmineus. *l. 1. 122. 195. ff. de V. S.* Sed vir & fœmina in ordine ad Matrimonium contrahendum ſunt correlativa, & reperitur eadem ratio, nempe libertatis ad Matrimonium: ergo.

121 Oppones 1. Jus, utì & Tridentinum, quando pœnas vel impedimentum Raptûs ſtatuunt, nunquam faciunt mentionem raptricis, ſed tantùm raptoris, & conſtanter utuntur maſculinô: ergo ad raptrices fœminas hæc Jura,

jura, utpote odiosa, non sunt extendenda. 2. Jura non solent respicere ad casus insolitos & rarissimos. *l. 4. & 5. ff. de LL.* atqui rarissimus est casus, ut fœmina rapiat virum, quia fœminæ sunt magis verecundæ & minùs fortes: ergo ad hunc casum fœminæ rapientis non respexerunt Jura. 3. Tridentinum inter pœnas Raptoribus decretas etiam obligat, ut illi raptas dotent: sed hæc pœna locum non habet in fœminis: ergo. 4. ad 1. *N. Cons.* quia reperitur eadem ratio in raptrice fœmina, ac insuper inter raptorem & raptam, ac inter raptricem & raptum, datur mutua correlatio. Ad 2. Raritas casuum non facit, quò minùs ad eos extendenda sit lex, si in casibus raris eadem legis ratio reperiatur: sic metus impedimentum porrigitur etiam ad casum, quo fœmina minitatur viro, & ad secum contrahendum adigit, licèt id ob verecundiam & infirmitatem sexûs valde rarum sit. Dein negant aliqui *Min.* nam & fœminæ, præsertim ministeriô alienô famulorum, amicorum &c. leguntur sæpius rapuisse viros: sic non ita pridem Comitissa quædam rapuit Nobilem Venetum adolescentem, adhuc studiis humaniorum litterarum vacantem, & cum illo in domum suam abducto Matrimonium inire attentavit. Clericat. *lo. cit. n. 33.* Ad 3. *N. Min.* licèt viro raptò non debeatur dos propriè talis, debebitur tamen ipsi oppositum, nempe donatio propter nuptias, vel alia æquivalens satisfactio. Si hæc responsio non placet, nega *suppositum*, quòd omnis pœna, quæ respectivè locum non habet, incurri debeat: sufficit, si incurratur impedimentum Raptûs, excommunicatio, infamia &c.

Dico 3. Sponsalia inter raptorem & raptam, adhuc in 122
potestate raptoris constitutam, inita probabiliùs valent. Mart. Perez *disp. 38. sect. 4. n. 8.* P. Wiestner *de Raptor. n. 15.* contra communiorem cum Sanch. & Molina allegante decisionem S. Congreg. Prob. Tridentinum irritat quidem Matrimonium inter Raptorem & Raptam, de Sponsalibus tamen nihil dicit: ergo, cùm sit

diſpoſitio correctoria Juris Antiqui *c. 6. & fin. de Raptor.* & inſuper pœnalis, non debet extendi ad Sponſalia; præſertim cùm non ſit eadem ratio in Sponſalibus, propter quam Matrimonium eſt irritatum; quia libertas longè major, quam ſpectavit Tridentinum, requiritur in Matrimonio, cùm iſtud ſemel validè contractum diſſolvi nequeat, bene tamen Sponſalia. Confirm. non extenditur, etiam juxta Adverſarios, diſpoſitio Tridentini, Matrimonia clandeſtina irritantis, ad Sponſalia, quia eſt correctoria Juris Antiqui: ergo, nec diſpoſitio irritantis Matrimonium inter raptorem & raptam extendi debet ad Sponſalia. Oppones 1. non eſſet ſatis conſultum libertati Matrimonii, ſi Sponſalia inter raptorem & raptam valerent: ergo. 2. Eadem ratio, nempe libertas contrahentium, reperitur in Sponſalibus, quæ in Matrimonio: ergo & illa ſunt irritata. 3. Sic reſpondit Congregatio S. R. Ad 1. *N. Ant.* nam rapta in loco tuto conſtituta poteſt petere reſciſſionem Sponſalium, vel excipere contra raptorem, ſi urgeat Matrimonium. Vid. dicta *n. 14. ſeqq.* Ad 2. *N.* iterum *Antec.* nam majorem libertatem exigit Matrimonium utpote indiſſolubile, quàm Sponſalia. Ad 3. Reſponſo S. Congregationis deferam tunc, quando debitè authentizatum & debitè productum videro.

De Impedimento Diſparis Cultûs.

123 SCiendum, per *diſparem cultum*, vel *diſparitatem cultûs*, intelligi diverſitatem Religionis inter Matrimonium contrahentes, ſi nempe fidelis cum infideli nitatur contrahere. *Infidelis* ſumitur hìc & paſſim in Jure ſtrictè, pro non-baptizato, nempe Judæo, Gentili, Ethnico, Pagano, Turca: non verò latè, ut etiam Hæreticum, vel à fide Chriſtiana Apoſtatam, qui aliquando baptizatus eſt, comprehendat. Nihilominus tamen diſquirendum hìc

hìc eſt non modò , qualiter illicitum aut invalidum ſit Matrimonium vel Sponſalia fidelis ſeu Chriſtiani cum infideli ſeu nunquam baptizata, ſed etiam Catholici cum hæretica aut apoſtata , vel viciſſim.

Dico 1. Matrimonium fidelis cum infideli , quamvis 124
Jure Naturali & Divino per ſe ſemper fuerit illicitum , & adhuc ſit. 2. Nunquam tamen fuit invalidum. 3. Invalidum tamen eſt in novo Teſtamento , ſed ſolo Jure Eccleſiaſtico. 4. Tradito potiùs,quam Scripto. Pars 1. Sumitur partim ex periculo perverſionis, vel ipſi conjugi fideli vel liberis ordinariè imminentis, partim ex prohibitione *c. 7. Deuteron.* & 2.*Cor. 6.* ibi: *nolite jugum ducere cum infidelibus.* Dixi, *per ſe,* ſcilicet extra caſum, quo urgeret juſta & gravis cauſa, & ſimul abeſſet periculum omne perverſionis , ſaltem propinquum, vel quo ipſe Deus per ſpecialem inſtinctum ad id impelleret. Pars 2. ex eo , quia Jus Naturale aut Divinum prohibendo non irritavit hoc ipſo Matrimonium cum infidelibus, & ideo tempore Legis *Naturalis & Scriptæ* viri valde laudati, & ſanctitate quoque conſpicui., contraxerunt Matrimonia cum fœminis infidelibus , utì Jacob, Joſeph, Moyſes: ſic David contraxit cum Maacha Cananæa. 2. *Reg. 3.* Samſon cum Dalila Philiſtina. *Judic. 16.* Eſther cum Aſſuero &c. Imò etiam in Novo Teſtamento Matrimonium (vel ex ſpeciali inſtinctu & permiſſione Dei propter ſpem futuræ converſionis infidelium , vel ex diſpenſatione Eccleſiæ) S. Cæcilia nupſit Valeriano Ethnico , S. Monica S. Auguſtini Mater viro gentili , Clothildis Clodoveo Francorum Regi ; quo pacto poſtmodum ad fidem Catholicam converſum eſt cum Rege Regnum Galliæ &c. Pars 3. ex praxi Eccleſiæ Matrimonia fidelium cum infidelibus habentis pro irritis, utì communiter docent Auctores cum Sanch. *l. 7. d. 71. n. 8.* Guttierez, Palao &c. Pars 4. ex defectu clari Juris textûs , hujusmodi Matrimonia irritantis.

Dixi in aſſertione, *Matrimonium.* Loquendo au- 125

tem de Sponſalibus aſſero, eadem ferè eodem modo eſſe illicita, ſicut Matrimonium cum infideli; invalida tamen eſſe nego cum Sanch. *l. 5. de Matrim. d. 8. n. 10.* pro caſu, quo Matrimonium tale fit licitum, & ſi contrahantur cum catechumeno, ſeu candidato Baptiſmi, quia tali caſu promiſſio Matrimonii refertur ad tempus, quo Matrimonium inter promittentes conſiſtere poteſt. Idem eſt, ſi fidelis cum infideli contrahat Sponſalia ſub expreſſa conditione, ſi iſte Baptiſmum ſuſceperit. *arg. can. 16. cauſ. 28. q. 1.*

826 Quæres, quid ſentiendum de Matrimonio inter duos infideles contracto. 2. Et de caſu, quo unus eorum convertitur ad fidem Chriſtianam & Catholicam. 3. Aut quo viciſſim unus ex Chriſtianis conjugibus fit apoſtata ac tranſit ad Paganiſmum, Judaiſmum &c. Ad 1. Illud, ſi ſine impedimento Juris Naturalis, aut à ſuis Principibus ſtatuto, fuit contractum, valere in ratione contractûs merè civilis; nam impedimentis Juris Eccleſiaſtici non ligantur. Hinc ſi uterque convertatur ad fidem Catholicam, ſeparari nequeunt, neque per diſpenſationem Summi Pontificis, ſi Matrimonium jam fuit conſummatum; licèt cum impedimento Juris Eccleſiaſtici contraxiſſent. Si verò infidelis vir cum pluribus mulieribus contraxiſſet, poſt converſionem debet adhærere illi, quam duxit primam certò validè; quia cum cæteris habuit impedimentum ligaminis. Vide dicta *n. 100. ſeq.* Utrùm verò Matrimonium ab infidelibus contractum, ſi uterque ſe convertat, & de novo conſentiat in Matrimonium, evadat Sacramentum, lis eſt inter DD. aliqui negant cum Coninck, Eſparza, Illſung, alii affirmant tranſire in Sacramentum ſtatim, dum baptizantur tales conjuges, utì Sanch. *l. 2. d. 9. n. 5.* at alii, utì Laym. Bonac. &c. requirunt novum conſenſum aut ratihabitionem prioris Matrimonii, licèt hæc renovatio vel poſitio conſenſûs fieri non debeat coram Parocho. Vid. P. Kugler *de Matrim. q. 7. à n. 403.*

N. ad 2. Si tantùm unus ex conjugatis infidelibus se convertat ad fidem, distinctio est adhibenda: vel manens in infidelitate vult cohabitare converso, & quidem sine contumelia Creatoris (injuria erga Christum &c.) & sine sollicitatione conversi ad peccatum; vel non vult ita cohabitare? Si hoc posterius, potest conversus, si velit, ad novas nuptias transire, & sic dissolvere Matrimonium prius, etiam consummatum, uti habet unanimis DD. & Interpretum, sic intelligens textum S. Pauli 1. *Cor. 7. Quodsi infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Accedit similis interpretatio S. Ambrosii relata in *can. 2. caus. 28. q. 2.* & Innocentii III. *in c. 7. de Divortiis.* Imò, licèt infidelis cohabitare vellet, non tamen se convertere interrogatus vel monitus, licebit converso ingredi Religionem, aut Sacros Ordines suscipere. Sanch. *l. 7. d. 76. n. 1. 3.* & ibi plures, quamvis id non sit suadendum, si probabilis est spes illius convertendi. Si autem illud prius, & remanens in infidelitate velit cohabitare absque blasphemia Creatoris & sine perductione conversi ad peccatum, poterat quidem & debebat olim, cùm multi adhuc ex Judaismo & Gentilismo se converterent, cohabitare infideli etiam quoad thorum, seclusô tamen perversionis periculô, ut docet Pontius & quidam PP. apud Sanch. *l. 7. d. 73. n. 7. 12.* propter textum Pauli 1. *Cor. 7. Cæteris ego dico, non Dominus, siquis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam,* scilicet propter spem convertendi infidelem. Sanch. tamen ipse & alii communiùs textum Paulinum pro consilio tantùm, non præcepto accipiunt. Et quia cum tempore periculum perversionis ex cohabitatione cœpit augeri, specialiter apud Judæos, qui non tam facilè convertebantur ampliùs, in *can. 10. caus. 28. q. 1.* prohibitum quoque fuit mulieribus cohabitare quoad thorum & mensam maritis Judæis, & successu temporis per consue- 129.

tudinem Eccleſiæ hæc prohibitio extenſa eſt ad omnes infideles, ita ut licitè pars converſa non ampliùs cohabitare poſſit infideli, ſe convertere nolenti, quamvis vellet cohabitare ſine injuria Creatoris; quia defacto ordinariè eſt periculum perverſionis. Quòd autem licitum ſit divertere â talibus quoad thorum, conſtat etiam à paritate cum adulterio carnali: cur ergo non liceat divertere quoad thorum propter adulterium ſpirituale? Sanch. *n.* 12. *cit.*

128 R. ad 3. Quamvis perſiſtenti in fide liceat divertere ab apoſtata vel lapſo in hæreſim propter adulterium ſpirituale, non tamen diſſolvitur Matrimonium quoad vinculum. Ratio, quia nullum impedimentum dirimens, quod primùm ſupervenit Matrimonio inter Chriſtianos jam validè contracto, illud diſſolvit. per *c.* 7. *cit.* ſed ſolùm impedit, vel potiùs dirimit contrahendum, ſi antecedat, & jam priùs detur.

129 Dico 2. Matrimonium Catholici cum hæretica, vel viciſſim, valet quidem, ſed ordinariè eſt illicitum graviter, præſertim ſi ei adjiciatur pactum de parte prolium educanda in hæreſi. Communis quoad omnia tria puncta. *Primum* probatur tum negativè, quia nullo Jure reperitur irritatum, tum ex conſuetudine Eccleſiæ, ejusmodi Matrimonia ſuſtinentis. Imò Urbanus VIII. dicitur in quodam ſuo Decreto de 14. Mart. 1630. expreſsè declarâſſe, *poſt Matrimonia jam inita tolerari poſſe mulieres hæreticas, quæ maritos habent Catholicos, cohabitare &c. ita tamen, ut proles Catholicè educetur.* *Secundum* patet ex *can.* 15. 16. *cauſ.* 28. *q.* 1. *& c.* 14. *de hæret. in* 6. ubi prohibentur Matrimonia cum hæreticis. Sed & Jus Naturale illa vetat propter periculum perverſionis vel conjugis vel liberorum in fide aut moribus, quod ordinariè adeſt, nec fides facilè habenda hæreticis (niſi plenè caveant) dum promittunt converſionem ſuam, vel educationem liberorum omnium in fide Catholica, liberum Religionis exercitium

tium parti Catholicæ quoad abſtinentiam à carnibus, celebrationem feſtorum &c. cùm experientia teſtetur, datam ab ipſis fidem violari. Accedit, quòd Sacramentum Matrimonii hoc pacto miniſtretur indigno, & onus imponatur individuæ ſocietatis cum hæretica vel hæretico, quos tamen Apoſtolus & recta ratio vitari cupit. *Tertium* eſt clarum, quia Jus Naturale ac Divinum parentes obligat, ut omnes liberos Deo educent, non diabolo, & non ſolùm ipſis provideant quoad corpus, ſed & vel maximè quoad animam ac ſalutem æternam. Unde omnes DD. ejusmodi pacta, quibus id agitur, ut medietas prolium, vel maſculæ fidem patris Catholici, altera medietas, vel fœmellæ ſectam matris, aut viciſſim ſequantur, tanquam impia, abominanda, ac irrita deteſtantur. Et quia hodie ſaltem tacitè cenſetur appoſitum ordinariè hoc pactum, ferè nunquam erit licitum Matrimonium Catholici cum hæretica.

Oppones 1. In *can.* 72. Synodi Sextæ Oecumeni- 130
cæ dicitur, *non licere orthodoxum cum hæretica conjungi, nec orthodoxam cum hæretico. Sed & ſiquid ejusmodi factum apparuerit, irritas nuptias exiſtimari, & nefarium conjugium diſſolvi*: ergo Jure Eccleſiaſtico irritum omnino eſt Matrimonium Catholici cum hæretica, & viciſſim. 2. Matrimonium Catholici cum infideli ſeu non-baptizata eſt nullum: ergo etiam initum cum hæretica. 3. Videmus in Germania paſſim celebrari Matrimonia inter Catholicum & hæreticam, ac viciſſim, & quidem ſine ulla diſpenſatione vel Papæ vel Epiſcopi: ergo ſaltem in locis, ubi hæretici Catholicis immixti vivunt, ordinariè non ſunt illicita talia Matrimonia, utì cùm Azor & aliis Sanch. *l. 7. d. 72. n. 5.* exiſtimat, eò quòd in his partibus legi Eccleſiaſticæ *can. 15. & 16. citt. &c.* per conſuetudinem ſit derogatum. 4. Nunquam licitum eſt indigno miniſtrare Sacramentum: ergo ſemper, & non ordinariè tantùm, illicitum eſt Matrimonium contrahere cum hæretico. R. ad 1. Ille Ca-

non non eſt editus in Synodo VI. ſed poſt illam à quibusdam Epiſcopis apud *Trullum*, palatium Regium, congregatis fabricatus, quorum canones propterea *Trullani* ſunt dicti, nunquam ab Eccleſia recepti, ſed apertè reprobati à Sergio Pontifice. Imò licèt canon eſſet authenticus, & aliquando ab Eccleſia fuiſſet receptus, defacto tamen longiſſima conſuetudine contraria exoleviſſet. Ad 2. *N. Conſ.* quia de utroque caſu eſt contraria Eccleſiæ traditio & conſuetudo. Dein infidelis non eſt capax Sacramenti Matrimonii, bene tamen hæreticus, ſub qua ratione, & non in ratione meri contractûs, Catholici contrahere debent Matrimonium: quod ex parte tantùm unius Sacramentum eſſe nequit, quin ſimul etiam ſit ex parte alterius. Ad 3. *trans. Ant. N. Conſ.* quamvis enim in locis, ubi hæretici vivunt immixti Catholicis, legi Eccleſiaſticæ fortè præſcriptum ſit, ut perſonæ vulgares paſſim contrahant cum hæreticis ſine ulla petitione diſpenſationis, per hoc tamen non potuit abrogari Jus Naturale vetans Matrimonia cum periculo perverſionis propriæ vel prolium, quod rariſſimè abeſt: item non cenſentur propterea eſſe licita Matrimonia Principum absque diſpenſatione Pontificia, ut advertit Diana; partim quia horum Matrimonia non ita frequenter, vel vix unquam, celebrari ſolent ſine diſpenſatione Pontificis, partim quia majora ex horum conjugiis, quàm plebeiorum, incommoda oriri poſſunt.

Sed quando, & quibus in circumſtantiis licitum erit conjugium Catholici cum hæretica, vel viciſſim? R. Quando ex una parte id exigit gravis cauſa, v. g. ſpes certa convertendi conjugem ad veram fidem, ſopiendi inimicitias, conſervandi vel promovendi pacem ac tranquillitatem publicam, ſi inter Catholicos non reperiatur conjunx paris conditionis &c. ex altera verò parte adeſt moralis certitudo, nullum eſſe periculum ſcandali, perverſionis, diſſenſionum gravium ac perpetuarum &c. cujusmodi pericula & incommoda rarò abſunt. Sin dubium ſit,

ubi ordinariè erit, deberet recurri ad Papam, vel saltem Episcopum in Germania nostra, qui re examinata licentiam det contrahendi; quamvis quoad licentiam Episcopi vulgares homines videantur in Germania præscripsisse. Ad 4. *N. Ant. & Conf.* non enim censetur cooperari alterius peccato, qui facit aliquid ex se honestum ob gravem causam, quo alter abutitur, & peccat ex malitia sua; ut patet in eo, qui ministrat Eucharistiam publicè petenti, quem privatim scit esse indignum, in promittente ac solvente usuras &c. Dein materiales hæretici non semper indignè, aut sacrilegè, saltem formaliter, suscipiunt Sacramentum Matrimonii.

Quæres, an non saltem tunc irritum sit Matrimonium 131
Catholici cum hæretica, quando adjicitur pactum, ut pars proljum in Catholica Religione, & pars in hæretica secta educetur? R. quamvis hoc pactum pro novo impedimento dirimente Matrimonii primus, quod scio, nuperrimè statuerit P. Schmier *de Sponsal. & Matr. p. 3. c. 5. n. 57.* sine ulla allegata auctoritate; ei tamen nullatenus assentiri possum; quia nec Jus Naturale nec Positivum irritat Matrimonia sub tali conditione contracta, reclamat insuper communis Doctorum, imò & Ecclesiæ tolerantia, dum videmus, saltem in Germania nostra, sæpius jam fuisse contracta, & hodiedum, quamvis impiè, sub dicta conditione contrahi Matrimonia, imò ordinariè per conventionem tacitam: nunquam verò Ecclesiam aut Episcopos se opposuisse, vel se opponere illis tanquam invalidis, aut separationem talium conjugum præcipere. Accedit communis sensus fidelium, hujusmodi conjugum liberos pro legitimis habentium sine ulla tergiversatione. Dices cum allegato Authore, alias præclaro: si Matrimonio adjiciatur conditio, quæ est contra bonum prolis, Matrimonium invalidè contrahitur. *c. ult. de condit. appos.* atqui talis conditio, ut filiæ sequantur conditionem, sectam, & hæresim maternam, est utique contra bonum prolis: ergo &c. ergo Matrimonium hoc nul-

nullum esse, solida convincit ratio. Ita ille. ℟. *dist. Ma.* quæ est contra bonum prolis naturale, ac eò tendit, ut evitetur generatio prolis positivè, vel educatio. *C. Ma.* quæ est contra bonum prolis spirituale. *N. Ma.* alias etiam Matrimonium foret nullum à meris hæreticis formalibus contractum sub ea conditione, ut proles omnes educentur in hæresi, vel Matrimonium Catholicorum duorum, sub hac conditione contrahentium, ut proles susceptæ educentur ad furandum, in arte Magica, vel ut Maritus deserat fidem Catholicam. &c. Quod nec P. Schmier admittet. Sed replicat: In *cit. c.* initio generaliter dicitur, per conditiones, quæ contra Matrimonii substantiam apponuntur, Matrimonium vitiari, ac infrà inter has conditiones numeratur etiam illa, quæ est contra bonum prolis naturale: ergo conficitur, etiam illam conditionem, quæ bono prolis spirituali repugnat, Matrimonii substantiæ refragari; quia illa conditio, qua conjunx contrahit cum conjuge, si generationem prolis evitet, in *d. c.* solùm affertur per modum exempli, non regulæ: per exemplum verò non restringitur regula, sed declaratur & dilatatur: ergo. ℟. Si illæ tantùm conditiones turpes irritant Matrimonium, quæ sunt *contra substantiam* Matrimonii, & (respectivè ad finem generationis) ibi pro exemplo ponitur conditio de evitanda prole, certè non potest dispositio *cit. c.* dilatari ad conditionem repugnantem bono prolis spirituali & bonæ educationi; quis enim dicat, contra *substantiam* Matrimonii in ordine ad prolem esse malam educationem prolium ac perversam? cùm nec actualis generatio prolis ad ejus substantiam pertineat. Nam substantia Matrimonii consistit in obligatione mutua, saltem radicali, ad actus, per quos generari potest proles, non verò in educatione bona aut sancta prolium.

Ego certè in nullo Auctorum aliud reperi.

De

De Impedimento Publicæ Honeſtatis.

SCiendum ex *n.* 35. & *43. ſeqq.* impedimentum *publi-* 132
cæ honeſtatis, ſeu juſtitiam publicæ honeſtatis, ut alii loquuntur, eſſe propinquitatem perſonarum ex diſpoſitione Juris Eccleſiaſtici provenientem ex Sponſalibus, & obſtantem Matrimoniis cum certis conſanguineis ſponſi, vel ſponſæ. Oritur ex Sponſalibus tam de futuro, de quibus jam egimus *num. citt.* quàm de præſenti, ſeu ex Matrimonio Rato; atque de illo honeſtatis publicæ impedimento, quod ortum habet ex Matrimonio Rato, nunc ſermo nobis erit; quemadmodum enim ex conjunctione corporum per copulam carnalem affinitatis, ita ex conjunctione animorum per Sponſalia, maximè de præſenti, naſcitur publicæ honeſtatis, ceu *quaſi-affinitatis*, impedimentum.

Dico 1. Impedimentum publicæ honeſtatis ex Spon- 133
ſalibus de præſenti ſeu ex Matrimonio Rato proveniens dirimit adhuc hodie Matrimonium contrahendum cum conſanguineis conjugis deſponſatæ (vel deſponſati) usque ad quartum gradum incluſivè, modò Matrimonium Ratum fuerit contractum abſolutè ac validè, imò etiam invalidè, dummodo invaliditas non provenerit ex defectu conſenſûs. Sumitur ex *can.* 11. 12. 14. *ſeq. cauſ.* 27. *q.* 2. *c.* 3. & 8. *h. t.* & *c. un. eod. in* 6. quia ſi Jura ſtatuant hoc impedimentum in Sponſalibus de futuro, à fortiori illud in Sponſalibus de præſenti locum habere debet, cùm per Matrimonium Ratum magis conjungantur animi conjugum, quàm per Sponſalia de futuro animi ſponſorum, ut adeò indecens eſſet Matrimonium aliud contrahere cum conſanguinea vel conſanguineo conjugis; ſicut indecens judicatur Matrimonium aliud inire cum conſanguineis conjugis, quacum Matrimonium eſt conſummatum per copulam, & indncta affinitas, quam imitatur publicæ honeſtatis juſtitia.

Oppo-

134 Oppones 1. Canones & Capitula citata ſolùm loquuntur de Sponſalibus: ergo non oritur impedimentum publicæ honeſtatis ex Matrimonio Rato. 2. Si à Sponſalibus de futuro liceat extendere hoc impedimentum ad Sponſalia de præſenti, non ad quartum usque gradum dirimet Matrimonium, ſed ad primum duntaxat, ſicut ortum ex Sponſalibus non ſe ulteriùs extendit. Trid. *ſeſſ. 24. c. 3. de Ref. Matr.* Item non oritur ex Matrimonio Rato, ex quacunque cauſa invalido, ſicut ex Sponſalibus quacunque de cauſa (licèt ex alio quàm conſenſûs defectu) invalidis non oritur. Trid. *lo. cit.* 3. Nullo Jure expreſſum reperitur, quòd usque ad 4. gradum conſanguinitatis ſe extendat juſtitia publicæ honeſtatis: ergo gratis determinatur iſte gradus. R. ad 1. Aliqui ſaltem ex dictis *cann.* videntur loqui de Matrimonio Rato: dein licèt loquerentur explicitè ſolùm de Sponſalibus, implicitè tamen etiam de Matrimonio Rato loqui cenſerentur; quia in hoc reperitur eadem; imò major ratio, ſcilicet major ac fortior colligatio animorum, propter quam introductum eſt hoc impedimentum. Et hinc unaniniter Interpretes illa Jura extenderunt etiam ad Matrimonium Ratum. Ad 2. N. *ſequel.* utramque. Ratio negandi petitur ex *Conſtit. ad Romanum* S. Pij V. edita 1. Julii ann. 1568. hujus tenoris: *Motu proprio & authoritate Apoſtolica declaramus, & definimus, Decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in Sponſalibus de futuro duntaxat, non autem in Matrimonio, ſic (ut præfertur) contracto: ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus & gradibus, quibus de Jure veteri ante prædictum Decretum Concilii introductum erat.* Ergo Tridentinum *lo. cit.* quod in dicta *Conſtit.* explicat S. Pontifex, dum voluit; impedimentum publicæ honeſtatis non oriri niſi ex Sponſalibus validis, & non egredi primum gradum conſanguinitatis, intelligendum vel extendendum non eſt

ad

ad impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex Matrimonio Rato. Adeóque oritur etiam ex tali Matrimonio invalido, modò non invalidum ſit ex defectu conſenſûs, ut ſi contraheretur ab infante, amente, plenè ebrio, fictè, ex metu injuſto gravi, per errorem circa perſonam, &c. nam etiam ex Sponſalibus propter talem defectum conſenſûs invalidis non oriebatur de Jure Antiquo dictum impedimentum: ſicut & dirimebat usque ad 4. gradum. Ad 3. licèt clarus non exſtet textus, quousque Matrimonium dirimatur per hoc impedimentum, exſtat tamen textus clarus in *c. 8. de conſang.* de impedimento affinitatis, quam imitatur publica honeſtas, & propter convenientiam communis doctrina extendit utrumque impedimentum uſque ad 4. gradum in *c. cit.* expreſſum. Imò *citt. cann.* 12. 14. 15. id ſatis indicant per vocem *conſanguinitatis.*

Quæres, an caſu, quo Titius, poſtquam contraxit 135
Sponſalia de futuro cum Bertha, contrahit poſtea (licèt invalidè propter impedimentum publicæ honeſtatis) cum Caia Berthæ ſorore Sponſalia de præſenti, contrahat impedimentum publicæ honeſtatis ex Matrimonio Rato cum Bertha, priore ſponſa? R. non contrahit; quia publica honeſtas non agit retro. *c. un. h. t. in 6.* ſicut tamen affinitas agit retro, quæ ſupervenit Sponſalibus, & Matrimonium cum priore ſponſa conſanguinea dirimit. Vid. dicta *n. 46.*

TITULUS II.

De Deſponſatione Impuberum.

SUMMARIUM.

1. 2. *Pubertas alia naturalis, alia legalis. Quid ſit malitiam ſupplere ætatem.*

Digitized by Google

3. 4. 5. *Sponſalia de futuro non valent ante ſeptimum ætatis annum completum, licèt priùs jam adſit uſus rationis per accidens.*

6. *Ante annos pubertatis poſt annum ſeptimum inita valent quidem, ſed pubertatem adeptis reſilire licet.*

7. *Sponſalia de præſenti non valent ante pubertatem naturalem, vel legalem.*

8. *Habent tamen vim Sponſalium de futuro.*

9. *An contrahentes Sponſalia de futuro, vel de præſenti, ante legitimam ætatem peccent.*

1 SCiendum 1. *Impuberes* dici illos, qui ex maribus nondum compleverunt 14. ætatis annum, & quæ ex fœmellis 12. annum à tempore nativitatis; quamvis ordinariè, præſertim in ordine ad *Deſponſationem*, ſeu ad Sponſalia de futuro contrahenda impuberes vocitentur, qui infantiam, nimirum ſeptennium, egreſſi dictam ætatem necdum expleverunt. *l. fin. C. quando Tutores eſſe deſin. c. 6. 10. 11. h. t.* Econtra qui 14. vel 12. annos egreſſi nondum attigerunt 25. ætatis annum, *Puberes* ſeu *Minores* appellantur. *Pubertas* eſt duplex, *Legalis*, quam leges, ſtatuendo prædictam ætatem, ex præſumptione determinârunt, & *Naturalis*, quæ nihil eſt aliud, quàm habilitas maris aut fœminæ ad coitum, ſeu actum ad generationem prolis ſufficientem. *c. 3. eod.* Unde præſens Titulus agit

De Impedimento Ætatis.

2 Sc. 2. hìc diſquirendum eſſe 1. Quæ ætas requiratur ad valorem Sponſalium. 2. Quæ ad valorem Matrimonii. 3. An Sponſalia, vel Matrimonium, ante requiſitam ætatem contrahere illicitum ſit, ſicut eſt invalidum. Quia verò *Malitia ſupplere ætatem* quandoque dici-

Digitized by Google

dicitur, adverte, id aliter intelligi in Sponsalibus, ac in Matrimonio. In ordine ad Sponsalia malitiam (vel potiùs prudentiam) supplere ætatem nihil est aliud, quàm si ante tempus ad illa à jure præscriptum adsit sufficiens usus rationis: in ordine verò ad Matrimonium, si ante tempus huic præfixum, seu ante pubertatem legalem, non solùm sufficiens usus rationis, ac judicii discretio, sed etiam potentia ad generandum, seu ad copulam carnalem, se prodat.

Dico 1. Sponsalia de futuro ante septimum ætatis annum. 2. Et quidem completum, non valent. 3. Licèt malitia suppleat ætatem, seu usus rationis jam antea adsit. Pars 1. habetur clarè in *can. un. caus. 30. q. 2. c. 4. §. h. t. c. un. eod. in 6.* Pars 2. quòd septennium debeat esse completum à momento ad momentum, colligitur ex *citt. c. 4. §. & un.* quæ adhibent verbum *complêsset*, & *compleverat &c.* Dein quando jura ad valorem actûs requirunt certam ætatem, illi anni debent esse completi physicè, & non tantùm moraliter, uti patet in anno Novitiatûs Religiosi, qui debet esse completus, & in Professione Religiosa, quæ juxta plerosque omnes non valet, si edatur ante 16. ætatis annum, licèt unica dies, vel unicum momentum desit. Concordat *l. 3. §. 3. ff. de minor.* Dissentiunt aliqui cum Sylvestro, existimantes, aliquot dies, si defuerint de septennio, non obesse Sponsalibus, & plures alii, qui cum P. Pirhing Pontio & aliis putant sufficere, si ultima dies septennii sit inchoata tantùm. Nobiscum verò sentiunt Sanch. *l. 1. d. 16. n. 4.* Gonzal. Passerin. Palao, P. Schmalzgrueber *h. t. n. 24.* Pars 3. quam tenet Abb. Aversa, Brancat. Engel, König, Fachin. *l. 3. controv. c. 26.* Harpprecht *pr. Inst. de Nupt. n. 10.* ac alii (dissentientibus S. Thoma, S. Antoninô, Covarruv. Sanch. Tann. Pont. Barb. P. Wiestner *h. n. 14.* & hoc teste Theologis & Canonistis primi nominis) probatur 1. leges tam irritantes, quàm simpliciter præcipientes vel prohibentes, quæ fun-

dantur in præsumptione generali, non cessant, etsi in uno vel altero casu non subsit, quod lex præsumit, uti docuimus ad *tit. II. de Constit. in lib. I. n. 39.* & patet in lege Matrimonia clandestina irritante propter generale periculum fraudum, licèt in aliquo casu particulari cesset periculum fraudis, in lege jejunii non obligantis ante completum 21. ætatis annum, licèt subinde adsit magna virium robustas &c. Sed leges Ecclesiasticæ ad Sponsalia exigentes septennium fundantur in præsumptione generali, quòd antea non adsit sufficiens discretio & rationis usus ad tam gravem obligationem sibi imponendam, & quòd aliàs fraudes, & confusiones facilè orirentur, si certa ætas non generaliter determinaretur: ergo, licèt in casu particulari citiùs adsit doli capacitas, & præcocitas ingenii prævertat annos, nec fraudis esset periculum vel incommodi, tamen propterea nec in tali casu particulari cessant, sed semper irritant Sponsalia priùs contracta. Confirmatur 1. Septennió minores, utut polleant ratione, de Jure alios contractus non celebrant validè. *per text. Inst. & l. 9. ff. de auth. tutor.* ergo nec Sponsalia. Confirm. 2. Leges Ecclesiasticæ *citt.* Sponsalia ante septennium contracta absolutè pronuntiant invalida, non excipiendo casum, quo prævenit usus rationis ætatem ordinariam: neque jura curant ea, quæ per accidens & rarò contingunt; sed generaliter ac indistinctè procedunt: ergo & sic observanda sunt. Prob. 2. Ubi Canones, & Leges, pro Professione Religiosa, Ordinibus, Dignitatibus, Testamentis faciendis, Contractibus celebrandis determinant certam ætatem, certa tempora, non valent actus antea, vel alio tempore celebrati, licèt jam antea adesset maturitas ingenii, prudentia, scientia &c. ergo id etiam obtinet in Sponsalibus. Id quod confirmatur etiam ex Jure Civili determinatè de Sponsalibus, quia *l. 14. ff. de Sponsal.* sic loquitur: *quapropter & à primordio ætatis Sponsalia effici pos-*

possunt, si modò id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores, quàm septem annis.

Unde infertur 1. Sponsalia, ante septennium completum inita, semper esse irrita; & quidem, si usus rationis nondum adsit, Jure Naturali, si verò annos prævertat doli & rationis capacitas, Jure Ecclesiastico. Infertur 2. Etiam post septennium contracta, si tum necdum sufficiens adesset rationis usus, non valere. Infertur 3. Si pubes necdum septenni promittat Matrimonium, non esse Sponsalia; cùm nec dum septennis repromittere nequeat; Sponsalia autem essentialiter sint mutua promissio Matrimonii. Interim tamen pubes obligaretur infanti ex promissione simplici, ut is hanc post adeptum rationis usum ratificare & acceptare possit; quia promissio infanti facta ex speciali Juris privilegio non requirit acceptationem. *l. f. C. de emancip. liberor.*

Oppones 1. *Quod parùm distat, nihil distare videtur: parùm pro nihilo reputatur:* sunt axiomata ex Aristotele 2. *Phys.* & usu Juristarum deprompta: item *proximè accingendus habetur pro accincto. arg. l. penult. ff. de testam. milit.* ergo non requiritur septennium omnino & physicè, sed sufficit moraliter completum. 2. Septennium præcisè est determinatum propter præsumptionem usûs rationis: sed, si pauci desint dies, vel horæ, non cessat ista præsumptio: ergo. 3. Ultima dies in favorabilibus habetur pro completa, uti patet in factione testamenti, quæ permittitur impuberi ultima die, quæ præcedit completos pubertatis annos, inchoatâ: sed Sponsalia & Matrimonium sunt causæ favorabiles: ergo. Confirmatur: licèt Jura certos annos ad suscipiendos SS. Ordines præscribant, sufficit tamen ultimum annum esse inchoatum: ergo à fortiori ad Sponsalia sufficiet ultima dies septennii inchoata. 4. Matrimonium ante annos pubertatis, quos præscribunt Jura, valet, casu quo malitia supplet ætatem: ergo & Sponsalia ante septennium, si malitia supplet ætatem. 5. Septennium præcisè re-

4

quiritur ideo, quia in hac ætate præsumitur adesse usus rationis : ergo, si iste noscitur citiùs adesse, valebunt Sponsalia. *arg. c. 13. §. Quodsi de restit. spoliat.* cùm præsumptio debeat cedere veritati. 6. In *c. 3. de Sponsal.* Juvenis, qui duxit in uxorem puellam nondum septennem, dicitur contraxisse impedimentum publicæ honestatis cum puellæ consobrina : ergo Sponsalia, in quorum vim valuit illud Matrimonium, fuerunt valida propter usum rationis jam existentem in puella ; nam nec de Jure Antiquo oriebatur dictum impedimentum ex Sponsalibus ob defectum consensûs invalidis. 7. Stando in Jure Naturali valent Sponsalia inter præditos usu rationis: de Jure autem Positivo oppositum non est clarè statutum, sed dubium est, eò quòd communior sententia neget divortium Juris Positivi in hoc puncto à Jure Naturali : ergo.

5 Ad 1. Illa axiomata locum habent solùm in ijs, in quibus certum tempus, vel ætas non est determinata a Jure; aliàs etiam procederent in Professione Religiosa &c. Ad 2. est determinatum ex præsumptione Juris, non Hominis : præsumptio autem Juris universaliter procedit, nec ab homine mutari potest. Item est præsumptio generalis, quæ in casu particulari non cessat, consequenter nec lex irritans, licèt in casu particulari non subsit, quod generaliter præsumitur, ut patet in Professione Religiosa, Matrimonio clandestino &c. adeóque non cedit veritati ; cùm ipsa præsumptio maneat vera, si maneat generaliter verum, quòd ordinariè non adsit usus rationis ante septennium completum, & quòd confusio vel alia incommoda generaliter adhuc oriri possint ex Sponsalibus citiùs contractis, ùti planè verum manet. Ad 3. Licèt id transmittatur, ubi causa est merè favorabilis, negatur tamen, si simul imponitur gravis obligatio vel onus : sed, si valerent Sponsalia, imponeretur gravis obligatio non recedendi à Sponsalibus ante annos pubertatis, & simul gravamen publicæ honestatis. Testa-

mon-

menti factio est merus favor; ideo non est paritas; deinde specialis est exceptio in factione Testamenti: exceptio autem firmat regulam in oppositum. Ad Confirm. *N. Cons. & parit.* tum quia contractio ætatis Ordinibus præfixæ spectat favorem Ordinandorum, tum quia praxis & authoritas DD. declarat leges Ecclesiasticas, quòd annos non physicè completos exigant, tum quia Jura aliis terminis utuntur, quam quoad Sponsalia; nam ad Ordines Sacros requirunt quidem certos annos, at nec virtualiter addunt, eos suscipi non posse ante eos completos, v. g. Presbyteratum ante ætatis vigesimum quintum annum, sicut tamen ante septennium *completum* valere non volunt Sponsalia. *Antequam septimum annum complêsset.* Item: *si puella septimum annum compleverat*, ajunt *c. 4. & c. 5. h. t.* Si replices adhuc, quòd in *l. 134. ff. de V. S.* annus non naturaliter juxta horas & momenta computari soleat; repono, id procedere de casu merè favorabili, vel quando leges non determinant tempus completum. Ad 4. *C. Ant. N. Cons.* partim quia in *c. 9. h. t.* de Matrimonio id legitur expressum, nullibi verò de Sponsalibus: partim quia dispar est ratio in Sponsalibus; nam ideo in Matrimonio respicitur ad pubertatem præcisè naturalem & potentiam generandi, quia stante tali potentia est periculum fornicationis: in Sponsalibus verò cessat hoc periculum, si contrahantur ante septennium completum, & attendatur præcisè ætas legalis. Ad 5. patet responsio ex dictis ad 2. nam leges in hac præsumptione generali fundatæ urgent generaliter pro omni casu Ad 6. Imprimis ex eo, quòd ortum fuisset in dicto casu impedimentum publicæ honestatis, non sequitur, Sponsalia ratione ætatis fuisse valida; cùm de Jure antiquo etiam ex invalidis potuerit oriri, modò invalida non fuerint ob defectum consensûs; qui consensus ibi juxta Adversarios non defuit. Deinde Pontifex ibi non pro certo, sed sub dubio, judicavit, ortum esse dictum impedimentum, & ideo

tutiorem partem elegit; nam dubium erat, utrùm Sponsalia post septennium non fuerint ratificata, saltem facto, quia addit Pontifex: *ex humana fragilitate forsitan tentaverunt, quod complere non potuerunt*, scilicet opus conjugale. Ad 7. quod in aliis quoque materiis objici, & non rarò malè applicari solet; id solùm procedit, quando pro utraque parte afferuntur textus Juris Positivi propè æqualis ponderis, & spectatis textibus & eorum rationibus dubium manet ac ferè æqualis probabilitas in utramque partem: at textus, & rationum momenta, cum adjectis paritatibus, pro nostra sententia allati tantum nobis pondus habere videntur, ut oppositæ longè prævaleat nostra. Certè si semper standum foret Juri Naturali, ubi aliqua textuum Juris Positivi apparens repugnantia se insinuat, Jus Positivum ferè in omni materia indifferenti negligendum foret, & solùm Naturæ dictamen attendendum. Vid. dicta *in lib. II. tit. 12. de caus. possess. & propriet. n. 15. in fine.*

6 Dico 2. Sponsalia post septennium, sed ante annos pubertatis inita, licèt valida, non tamen ita firma sunt, ut contrahentes liberè resilire non possint post adeptam pubertatem, si velint: licèt durante impubertate neutri resilire liceat: imò si pubertati proximi contraxissent Sponsalia cum juramento, probabiliter neutri etiam adepta pubertate licitum foret recedere, nisi mutuo consensu. Pars 1. & 2. habetur in *c. 7. & 8. h.t.* ratio primæ est, ne cogantur approbare, quod non satis firma ætate fecerunt: ratio secundæ, ne propter lubricum judicium Sponsalia sæpe contrahant temere & rursus dissolvant. Pars 3. Sumitur ex *c. 10. de Sponsal.* Si unus pubertatem priùs est consecutus, statim resilire potest non exspectata pubertate alterius. *c. 7. cit. v. si verò.* Si unus tantùm fuit impubes, & alter pubes, dum contracta sunt Sponsalia, illi tantùm, non huic resilire concessum est. *c. cit. v. mulier.* Sed quando resilire tenetur pubertatem adeptus? R. in continenti, seu illico, ut habet

habet communis sententia ; quia verò Jus non determinat certum tempus, *illico* autem *fieri dicitur*, *quod intra triduum proximum fit. l. fin. C. de Judic. l. fin. C. de errore Advoc.* saltem intra triduum declarare animam resiliendi debet ; alias censebitur tacitè Sponsalia ratificâsse. Sanch. *l. 1. d. 51. n. 14. seq.* Excipe, nisi ignoraverit se pubertatem attigisse, vel jus resiliendi sibi competere. Wagnereck *ad c. 7. cit. not.* 2. cùm tempus ignoranti non currat. P. Schmier *de Sponsal. p. 3. c. 2. sect. 1. n. 61.* indulget jus resiliendi tamdiu, quamdiu verbis vel factis non fuerint confirmata Sponsalia, in annis impubertatis inita, nec altera pars impletionem eorum petierit: quod mihi non improbabile videtur spectata ratione ; cùm Jus tempus non definiat. *Verbis*, inquam, *vel factis* ; nam & his ratificari possunt Sponsalia priora, ut si quis se gerat pro sponso: si munera mittat in signum amoris &c. Oppones contra 3. partem: Sponsalia impuberum habent hanc conditionem imbibitam, *nisi puberes facti resiliant* ; ergo etiam juramentum ijs adjectum habet hanc conditionem imbibitam ; cùm juramentum sequatur naturam contractûs, cui adjicitur. *l. fin. C. de non num. pecun.* R. specialiter exceptum esse casum, quo pubertati jam proximi adjiciunt juramentum Sponsalibus. *c. 10. cit.* proximus autem vel proxima pubertati censetur esse, cui deest tantùm dimidius, vel etiam integer annus, vel integer cum dimidio, juxta diversas Auctorum sententias : optimè faciunt, qui hoc determinare relinquunt arbitrio Judicis. Neque dicas, impuberum juramenta non valere. *can. 14. 15. caus. 22. q. 5.* Quia ibi tantùm prohibetur, ne impuberes cogantur jurare in ordine ad ferendum testimonium.

Dico 3. Sponsalia de præsenti, seu Matrimonium ante pubertatem completam initum non valet, nisi malitia suppleat ætatem : adeóque ad valorem sufficit pubertas tam Legalis, quàm Naturalis. *c. 2. 3. 6. 9. 10. 11. h. t.* 7

pr. Inſt. de Nupt. Si verò alterutra pubertas adſit, valet Matrimonium; adeóque ſi mas 14. fœmina 12. annos complevit, necdum tamen adeſt potentia proxima ad generandum, ſeu ad copulam (ſicut vice verſa, ſi malitia ſuppleat ætatem, & adſit potentia generandi cum uſu rationis pleno, nondum verò dicta ætas) uti ſæpè præſertim in fœmina duodenni, ſubſiſtit Matrimonium, eò quòd impotentia, niſi ſit perpetua, non ſit impedimentum dirimens. *c. 5. & fin. de frigidis.*

8 Quæres, an Matrimonium, quod contrahunt impuberes ante pubertatem tam Naturalem quàm Legalem invalidè in ratione Matrimonii, non habeat ſaltem vim Sponſalium de futuro? R. Affirmativè. *c. fin. h. t. & c. un. eod. in 6. §. idem quoque.* quia Jus præſumit, & interpretatur voluntatem impuberum, quòd velint ſaltem contrahere Sponſalia, ad quæ ſunt habiles, juxta illud: *ſi actus non valet, ut ago, valeat meliori, quo poteſt, modo.* Excipe, niſi expreſsè Sponſalia excluderent; & determinatè non niſi Matrimonium contrahere intenderent; quia actus non valent ultra intentionem agentium: & tunc ſubintrat aliud axioma ex *c. 23. de offic. deleg.* deſumptum: *quod voluit, non potuit; & quod potuit, non voluit.*

9 Dico 4. Sponſalia contrahentes ante ſeptennium non peccant; peccant tamen contrahentes Matrimonium ante pubertatem completam, vel Legalem, vel Naturalem. Ratio; quia Jus Sponſalia ante ætatem præſcriptam inita irritans non continet prohibitionem expreſſam, nec tacitam; cùm ea non probetur ſatis: econtra Jus irritans Matrimonium ante ætatem præſcriptam continet prohibitionem tum expreſſam in *c. 2. h. t.* ibi: *diſtrictiùs inhibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem Legibus vel Canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur*; tum tacitam, quia tales Matrimonium contrahere attentantes fruſtrant Sacramentum Matrimonii ponendo nulliter materiam illius & formam.

Op-

Oppones 1. Verba *d. c. ne conjungantur*, denotant vel conjunctionem animorum, etiam per Sponsalia de futuro, & sic etiam Sponsalia ante septennium ineuntur illicitè, vel conjunctionem carnalem, consequenter non prohibetur ipse contractus Matrimonialis. 2. Actus non operantur ultra intentionem operantium: sed qui ante annos pubertatis contrahunt Matrimonium, implicitè, virtualiter, & ex interpretatione Juris solùm intendunt contrahere Sponsalia: ergo tantùm contrahunt Sponsalia, & non Matrimonium: ergo non frustrant Sacramentum Matrimonii: ergo non agunt illicitè. R. ad 1. Per Sponsalia de futuro potiùs promittitur, quàm fit, stricta conjunctio animorum: conjunctio autem carnalis per copulam ne quidem in casu necessitatis publicæ indulgeri impuberibus potest: ibidem autem sermo est de tali conjunctione, quæ ob publicam pacis necessitatem tolerari potest: ergo textus de neutra ex dictis conjunctionibus intelligendus est. Ad 2. Tales impuberes, quantùm est ex se, verè intendunt contrahere Matrimonium, quod tamen non possunt, & solùm ex præsumptione ac interpretatione Juris censentur velle Sponsalia, casu quo ipsorum actus non valet, uti agunt, & intendunt ipsi per se.

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

SUMMARIUM

1. *Desponsatio Clandestina duplex consideratur.*
2. 3. *Denuntiationes Matrimonio præmittendæ, & Benedictio Nuptialis quid.*
4. *Ubi, quomodo, & quando denuntiationes sint faciendæ.*

5. *Earum omissio non quidem invalidum, sed per se reddit illicitum Matrimonium.*
6. 7. *Quis & qua de causa in iis dispensare valeat.*
8. *Quas pœnas incurrant, qui illas omittunt.*
9. *Benedictio Nuptiarum à quo & quando adhibenda.*
10. *Matrimonium simpliciter Clandestinum dicitur, quod absque præsentia parochi & testium contrahitur.*
11. *Sine his contrahere etiam de Jure Antiquo erat prohibitum.*
12. 13. *De Jure novo Tridentini autem, ubi hoc est promulgatum, nec usu contrario abrogatum, Catholici etiam invalidè contrahunt absque illorum præsentia.*
14. *Etiam in casu, quo studiosè se conferunt ad locum, ubi Tridentinum non est promulgatum vel receptum, ut ibi contrahant.*
15. 16. 17. *Hæretici tamen probabilius validè contrahunt clandestinè, vel coram Præcone suo, etiam in loco, ubi Tridentinum aliquando fuit promulgatum.*
18. 19. *Qualis Parochi assistentia requiratur & sufficiat.*
20. 21. *Præsertim respectu Vagorum, & Militum.*
22. 23. *Quis alius assistat validè loco parochi, & cum qua hujus licentia.*
24. 25. *Quot, quales, & quomodo præter parochum præsentes esse debeant testes alii.*
26. *Contrahentes Matrimonium sine præsentia parochi & testium quomodo puniantur.*
27. *Et an Sponsalia de futuro saltem perficiant.*
28. 29. *Qui Matrimonium contraxerunt coram parocho & testibus, at invalidum, non tenentur istud restaurare coram iisdem, si impedimentum fuit & manet occultum.*

Scien-

Digitized by Google

SCiendum 1. per *Desponsationem* hic non intelligi (uti aliàs ordinariè) Sponsalia de futuro, sed de præsenti, seu ipsum Matrimonialem contractum: per *Clandestinam* verò intelligi illam, quæ fit clàm, non in facie Ecclesiæ, aut sine prævìis denuntiationibus; adeóque *Clandestinum* erit Matrimonium, quod sine solennitatibus â Jure vel ad valorem vel ad licentiam requisitis contrahitur; nam alia solennitas est substantialis, intrinseca, & ad formam ac valorem Matrimonii requisita, nimirum præsentia proprii parochi, & duorum vel trium testium, quæ si adsit, dicitur Matrimonium contrahi *in facie Ecclesiæ*, si absit, vocatur *Clandestinum simpliciter*. Et hæc *clandestineitas* ordinariè intelligitur per impedimentum clandestineitatis. Alia autem est accidentalis, extrinseca, & non ad formam vel valorem, sed ad licentiam ordinariè, atque ad detegendum impedimentum præscripta, videlicet trina denuntiatio prævia; quæ si omittatur, Matrimonium appellatur *clandestinum secundùm quid*. Ad solennitatem accidentalem etiam refertur benedictio Nuptiarum & copulatio Sponsorum à Sacerdote facta. Nos priùs agemus de solennitate accidentali, nimirum trina denuntiatione, benedictione & copulatione Sacerdotis, sive de Matrimonio secundùm quid clandestino. 1

Sc. 2. *Denuntiationes* (alio nomine Banna) Matrimonio præmittendas nihil esse aliud, quàm proclamationes seu monitiones publicas de Matrimonio duorum contrahendo, in Ecclesia coram populo frequenti faciendas eum in finem, ut, siquis impedimentum aliquod seu dirimens seu impediens inter contrahere volentes novit, in tempore illud manifestet parocho, ut is rem ulteriùs examinet, & copulationem differat, usquedum constet, impedimentum dari nullum, vel, si detur, desuper impetretur dispensatio. In re communis ex *c. fin. h. t. & Trid. s. 24. c. 1. de Ref. Matrim.* ubi Sancta Synodus præcipit, *ut imposterum, antequam Matrimo-* 2

nium

nium contrahatur, ter à proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solennia publicè denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. Ex quibus fit, fideles graviter obligari ad denuntiandum impedimentum, si quod noverint, si absque gravi suo incommodo possint, vel saltem ad secretò monendos contrahere volentes, si scandalum vel damnum ex manifestatione timeatur, & secreta monitio credatur suffectura.

3 Sc. 3. Per *Benedictionem Nuptialem* intelligi ceremonias & precationes sacras, in solennitate nuptiarum à Sacerdote adhiberi solitas. *can. 1. caus. 30. q. 5.* ut nimirum illarum intuitu Deus novis Sponsis necessariam impertiatur gratiam ad onera Matrimonii faciliùs sustinenda, & soboleu Christianè educandam. De hac Trid. *lo. cit.* sic loquitur: *Eadem Sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitq; benedictionem à proprio parocho fieri; neq; à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse. &c. Quòd si quis Parochus, vel alius Sacerdos &c. alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso Jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.*

4 Dico 1. Denuntiationes regulariter fieri debent ante contractum Matrimonialem, ter, tribus diebus festivis continuis, in Ecclesia inter Missarum solennia, â proprio Parocho utriusque contrahentis. 2. Scilicet â Parocho domicilii vel quasi-domicilii, quod contrahentes actu habent, ut vult Pontius *l. 5. de Matrim. c. 30. n. 5.* Bosco, & alii, idque textui Tridentini conformius est, quia proprius contrahentium Parochus esse

esse censetur, in cujus parochia habitant actu contrahentes: vel quod paulò antè habuerunt diutiùs ibi versati, ut volunt Sanch. *l. 3. d. 6. n. 6. 7.* Guttierez, & communior; quia sic menti Tridentini magis satisfit, cùm in tali loco, aut domicilio parentum, ubi diu commorati sunt, major haberi potest notitia impedimentorũ. Utraq; pars Assertionis sumitur ex Trid. *lo. cit. & d. c. fin.* Optimè attenditur consuetudo. Dixi 1. *ante contractum Matrimonialem.* Si fortè ex permissione Episcopi fuissent prætermissæ, & ex justa causa dilatæ (& non per dispensationem omnino remissæ) suppleri deberent post nuptias, & ante illas publicè factas si conjuges consumment Matrimonium, peccant mortaliter, ut cum Sanch. *l. 3. d. 11. n. 3. 5.* docent communiter, & quidem toties, quoties ante factas denuntiationes exercent copulam, ut cum Sanch. & veriori docet Pirhing *h. n. 30.* contra Guttierez, Palao, & Barb. partim quia urget præceptum Ecclesiæ in re gravi, partim quia se semper exponunt periculo fornicationis formalis propter nondum adhibitam diligentiam in detegendo impedimento à Jure præscriptam. Nec obstat, quòd videantur sibi habere certitudinem de carentia impedimenti. 2. *Ter;* nisi dispensetur, vel fortè timeatur, ne, si ternæ fierent denuntiationes, Matrimonium malitiosè impediatur; tunc enim putant, post unicam posse contrahi Matrimonium, interjectô tamen ab illa aliquot dierum intervallô. 3. *Tribus diebus festivis continuis:* non tamen excluduntur dies dominicæ, ut declarat praxis: nec festa debent esse immediatè continua, ut dies feriales non intermedient, modò non intermedient festa; imò si festa immediatè essent continua, uti in triduo Paschatis, rectè interpolantur; cùm intentioni Tridentini videatur conformius, si inter unam & alteram denuntiationem decurrant dies aliquot, ut sufficiens relinquatur spatium inquirendi & detegendi impedimenta. Absolutis autem denuntiationibus ternis non nimis diu differendum Matri-

monium, tum propter periculum incontinentiæ in ſponſis, tum ne ob ſupervenientis fortè impedimenti periculum denuntiationes de novo faciendæ ſint. 4. *In Eccleſia inter Miſſarum ſolennia.* Notant tamen DD. per accidens & in caſu extraordinario illas fieri poſſe in loco honeſto extra Eccleſiam & Miſſarum ſolennia (uti etiam die non feſto) ſi frequens populus in aliqua celebritate concurrat extra Eccleſiam (vel die feriato) v. g. ſi populus numeroſus confluat ad concionem extra Eccleſiam habendam, etiam die non feſtivo; ſic enim præſumunt intentioni Eccleſiæ ſatisfieri, quæ videtur diem feſtum, & Miſſarum ſolennia, ideo deſignâſſe, quia tunc ſolet frequens adeſſe populus, ut certiùs innoteſcat de impedimento. 5. *à Parocho*, ſcilicet vel per ſe vel per alium; non enim ipſi prohibitum eſt ſubſtituere alium, præſertim Sacerdotem; nec obeſſet, ſi laicum, v. g. ædituum ad id conſtitueret: quod ultimum tamen, niſi ita habeat conſuetudo, fortè non ſatis eſſet conveniens. Quamvis autem Tridentinum requirat *proprium* Parochum juxta explicationem ſuprà datam; non tamen dicit, in *propria parochia* eſſe faciendas. Ex quo Bellarminus & alii haud malè inferunt, etiam alibi fieri poſſe, ubi videtur meliùs haberi poſſe notitia impedimentorum. 6. *Utriusque contrahentis*; adeóque ſi contrahentes pertinent ad diverſas parochias, fieri debent in utraque, ubi habent, vel proximè habuerunt, diutiùs ibi verſati, domicilium vel quaſi-domicilium; quia uterque Parochus talium contrahentium eſt propriùs: niſi nimirum aliud habeat praxis locorum, vel niſi ob diſtantiam notabilem, vel aliam cauſam, commodè in utraque parochia fieri nequeant: ſic ſi Studioſus in loco ſtudii contrahat Matrimonium, non eſt neceſſe, ut denuntietur in patria: vel niſi tam modica ſit diſtantia inter parochias, ut, quod in una fit, facilè innoteſcat in altera.

§ Dico 2. Denuntiationes non ſunt neceſſariæ ad valo-

fett

em Matrimonii. 2. Licèt absque peccato gravi non omittantur, secluſa diſpenſatione vel juſta cauſa excuſante, etiamſi conſtaret nullum ſubeſſe impedimentum. Partis 1. quam tenet communis contra Gl. Hoſtienſ. Felin. quos citat & ſequitur Menoch. *volum.* 1. *Conſil.* 69. *n.* 69. *ſeqq.* ratio eſt, quia nullum exſtat Jus irritans: & quidem de Jure Antiquo certè non obſtabat valori omiſſio denuntiationum, ut patet ex *c. fin. cit.* Tridentinum verò, quamvis præceperit illas fieri, non tamen clauſulam irritantem adjecit, imò expreſsè dixit, ſe velle inſiſtere veſtigiis Concilii Lateranenſis, ex quo deſumptum eſt *d. c.* Confirmatur ex recepta Eccleſiæ praxi. Pars 2. conſtat tum ex præcepto Tridentini ſub gravibus pœnis præcipiente denuntiationes prævias, tum quia ipſa materia in ſe eſt gravis, & graviſſima incommoda ex earum omiſſione ſequi poſſunt, ſcilicet invalida Matrimonia, actus fornicarii, illegitimæ proles &c. Addidi autem 1. *absque peccato gravi:* utrùm verò grave ſit, ſi unica ex tribus denuntiatio omittatur, diſputant: Illſung cum Perez, Coninck, Pontio affirmat, Sanch. Barboſ. Bonac. Tambur. negant; quia unam duntaxat omittere eſt ſolùm violare partem gravis præcepti. Dein olim tantùm una fuit denuntiatio in uſu, & ſecluſo præcepto ſpeciali de trina poſſet ſufficere ſimpliciter. 2. *Secluſa diſpenſatione, & juſtâ causâ*, de quibus poſtea. 3. *Etiamſi conſtaret, nullum ſubeſſe impedimentum*; nam Lex generaliter aliquid præcipiens, & fundata in periculo univerſali fraudum, vel incommodorum &c. non ceſſat, quamvis in caſu particulari ceſſet ratio, vel periculum, propter quod Lex eſt lata: alias illi, qui careret periculô perverſionis, permiſſum foret legere libros hæreticos absque licentia: validè contraheret Matrimonium ſine præſentia Parochi, qui procul foret à fraude. &c.

Oppones 1. *Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. c.* 64. *de R. J. in* 6. atqui Matrimo-

nium

nium ſine bannis ſeu denuntiationibus fit contra Jus: ergo. 2. Trident. utitur *ablativô abſolutè poſitô* dicens, *quibus denuntiationibus factis*: ſed ablativus abſolutè poſitus importat conditionem *ſine qua non*, & dat formam actui. 3. Trident. non aliter concedit parocho poteſtatem aſſiſtendi Matrimonio, niſi *præmiſſis denuntiationibus*. N. ad 1. Quæ contra Jus, irritationem actûs expreſsè vel tacitè inducens, ſunt, pro infectis haberi debent. *C. Ma.* quæ contra Jus præcisè præcipiens vel prohibens. *N. Ma.* Ad 2. *diſt. Min.* Ablativus abſolutè poſitus importat conditionem *ſine qua non* propriè vel impropriè dictam, & dat formam vel ſubſtantialem vel accidentalem, prout nempe colligitur ex verbis legis. *Trans. Min.* importat ſemper conditionem propriè dictam, & dat formam ſemper ſubſtantialem, ubi id non exprimit vel innuit lex. *N. Min.* In noſtro caſu nec exprimit, nec innuit conditionem propriè dictam, vel formam ſubſtantialem. Ad 3. Trident. concedit quidem Parocho poteſtatem limitatam aſſiſtendi, & non aliter niſi præmiſſis denuntiationibus, at hæc limitatio ſolùm facit, ut aliter non aſſiſtat licitè, non verò ut nec validè aſſiſtat. Sicut autem Parochus peccat aſſiſtendo, ita & Sponſi, ac alii complices, contrahendo, vel juvando ad contrahendum, ſine prævîis denuntiationibus.

O Dico 3. Diſpenſare in denuntiationibus poteſt (& ordinariè debet) ſi juſta cauſa exigat, Epiſcopus, imò & Vicarius Generalis. Sumitur ex *Trid. l. cit.* quod ſic habet: *niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædicta denuntiationes remittantur: quod illius prudentiæ & judicio S. Synodus relinquit.* Sed nomine *Ordinarii* venit etiam Vicarius Generalis, ut tradunt communiter DD. cum Sanch. *l. 3. d. 7. n. 10.* & ſumitur ex Trid. *ſ. 24. c. 6. de Ref.* ubi licentiam dans Epiſcopis expreſsè excipit Vicarios: ergo, ubi eos non excipit, illos comprehendit. Confirmatur ex recepta to-

tius

tius Orbis praxi, de qua testatur Guttierez. Quia verò nomine *Ordinarii* in Jure non venit Parochus, huic negant plerique potestatem dispensandi, etiam in casu necessitatis: eandem verò tribuunt Prælatis in certo territorio potestatem quasi Episcopalem exercentibus. Porro Episcopis concessum est dispensare cum utroque contrahente, licèt unus aliàs ratione domicilii vel quasi-domilii non sit subditus. Sanch. *l.* 3. *d.* 7. *n.* 8. quia alter fit subditus ratione connexionis causarum. Dixi, *ordinariè debet*: quando autem non solùm possit, sed etiam teneatur dispensare, patebit ex Assertione seq.

Oppones 1. Episcopus potest Vicario suo denegare potestatem dispensandi in denuntiationibus, ut docet Sanch. & plerique alii: ergo non habet hanc potestatem ratione officii & Vicariatûs, aut à Lege, nec illa est ordinaria: nam si illam haberet vi officii à Lege, denegari ab Episcopo ipsi non posset, sicut potestas validè assistendi Matrimonio denegari Parocho nequit ab eodem, eò quòd illam habeat à Lege ratione officii Parochialis. 2. In generali commissione Vicariatûs non comprehenditur potestas dispensandi, uti probat Sanch. *l.* 2. *d.* 40. *n.* 12. ergò. 3. Causæ Matrimoniales sunt arduæ & æquiparantur Criminalibus. *c.* 9. *de restit. in integr.* atque ideo reservantur solis Episcopis. Trid. *s.* 24. *c.* 20. *de ref.* ergò. 4. In gravi necessitate, v. g. si concubinarius in articulo mortis vellet cum concubina contrahere Matrimonium ad legitimandas proles: vel si Sponsus desertâ Sponsâ meditaretur abitum: vel periculum foret, ne Matrimonium malitiosè impediretur, si recurreretur ad Episcopum pro dispensatione in denuntiationibus &c. ratio exigit, ut Parochus dispenset: ergo etiam Parochus, saltem quando ad Episcopum recurri absque periculo nequit, dispensare potest. R. ad 1. *C. Ant. N. Conf.* Licèt Vicarius hanc potestatem dispensandi habeat ratione officii à Lege, quoad exercitium tamen ea dependet ab Episcopo, hoc ipso quòd sit hujus Vicarius, &

illam habeat quasi conditionatè, nisi Episcopus sibi specialiter reservet. Econtra Parochus in ordine ad Assistentiam Matrimonialem non est Vicarius Episcopi, sed potestatem assistendi habet à Lege independenter ab illo, adeóque validè assistit, Episcopo etiam prohibente. Ad 2. *dist. Ant.* non comprehenditur potestas dispensandi in omnibus, in quibus potest Episcopus. *C. Ant.* in ijs, quorum dispensatio à Jure committitur Episcopo sub voce *Ordinarii. N. Ant. & Conf.* Ad 3. Imprimis dispensatio in denuntiationibus non videtur esse res valde ardua. Deinde communiùs docent, causas Matrimoniales non esse ita reservatas Episcopo à Trid. ut excludatur Vicarius Generalis, uti desumunt ex Trid. *lo. cit. & c. fin. de Cognat. Spirit.* ubi acta est causa Matrimonialis coram Vicario Generali sine mentione mandati specialis. Ad 4. In dictis casibus Parochus non dispensat, licèt aliqui cum Gobat *tr. 10. n. 496.* & Tambur. vocent dispensationem, sed per quandam epijkiam interpretatur legem, & declarat, eam in his casibus non obligare. Gonzal. *in c. fin. h. t. n. 7.* Pirhing *n. 29.*

7 Dico 4. Ut Episcopus, vel Vicarius Generalis, licitè imò & validè dispenset, requiritur justa causa, saltem ubi certi aliunde non sunt, nullum subesse impedimentum, vel nisi dispensent cum Magnatibus, quorum Matrimonia cùm aliunde innotescant facilè, etiam facilè in notitiam impedimentorum devenitur. Unde & priùs de justitia causæ accuratè cognoscere debent. Sumitur ex Trid. *lo. cit.* quod dispensationem relinquit *prudentiæ* Episcopi: sed procedens absque justa causa non agit prudenter. Ratio petitur ex principiis generalibus dispensationum; nam dispensatio sine causa non tam est dispensatio, quàm dissipatio, & temeraria legum violatio. Necesse tamen non est, ut præmittatur Judicialis cognitio causæ, vel impedimenti inquisitio, servato Juris ordine, ut patet tum ex usu, tum ex *c. fin. de Voto. c. fin. de hæret.*

ret. in 6. cùm hæc diſpenſatio ſit actus jurisdictionis voluntariæ. *Cauſæ* autem diſpenſandi in denuntiationibus, vel eas, ſi viſum fuerit, differendi poſt Matrimonium contractum, vel permittendi, ut tantùm unica fiat, rationabiles cenſentur eſſe ſequentes. 1. Erubeſcentia aut pudor, qui ex denuntiationibus facilè ſecuturus creditur, ut ſi valde ſenex cum juvencula, valde nobilis cum plebeia, aut alius cum valde diſpari vellet contrahere Matrimonium. 2. Moralis certitudo, nullum adeſſe impedimentum, vel aliunde detegendum, ſi ſubeſſet, ut ſi Magnates contrahunt. 3. Moralis inutilitas denuntiationum, ut ſi contrahunt vagi, vel penitus ignoti. 4. Metus probabilis, ne Matrimonium, quod inire præſtat, malitiosè impediatur à conſanguineis, vel aliis. 5. Conjectura probabilis, ne alterutra pars, ſi Matrimonium paululum differatur, injuſtè reſiliat aliud Matrimonium contrahendo, vel militiam ſequendo &c. vel ne deflorator, qui nunc vult ducere corruptam ad reſarciendum damnum, rurſus pœniteat. 6. Anguſtia temporis, ut ſi inſtet Adventus vel Quadrageſima, Matrimonium verò abſque notabili incommodo, aut periculo incontinentiæ differri diutiùs non poſſit. 7. Evitatio infamiæ, ut ſi Matrimonium jam ſemel fuit in facie Eccleſiæ contractum, ſed nulliter: vel ſi communiter habiti pro conjugibus jam diutiùs cohabitâſſent. 8. Periculum, ne aliqui puniantur tanquam concubinarii, ſi differatur Matrimonium, quod inire volunt ad evitandam pœnam. 9. Articulus mortis, in quo conſtitutus concubinarius vult ducere concubinam. 10. Moralis impoſſibilitas, ut ſi ob graſſantem peſtem populus non confluat. 11. Denique generaliter quæcunque notabilis incommoditas corporalis aut ſpiritualis, ſeu malum ex dilatione Matrimonii ſecuturum, vel quæcunque notabilis commoditas, ſeu bonum temporale aut ſpirituale ex acceleratione Matrimonii proventurum. Maximè id procedit, ſi vertatur malum vel bonum publicum Communitatis.

Digitized by Google

Hic animadverte 1. Ordinarium *teneri* ad dispensationem toties, quoties vel privatis contrahentibus, vel communitati, per eam avertitur notabile malum, vel procuratur bonum, v. g. honoris, famæ, corporis, fortunarum &c. uti contingit in omnibus causis, exceptis tribus primis; quia id jubet tum Charitas, tum Justitia Legalis, tum recta ratio. Quando autem tale commodum vel præjudicium non vertitur, dispensatio est mera gratia & misericordia: aliàs autem est justitia & debitum; quamvis adhuc retineat aliquo modo naturam favoris & gratiæ, cùm non sit debita ex justitia rigorosa. Animadverte 2. Si una ex allatis causis adsit, & propter periculum in mora nequeat recurri ad Ordinarium, posse Parochum regulariter assistere Matrimonio non petita dispensatione ex epiikeia: si verò periculum in mora non sit, debere recurri, & peti dispensationem; quam si Ordinarius manifestè neget injustè, eò quòd certò adsit causa, propter quam tenetur dispensare, non tamen dispensat, Parochus licitè assistit, & Sponsi licitè contrahunt Matrimonium, saltem in foro interno. Palao *de Sponsal. d. 2. pu. 13. §. 5. n. 4.* cum Navar. quia videtur adesse moralis necessitas contrahendi & assistendi, qua urgente non obligat lex humana. *l. un. ff. de Offic. Consul.* quod enim ex lege licitum non est, necessitas facit licitum. *c. 4. de R. J.*

8 Dico 5. Pœnæ omittentium absque dispensatione denuntiationes præter reatum culpæ & pœnæ æternæ sunt sequentes. 1. Parochus, vel alius Sacerdos ex illius commissione, scienter Matrimonio taliter clandestino assistens subjacet suspensioni triennali ab officio, sed sententiæ ferendæ. *c. fin. h. t.* quidquid contra communem dicat P. Engel *eod. n. 2.* quæ reservata est Summo Pontifici, ut cum aliis docet P. Kugler *de Matrim. n. 246.* cùm sit statuta à Jure Communi, & quidem ad determinatum tempus, Episcopus autem illam ferre debeat tantùm ministerialiter. 2. Contrahentes ipsi, si omissio cul-

culpabiliter bannis celebrent fortè Matrimonium nullum propter quodcunque impedimentum dirimens, non facilè impetrant dispensationem in tali impedimento. Trid. *s.* 24. *c.* 5. *de Ref. Matrim.* & hinc omissio hæc in petitione dispensationis necessariò exprimenda est. 3. Proles, si forte ob impedimentum, etiam ignoratum à contrahentibus, Matrimoniũ sit irritum, sunt illegitimæ, non obstante dicta ignorantia, vel quòd Matrimonium coram Parocho, testibus, vel etiam numeroso populo sit contractum. *c. fin. cit.* §. *fiquis.* cùm Trid. *lo. cit.* tales comparet contrahentibus scienter cum impedimento. Et hæc illegitimitas probabiliùs procedit etiam casu, quo non propter impedimentum consanguinitatis vel affinitatis, quod specificatur in *d. c. fin.* sed etiam propter aliud non subsistit; cùm eadem in aliis quoque impedimentis reperiatur ratio Juris, scilicet affectatio ignorantiæ, & præsumptio scientiæ propter omissum remedium à Jure præscriptum, præsertim cùm *c. cit.* satis clarè alia quoque impedimenta exprimat, dicendo, *investigent, utrùm aliquod impedimentum obsistat.* Nec obstat favor prolium; quia esset præjudicios⁹ aliis hæredibus; & favor Reipublicæ ab illicitis Nuptiis purgandæ præferendus videtur: ex quo capite defendit Sanch. hanc legem de illegitimitate prolium non odiosam, sed favorabilem, adeóque extendendam esse. Aliqui tamen proles habent pro legitimis, quando impedimentum est tale, ut etiam adhibitis denuntiationibus deprehendi non potuisset: & plerique illas, quæ post approbatum ab Ecclesia tale Matrimonium clandestinum natæ sunt. *c. 9. qui filii.* 4. Tam Parochus, quam contrahentes, propter omissas culpabiliter denuntiationes (uti & testes atque cooperantes) arbitrariè insuper puniendi sunt. per *c. fin. cit.* Oppones. Matrimonium, si contrahatur coram Parocho & testibus, vel etiam numeroso populo, licèt culpabiliter fuerint omissæ denuntiationes, non est clandestinum, cùm in facie Ecclesiæ contrahatur, & publicum

blicum sit: ergo contrahentes erunt immunes à pœnis, & à fortiori proles innocentes ab illegitimitate. Ita Bossius cum sat multis Juris utriusque peritis. R. *dist. Ant.* non est clandestinum illa clandestinitate, quæ facit Matrimonium irritum, & est publicum aliqua publicitate. *C. Ant.* Non est clandestinum, seu est publicum omni & debita publicitate legali *c. fin. cit.* Matrimonium reddente licitum, aut à pœnis excusante. N. *Ant.* & *Conf.*

9 Dico 6. Benedictio Nuptiarum solennis inter Missarum solennia sub præcepto est impertienda, & quidem à Parocho proprio, vel ex hujus commissione ab alio sacerdote, non tamen secundis Nuptiis de Jure. Sumitur ex *can.* 1. 2. 3. 4. 5. *caus.* 30. *q.* 5. *c.* 1. & 3. *de Secund. Nupt.* Trid. *s.* 24. *c.* 1. *de Reform. Matrim.* Consonat praxis & communis DD. Dixi autem 1. *Benedictio Nuptiarum solennis*, quæ nimirum consequitur contractum Matrimonialem, cui sacerdos adjungit verba, *ego vos conjungo in nomine Patris.* &c. qui etiam extra Ecclesiam celebrari potest. 2. *Inter Missarum solennia*, vel (ubi ita fert usus) saltem ante altare, vel in templo; imò & in domo privata. 3. *Sub præcepto*, non tamen graviter obligante, si absit scandalum vel contemptus, ut habet communior. Nec obstat, quòd Trid. utatur verbo, *hortatur* S. Synodus, adeóque videatur nullum exstare præceptum; nam præceptum indicant *cann. citt.* quod præceptum ut abservetur, *hortari* Tridentinum videtur. Accedit communis sensus fidelium. Vel dic, Trid. *hortari* contrahentes, ut recipiant, non verò Sacerdotes, ut impertiant: adeóque respectu horum reliquit præceptum antiqui Juris. 4. *à proprio Parocho* &c. si alius, absque delegatione vel licentia proprii Parochi vel Ordinarii hanc benedictionem perageret, ipso facto pœnam suspensionis incurreret tamdiu duraturam, usquedum ab Ordinario illius Parochi, cujus subditis benedictionem impertitus est, absol-

va-

vatur. Trid. *lo. cit.* 5. *Non tamen ſecundis nuptiis de Jure. c.* 1. *& 3. citt.* Si nempe unus, vel uterque contrahentium, jam ſemel priùs contraxit nuptias, & benedictionem recepit; quamvis alii indulgeant benedictionem iteratam, ſi vir contrahens jam aliquando recepit, non verò, ſi fœmina contrahens jam aliquando fuit benedicta. Sed meliùs propter *c.* 3. *cit.* neganda eſt benedictio ſecundis Nuptiis, ſive vir, ſive fœmina eam jam aliquando ſuſceperit, ſecundò nubens. Ratio, quia, ut major ſit benedictionum ſolennium reverentia, eas Eccleſia non vult repeti reſpectu ejusdem rei; cùm ſemel acquiſita non amittatur ampliùs, & ab uno conjuge in alterum diffundatur. Interim tamen vi conſuetudinis, vel etiam particularium Statutorum, etiam ſecundæ nuptiæ alicubi benedicuntur, ſaltem ſi unus conjugum nunquam recepit benedictionem: quæ proin attendenda ſunt, maxmè Rituale Diœceſanum. Pæna Parochi, vel Sacerdotis, qui benedicit ſecundas nuptias contra prohibitionem Juris, nec excuſatus à conſuetudine, eſt ſuſpenſio ferendæ ſententiæ. *c.* 1. *cit.* Sed quia videtur hæc pœna delicti qualitatem excedere, multi cum Sanch. *d.* 82. *l.* 7. *n.* 30. ſolùm intelligi volunt de benedicente ſecundas nuptias, quas aliquis contrahit ſtante adhuc priori Matrimonio, vel ſtante dubio de morte prioris conjugis, conformiter ad Trid. *l. cit.* Pœna igitur erit arbitraria.

His ita complanatis tranſeundum modò eſt ad clandeſtinitatem ſimpliciter talem Matrimonii, quod celebratur absque præſentia Parochi & teſtium, quæ ad formam ſubſtantialem illius pertinet. Agendum proin

De Impedimento Clandeſtineitatis.

SCiendum 1. Matrimonium *ſimpliciter clandeſtinum* dici illud, quod clàm, ſeu extra conſpectum Eccle- 10

Digitized by Google

ſiæ, h. e. ſine præſentia Parochi, & duorum vel trium teſtium, contrahitur; conſequenter impedimentum *clandeſtineitatis* dirimens eſſe, quando Matrimonium absque dicta præſentia Parochi & teſtium celebratur. Quæ de re ſic ſtatuit Tridentinum *ſ. 24. c. 1. de Ref. Matrim. Qui aliter, quàm præſente parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat. Inſuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore teſtium numero, & teſtes, qui ſine Parocho, vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipſos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit - - -. Quodſi quis Parochus, vel alius Sacerdos, ſive Regularis ſive ſæcularis ſit, etiamſi id ſibi ex privilegio vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius parochiæ ſponſos, ſine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere aut benedicere auſus fuerit; ipſo Jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur. - - - Ne verò hæc tam ſalubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, ut, cùm primùm potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in ſingulis ſuarum Diœceſium parochialibus Eccleſiis. - - Decernit inſuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia ſuum robur poſt 30. dies habere incipiat, à die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos.* Quibus verbis comprehenditur totius hac ſuper re doctrinæ ſubſtantia, quam deinceps ampliùs explicatum imus, maximè 1. quinam obligentur hoc decreto Conciliari, ut eo non obſervato invalidè contrahant Matrimonium: ubi ſpecialiter de hæreticis.

2. Quis

1. Quis Parochus, vel alius ex ejus commissione, assistat eidem validè: ubi etiam de loco, in quo assistendum, & de licentia alteri data. 3. Quot, quales, & quomodo præsentes esse debeant testes. 4. Quam pœnam incurrant contravenientes dicto decreto. 5. An Matrimonium sine Parocho & testibus contractum habeat vim Sponsalium saltem. 6. An invalidè priùs contractum renovari seu instaurari debeat coram Parocho & testibus.

S. 2. Matrimonia dictô modô clandestina semper 11
quidem (justa causa absente) illicita & prohibita fuisse, non quidem Jure Naturali, ut habet verior sententia, sed Jure Ecclesiastico, ut patet ex Trid. *c. cit. pr. ex can. 1. seqq. caus. 30. q. 5.* valida tamen semper fuisse ante præfatam Synodum. *c. 2. h. t.* jam verò ab eadem esse irritatata propter generale periculum, ne quis priorem conjugem clandestinè & validè ductam rursus postea repudiet, & aliam in facie Ecclesiæ ducat, atque sic in perpetuis adulteriis vivat. Adeóque non tam in pœnam, quàm ob bonum animarum & publicum lata est hæc lex Matrimonia clandestina irritans.

Dico 1. Omnes Catholici, etiam peregrini & vagi, 12
contrahentes Matrimonium in loco & Parochia, ubi præfatum Tridentini decretum aliquando promulgatum, nec usu contrario abrogatum est, absolutè tenentur illud observare, ita ut, si sine parochi & testium præsentia attentent contrahere, Matrimonium sit nullum, licèt mille alii essent præsentes, vel licèt ignorarent hoc decretum; nec illos excusat ulla necessitas privata. DD. communiter, id desumentes ex Trid. *lo. cit.* eò quòd præsentia Parochi per illius verba, *qui aliter* &c. requiratur non tanquam forma extrinseca vel solennitas accidentalis, aut ad probationem, sed tanquam forma substantialis & solennitas intrinseca, quæ per aliquid aliud suppleri nequit. *arg. §. 2. Inst. de Auct. Tutor.* & ipsi contrahentes ad *aliter* contrahendum absolutè inhabiles sint redditi.

Dixi 1. *Omnes Catholici* : quid de hæreticis ſentiendum, pandet aſſertio ſequens. Infideles, non-baptizati, ſicut aliis Eccleſiæ legibus, ita nec iſtâ adſtringuntur. 2. *Etiam peregrini, & vagi*; quamvis enim iſti probabiliùs non obligentur legibus locorum, ubi morantur vel tranſeunt, ſubſunt tamen legibus contractuum, ratione quorum ſortiuntur forum. *c. fin. de for. comp. l. 6. ff. de Evict.* & nominatim de Matrimonio habetur in *c.* 1. *de Sponſal.* quòd ſit regulandum ſecundùm leges loci, ubi contrahitur. Sic pariter, qui tranſit vel moratur in loco, ubi Tridentinum vel publicatum vel receptum non eſt, viciſſim validè contrahit ſine præſentia Parochi & teſtium, per *c.* 1. *cit.* modò non egrediatur præcisè ex hoc fine in talem locum, utì explicabimus poſtea. 3. *In loco vel Parochia, ubi promulgatum aliquando fuit* &c. utì in Hiſpania, Luſitania, Italia, Germania Catholica &c. de Gallia, licèt ſaltem in quibusdam illius locis diu non fuerit promulgatum, teſtantur apud P. Wex *de Sponſal. tr.* 2. §. 4. *n.* 25. Cabaſſut. Mendo, Bruno Neuſſer, poſterioribus temporibus, & ut aliqui volunt, anno 1602. promulgationem ibi juſſu Regis factam fuiſſe. In Hungaria nuper ſub Eminentiſſimo Cardinali de Colonitſch introductam eſſe conſtitutionem Tridentini, teſtis eſt P. Kugler *de Matrim. n.* 289. Econtra promulgatum non eſt in Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Dania, Saxonia, Bruſſia, Pomerania, & in aliis provinciis, quæ à fide Catholica defecerunt ante annum 1563. quo Tridentinum Concilium abſolutum eſt, vel ante annum 1564. quo confirmatum, vel promulgatum. Item apud Turcas, & alios infideles. In Hollandia, Zeelandia, Friſia, & in aliis Confœderatis Belgii provinciis anno 1570. ante earum defectionem promulgatum fuiſſe refert memoratus P. Wex *loco cit.* Nec ſufficit, ſi ſolùm in aliqua Diœceſi contigit promulgatio, ſed debet promulgatum fuiſſe in qualibet, & in illa ipſa parochia, in qua contrahitur Matrimonium, utì habet clarus textus ſuprà

reci-

recitatus. In dubio, an promulgatum, vel receptum ſit, non obligat teſte Gobat *in Appendic.* 1. *litt. E. n. 501.* Si tamen alicubi receptum ſit, rectè præſumitur quoque promulgatum fuiſſe, licèt de hoc non conſtet. 4. *Nec uſu contrario abrogatum*, utì docet Tambur. *tr. 8. l. 6. c.* 2. §. 2. *n.* 6. Gob. *tr. 9. n. 456.* Illſung *de Matrim. n.* 111. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 32. *n.* 152. *ſeq.* cùm ipſa Eccleſia judicet, non expedire, ut obliget Lex Tridentini ſine acceptatione. Zœſius *h. t. n. 21.* licèt in dubio cenſeatur eſſe recepta, ubi eſt promulgata. Pignat. *to. 5. conſult. 79. n. 42.* Dein aliæ Leges Humanæ uſu non receptæ, vel contraria conſuetudine abrogatæ, non obligant: cur ergo Lex Tridentini? 5. *Licèt ignorarent hoc decretum.* Ratio eſt partim, quia præſentiam Parochi & teſtium Lex Tridentini requirit tanquam formam ſubſtantialem ad valorem Matrimonii, utì plerique omnes deſumunt ex eo, quòd dicat, *aliter* Matrimonium non valere: nihil autem ſubſiſtit ſine ſua forma eſſentiali: partim quia irritatio Matrimonii ibi ſtatuta eſt non principaliter in pœnam & propter culpam, ſed tanquam inhabilitas propter bonum commune ad avertenda damna & fraudes: ſed ignorantia invincibilis ſolùm excuſat à culpa Theologica & pœna principaliter à lege intenta, ac in foro interno, non autem ab inhabilitate ad actum ritè ponendum; & hinc impedimenta cognationis, affinitatis &c. item irregularitates ob defectum incurruntur etiam ab ignorantibus, ut habet communis cum Pirhing. *de Conſtit. n. 50.* 6. *Nec illos excuſat ulla neceſſitas privata*, propter eandem rationem; quia actus ſine ſua forma eſſentiali nullus eſt, ſicut homo ſine anima. Unde non valet Matrimonium absque aſſiſtentia Parochi, licèt iſte abſit, vel mortuus ſit, vel licèt moriturus ducere velit concubinam, ut legitimentur proles. Excipe caſum, quo Tridentinum communiter obſervari non poteſt, quia v. g. locus caret diu, puta per annum &c. propriô Parochô, vel neſcitur,

tur, ubi lateat, v. g. propter perſecutiones hæreticorum, vel ad eum vel ad Epiſcopum tutus non patet acceſſus; tunc enim ſufficient duo teſtes absque Parocho. Taberna *tr. 7. c. 4. q. 3.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 7.* Coninck *d. 27. n. 11.* Zœſ. *h. t. n. 25.* Pirhing. *n. 12.* Tambur. Krimer &c. Atque ſic dicitur declaraſſe Clemens VIII. & Gregor. XIII. Item Congreg. Cardd. ann. 1603. ſcribens ad Archi-Epiſcopum Philippenſem, declarans, tunc tantùm eſſe invalida Matrimonia, quando facilè haberi poteſt Parochus, uti teſtatur P. Kugler *n. 290.* & P. Wex *n. 27.* Ratio, quia lex non obligat, ubi paſſim obſervari nequit. Idem contingeret, ſiquis v. g. in Hollandia exiſtens Catholicum Parochum habere non poſſet.

43 Oppones 1. Irritatio Matrimonii eſt pœna tum per ſe, tum quia clandeſtinum Matrimonium ſemper ab Eccleſia fuit prohibitum, adeóque ſine culpa non contrahitur: ſed pœna ignorata non incurritur: ergo. Confirmatur: Trident. dicit, qui aliter Matrimonium contrahere *attentabunt*: ſed attentatio denotat culpam: ergo clandeſtinè contrahere eſt culpa, conſequenter irritatio eſt ſtatuta per modum pœnæ. 2. Etiam clauſula irritans legibus appoſita habet hanc conditionem imbibitam, *ſi lex ad ſubditorum notitiam pervenerit*: ergo non afficit ignorantes. 3. Ubi juſta intervénit cauſa, ante Tridentinum non erat illicita deſponſatio clandeſtina, ut ſi absque periculo mortis, vel gravis damni, vel ne Matrimonium malitiosè impediretur, ſi in facie Eccleſiæ voluiſſent contrahere ſponſi. Tannerus *to. 4. d. 8. de Matrim. q. 3. dub. 6. n. 111.* ergo propter ſimiles cauſas nec erit invalidum poſt Tridentinum. Et hinc ipſum Trid. permittit ex juſta cauſa, v. g. ob periculum in mora omiſſionem denuntiationum: ergo privata neceſſitas excuſat. 4. Trid. dum *lo. cit.* irritat Matrimonia clandeſtina, inhæret veſtigiis Concilii Lateranenſis, & ſolùm irritat illa, quæ olim deteſtata eſt Eccleſia: ſed

Ec-

Eccleſia nunquam eſt deteſtata Matrimonia, quæ clandeſtinè ex juſta cauſa ob periculum grave &c. fuerunt inita: ergo nec irritat illa, quæ ex juſta cauſa clàm ineuntur. R. ad 1. *N. Ma.* vel *diſt.* irritatio Matrimonii eſt pœna, ſi eſſet ſtatuta in odium delicti principaliter. *C. Ma.* ſi eſt inducta propter bonum commune, & propter periculum fraudum, & peccatorum, uti revera ideo eſt inducta. *N. Ma.* Quòd Matrimonium clandeſtinum ab Eccleſia ſemper fuerit prohibitum, ubi juſta cauſa non excuſabat, adeóque culpa fuerit, & hodie præſumatur culpa, ſi clandeſtinè contrahatur, non facit, ut principaliter in pœnam hujus culpæ inducta ſit irritatio. Ad Confirmat. tò *attentabunt* ideo eſt poſitum, quia Matrimonium clandeſtinè non verè contrahitur poſt Trid. ſed tantùm attentatur. Dein ſit, quòd denotet pœnam, ſcilicet arbitrariam, quam ibi Tridentinum ſtatuit propter culpam ordinariè concurrentem, vel ſaltem præſumptam, non tamen denotat, irritationem principaliter propter culpam in pœnam eſſe inductam. Ad 2. *diſt. Ant.* Clauſula etiam irritans habet illam conditionem inhibitam, ſi irritatio unicè vel principaliter ſtatuitur in odium & pœnam delicti. *C. Ant.* Si ex alia cauſa, v. g. propter bonum commune vel ad avertenda mala principaliter. *N. Ant. & Conſ.* Ad 3. *N. Conſ. & parit.* Quia lex merè prohibens, vel præcipiens, aut inducens ſolennitatem merè extrinſecam (uti lex Tridentini præcipiens prævias denuntiationes) recipere poteſt interpretationem ex epijkeia, ubi juſta ſuppetit cauſa excuſans, ut patet ab inductione: non verò lex aliquid requiens ad formam ac ſolennitatem ſubſtantialem ad valorem actûs, aut perſonas ad aliter contrahendum reddens inhabiles, uti facit Tridentinum irritans Matrimonia clandeſtina; nam contractus ſine ſua forma, & à perſonis ad ſic contrahendum inhabilitatis, nunquam ponitur validè. Ad 4. Inhæret veſtigiis Concilii Lateranenſis ſecundùm quid, non autem ſimpliciter in omnibus, hoc

ipſo,

ipso, quòd formam substantialem esse voluerit, quod olim erat tantùm solennitas accidentalis, præscripta non pro omni casu; & quòd inhabiles reddiderit personas ad clandestinè contrahendum; quæ inhabilitas afficit omnes, sicut invincibiliter ignorantes etiam, ita & justâ causâ clàm contrahendi non destitutas.

14 Quæres, an valeat Matrimonium, siqui ex loco, in quo Tridentinum est receptum, se conferant in locum, ubi non est receptum, ibique contrahant? R. 1. valet, si se in talem locum conferant, vel animò ibi domicilium vel quasi-domicilium figendi; quia fiunt incolæ; vel si unus tantùm se illuc conferat, altera autem pars ibi sit incola: vel, ut habet probabilis, si mercimoniorum aut alterius negotii causâ aut quocunque alio fine ambo adeant talem locum (vel saltem unus) & sic peregrini sint. Communis apud P. Schmalzgrueber *h. t. n.* 110. ex *c. fin. de for. comp. c.* 1. *de Sponsal.* & ibidem declarat. Card. apud Gallemart. quia incolæ, & peregrini, rectè celebrant contractus, etiam Matrimoniales juxta leges loci; nec egressi, vel peregrini, tenentur legibus priorum locorum, aut suorum domiciliorum, uti docetur ad *titulam de Constitut.* R. 2. Quando nullus contrahentium est incola talis loci, & uterque ad eum se confert nulla alia de causa, sed præcisè, ut ibi Matrimonium clandestinè contrahant, mox redituri, & retentò domicilio priori, non valet Matrimonium. Ita Card. de Lugo *in Respons. Moral. lib.* 1. *dub.* 36. Pignat. Gob. Barb. Pontius, Sporer, Illsung, Wex, & alii communiùs contra Sanch. Pontium, Coninck, Perez, Tabern. Mendo, Pirh. Zœs. Gonz. &c. Fundamentum præcipuum & ferè unicum est declaratio Cardd. approbata ab Urbano VIII. 14. April. 1627. per speciale Breve, quod ex autographo refert Lugo, & ab Archiepiscopo Coloniensi Maximiliano, Duce Bavaro, Decretis Synodi Diœcesis Colonienſis insertum anno 1662. ut adeò de eo prudenter dubitari nequeat. Aliud est de vagis, quia de-

declaratio & Breve Apoſtolium loquuntur de *retinentibus domicilium.*

Oppones 1. Tridentinum inhabilitavit ipſas perſonas: ergo hæc inhabilitas eſt perſonalis,& comitatur perſonã, quocunq; ierit: ergo,etiãſi aliquis egrediatur ex loco,ubi Tridentinum receptum eſt,in alium,ubi non eſt receptum, domicilii ibidem figendi, vel negotiorum causâ, Matrimonium erit nullum. 2. Illa declaratio Cardd. approbata â Pontifice, non fuit ubique promulgata, ſed tantùm apud Colonienſes: ſed juxta noſtra principia non obligant Leges Eccleſiaſticæ in Diœceſibus, ubi non ſunt promulgatæ. 3. Contractus ſunt regulandi ſecundùm leges loci, ubi fiunt, v. g. emptio-venditio. *c. fin. cit.* ergo & Matrimonium. 4. Leges proprii domicilii & patriæ non obligant exiſtentem extra: ergo, ſi ibi, quò contrahentes Matrimonium ſe conferunt,etiam præcisè ad ibi contrahendum, non viget Lex Tridentini, illam obſervare non tenentur, licèt vigeat in proprio domicilio. 5. Qui egreditur ſuo loco in alium,ut ibi contrahat Matrimonium clandeſtinè juxta morem loci, non agit in fraudem legis (quæ fraus fortè ſola poſſet obſtare tali Matrimonio) quia utitur jure ſuo; nam *nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur. l. 55. ff. de R. J.* ergo licitè egreditur, nec egrediendo agit contra Tridentinum. Sicut juxta probabiliorem ſententiam licitum eſt egredi ex loco, ubi eſt dies jejunii, in alium, ubi non eſt, præcisè in eum finem, ut ibi poſſis comedere carnes. R. ad 1. *diſt. Conſ. primum:* ergo eſt inhabilitas perſonalis, & ubique comitatur perſonam, ſi eſſet inducta per ſententiam ſpecialem in perſonas in individuo & abſolutè. *C. Conſ.* Si eſt lata, utì revera eſt, generaliter ab ipſo Jure in perſonas in tali territorio exiſtentes, pro quo viget lex. *N. Conſ.* Inhabilitatio perſonarum â Jure generaliter lata imitatur naturam legis, quæ locum reſpicit & territorium, adeóque localis eſt. Ad 2.

Suf-

Sufficit, si alicubi sit promulgatum Tridentinum, in quo juxta declarationem Cardinalium approbatam â Pontifice irritatur Matrimonium ex eo duntaxat fine egredientium, ut in loco, quo promulgatum non est, clandestinè contrahant. Declaratio Cardd. non est nova lex. Ad 3. *Ant.* verum est, nisi obstet exceptio, vel lex aliqua: egredientibus præcisè ad clandestinè contrahendum obstat Lex Tridentini ut explicata à Cardinalibus approbante Urbano VIII. Ad 4. *dist. Ant.* ordinariè & regulariter, nisi ipsa lex specialiter velit obligare existentes extra. *C. Ant.* si velit obligare, uti vult Lex Tridentini obligare egredientem præcisè ad clandestinè contrahendum. *N. Ant. & Conf.* Ad 5. Non fundo meam responsionem in eo, quòd egrediens agat in fraudem legis. Deinde licèt ille non agat in fraudem legis, qui egreditur ex loco, ubi Lex est promulgata & recepta, in alium; quando egressus non est prohibitus: agit tamen in fraudem, quando ipse egressus ad subterfugiendam legem est specialiter prohibitus propter bonum publicum, & animarum, uti in præsenti casu, quia propter specialem prohibitionem egressûs non utitur jure suo, qui egreditur ex dicto fine. Interim tamen Sanch. Laym. & multi alii à P. Kugler allegati *n. 914.* contendunt, nec eorum valere Matrimonia, qui non præcisè ad contrahendum clandestinè, sed recreationis vel alterius negotii causâ ad breve tempus egrediuntur in locum, ubi Tridentinum non est receptum, & ibi clandinè contrahunt.

15 Dico 2. Hæretici Matrimonia validè contrahunt coram præcone, & non observatâ formâ Tridentini, in suis Parochiis, licèt ibi fuerit aliquando promulgatum Tridentinum, & ipsi vivant immixti Catholicis, v. g. Augustæ, Ratisbonæ &c. ubi facilè haberi posset Parochus verus & Catholicus. Ita communior inter Germaniæ Scriptores, & mihi longè probabilior cum Laym. Gonzal. Bona Gratia, Diana, Marchant. Dicastillo Tanner. Esparza, Pirh, König, Arsdekin, Wiestner, Kærchne, Stale-

Digitized by Google

Staleno *in Dissertat. Theologo-Politica c. 4. & seqq. part. poster.* & aliis apud & cum P. Kugler *n. 894.* contra Gobat, qui tamen nostram sententiam fatetur practicè probabilem, Tambur. Fagn. Zœs. P. Reiffenstuel *h. t. n. 193.* P. Schmier *de Sponsal. & Matr. p. 3. c. 5. n. 86.* & P. Friderich, qui in parergis quarundam Thesium suarum dicit, non amplius audiendos esse post declarationem Cardd. qui docent, hujusmodi Matrimonia valere. Excipit tamen Stalenus, qui hanc rem fusissimè examinat, illa loca Acatholicorum, quæ Principem habent Catholicum, qui resisteret talibus conjugiis, ut in Bohemia, & vicinis Silesiæ ac Moraviæ partibus, quæ subsunt Catholico Imperatori &c. A fortiori invalidè contrahent, qui subsunt Parochis Catholicis, uti alicubi in Silesiâ; nisi fortè, ut mihi probabile omnino est, excusari valeant ex eo capite, quòd fortè ex conscientia erroneâ piaculo sibi ducerent, si coram Parocho Catholico contraherent; quia his moraliter impossibile est observare Legem Tridentini. Rectè præterea limitat König, quòd ibi, ubi exercitium publicum suæ sectæ non habent, uti v. g. in Bavaria, invalidè contrahant hæretici absque Catholico Parocho & testibus; cùm contractus secundùm leges & consuetudines loci fieri debeant. P. Illsung verò *de Matrim. n. 113. 114.* positivè non vult approbare Matrimonium in loco, ubi viget exercitium hæresis, si unus contrahentium sit Catholicus, & fortè non immeritò.

Probatur Assertio 1. ex illis argumentis, quibus supra *tit. I. n. 98.* probavimus, hæreticorum Matrimonia cum impedimento alio Juris Ecclesiastici contracta valere, quæ pro hoc casu à fortiori pugnant; nempe ex consuetudine legem Tridentini tollente, conniventiâ Ecclesiæ, communi ignorantia hujus Legis: quare nec omnia illa argumenta, nec objectiones ibi subjunctas repeto. Specialiter probatur 2. Ex morali impossibilitate observationis Tridentini; cùm nullus hæreticorum coram Parocho Catho-

tholico contrahere Matrimonium poſſit absque gravibus periculis & perſecutionibus: Lex autem, ut obliget, debet eſſe poſſibilis, loco, & tempori conveniens. *can. 2. d. 4.* 3. Ex communi perſuaſione non modò hæreticorum, qui communiter ignorant vel ipſam Legem Tridentini, vel eâ ſe adſtringi, ſed etiam fidelium, qui in converſione hæreticorum eos urgere non ſolent ad contrahendum de novo, licèt ſciant, eos priùs contraxiſſe non coram Parocho Catholico: id quod maximè patuit, dum ante annos complures Palatinatus Neoburgicus ad fidem Catholicam rediit, ubi nemo, nec ipſi Epiſcopi fuerunt ſolliciti pro impetranda diſpenſatione Pontificis, vel reſtaurandis Matrimoniis coram Parocho Catholico, priùs coram Præcone initis: quod tamen fieri debuerat, ſi Matrimonia illa fuiſſent habita pro irritis. Confirmatur: hæretici plerumque poſitivè judicant, ſibi illicitum eſſe adhibere Parochum Catholicum: ergo impoſſibile moraliter ipſis eſt adhibere Parochum, nec ad id obligantur. 4. Ex communi praxi fidelium, liberos hæreticorum, qui absque præſentia Parochi Catholici contraxerunt, habentium pro legitimis, eos ad Ordines Sacros, dignitates Eccleſiaſticas & Sæculares, ad feuda &c. quæ omnia requirunt legitimos Natales, absque omni diſpenſatione paſſim admittentium. 5. Ex *l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* ex qua DD. communiter inferunt, eum validè aſſiſtere Matrimoniis, qui communi populi errore habetur pro vero Parocho, licèt non ſit: ſed hæretici communiter, licèt erroneè, putant, ſuos Miniſtellos eſſe veros Parochos. 6. Ex doctrina ſuperiùs *tit. I. n. 100.* tradita, ubi oſtendimus, validè ac licitè contrahi Matrimonium ab illis, qui cum opinione probabili Juris, quòd aliquid non ſit impedimentum dirimens, illud contrahunt, licèt revera ſit impedimentum; ſaltem ſi ſit impedimentum Juris tantùm Eccleſiaſtici; eò quòd Eccleſia tali caſu tollat hujusmodi impedimentum: atqui etiam apud Catholicos DD. ad minimum eſt probabi-

Digitized by Google

bàbile, quòd abſentia Parochi Catholici apud hæreticos non ſit impedimentum dirimens; atque id argumenta allata ſatis evincunt: ergo.

Oppones 1. & principaliter declarationes Cardinalium, quarum prima ad Nuntium Apoſtolicum in Belgio data eſt anno 1605. 19. Jan. hujus tenoris: *hæreticos quoque, ubi Decretum Tridentini eſt publicatum, teneri talem formam obſervare, & propterea ipſorum etiam Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Miniſtro hæretico, vel Magiſtratu loci contracta, nulla & irrita eſſe.* Altera, quam refert ex Brunone Neuſſer *d.* 182. *q.*2. *ad finem.* P. Reiffenſtuel *n.* 141. ſic habet: *Catholicus cum hæretica Matrimonium coram Magiſtratu ſæculari in loco, ubi Concilium Trid. eſt receptum, & Parochus commodè haberi & adiri poterat, contraxit, & poſtea conſummavit - - - die* 2. *Maji* 1676. *S. Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, ſecundùm ea, quæ proponuntur, cenſuit, dictum Matrimonium fuiſſe nullum.* 2. Si valeant Matrimonia hæreticorum, valebunt etiam Catholicorum, hæreticis immixtorum, ſi contrahant in loco, ubi ab hæreticis Tridentinum, licèt olim promulgatum, non obſervatur: ſed hoc non videtur conveniens, nec ipſis ab Eccleſia indultum: ergo. 3. Sequitur, quòd etiam Catholicus in tali loco contrahens cum hæretica, quæ non niſi coram Miniſtello hæretico vult contrahere, validum celebret Matrimonium, ſicut incola ſe accommodare poteſt vago, & coram quocunque Parocho contrahere: ſed hoc iterum videtur intolerabile: ergo. 4. Matrimonia taliter ab hæreticis contracta ab Eccleſia ſolùm tolerantur & diſſimulantur, cùm impediri non poſſint, non verò tacitè approbantur. 5. Praxis cum converſis in Palatinatu Neoburgico obſervata nitebatur probabili opinione noſtræ ſententiæ; per quod non adimitur probabilitas oppoſitæ ſententiæ, valorem neganti. Imò praxis & recens exemplum in Dicæ- 17.

ceſi Friſingenſi, ubi ajunt, non ita pridem converſos hujusmodi fuiſſe ſeparatos ex eo capite, quòd non obſervatâ Tridentini formâ, & non coram Parocho, ſed lupo Acatholico, contraxerint Matrimonium, ſtat pro oppoſita ſententia.

R. Ad 1. Imprimis illæ declarationes emanârunt nullo Pontifice ſpecialiter approbante, quod tamen requiri ad hoc, ut ſint Authenticæ, vimque legis obtineant, docuimus in *Prolegomenis n. 46. ex Conſtit.* Sixti V. & Greg. XIV. Deinde ſolùm urgent in illo loco, ad quem datæ ſunt; nec enim ordinariè ita univerſaliter dari conſueverunt, quando non eædem ubique reperiuntur circumſtantiæ. *Prima* inſuper nec Belgium, quò miſſa eſt, ampliùs ſtringit, partim quia poſt tot annos per uſum contrarium fuit abrogata, partim quia mutatæ ſunt modò notabiliter circumſtantiæ; quando enim dabatur, Belgium, & provinciæ Proteſtantium adhuc erant ſubjectæ Principi Catholico, Hiſpaniarum Regi, nec ipſis pacificum permittebatur ſuæ ſectæ exercitium, & obſervantia Tridentini adhuc ſperari poterat: hunc non ampliùs prudenter ſperari poteſt, uti dixi in probatione 2. noſtræ ſententiæ. *Secunda* autem imprimis loquitur *de Catholico* contrahente cum hæretica, & quidem in tali loco, ubi *commodè haberi & adiri poterat Parochus* verus, in quibus caſibus multi ex noſtræ ſententiæ patronis negant valere Matrimonium ſine Parocho Catholico. Deinde data fortaſſis eſt pro caſu, quo contraxit Catholicus cum hæretica in loco, qui ſubeſt Principi Catholico, obſervantiam Tridentini exigenti, qui utique contractum Matrimonialem ſine ſolennitate debita initum invalidare poteſt, ſicut alios contractus. Ad 2. Si Catholici hæreticis immixti habeant proprium Parochum Catholicum, eúmque commodè poſſint adhibere, uti Auguſtæ, Ratisbonæ &c. vel ſi ad hæreticos præcisè eum in finem accedant, ut ibi contrahant non ſervatâ formâ Tridentini, etiam juxta me probabiliùs contrahunt invalidè: ſecus ſi

pro-

proprium ibi Parochum non habeant, vel ſi aliis de cauſis inter hæreticos morentur, puto, validè ab ipſis contrahi, cùm contractus regulentur ſecundùm leges & conſuetudines locorum, ubi celebrantur: neque hoc abſurdum, ſed Juri congruum eſt. Ad 3. Videtur eſſe eadem reſponſio; cur enim Catholicus cum hæretica contrahens nequeat ſe accommodare legibus & conſuetudinibus loci, ſi ibi proprium Parochum non habeat, vel ſi eum adire commodè non poſſit absque gravi periculo? cùm hoc poſterius ipſæ Cardd. declarationes permittant, uti vidimus *n.* 12. *ad fin.* Ad 4. Quando res concernit integras provincias, nec eſt intrinſecè mala, non tolet, imò nec poteſt ab Eccleſia univerſaliter *tolerari* præcisè & diſſimulari, ſed rata haberi debet: cùm aliàs graviſſima orirentur incommoda, & nulla utilitas ſperanda ex lege, cujus obſervatio moraliter impoſſibilis & inperabilis eſt. Ad 5. Illa praxis in Palatinatu cum converſis obſervata, ſi nixa eſt probabili opinione, optimè declaravit Jus Eccleſiaſticum dubium; cùm conſuetudo ſit optima legum interpres: cui minimè comparandus eſt mus vel alter actus contrarius in Diœceſi Friſingenſi; ſi amen verum ſit (de quo valde ſubſiſto) quòd ibi præcisè propter defectum Parochi Catholici pro nullo declaratum ſit Matrimonium ad fidem Catholicam reverſorum. Interim nolim oppoſitæ ſententiæ omnem probabilitem ademptam. Vid. dicta *n.* 99.

Dico 3. Parochus, cujus præſentia ad valorem Ma- 18
trimoni requiritur, debet eſſe proprius contrahentium, vel ſaltem alterutrius, ratione domicilii vel quaſi-domicilii, non verò originis. 2. Aſſiſtit validè etiam invitus, vel dolô inductus. 3. Etiam extra fines ſuæ parochiæ. 4. Licèt ſit excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, vel irregularis. 5. Aut putatitius tantùm. 6. Vel etiam intruſus. 7. Et licèt Sacerdos non ſit. 8. Nec obſtat, quòd ipſi ab Epiſcopo ſpecialiter interdictum ſit, ne aſſiſtat. Colliguntur omnia hæc ex Trid. *ſ.* 24. *c.* 1. *de*

1. *de Ref. Matrim.* assistentiam *Parochi* exigente simpliciter absque certa conditione & qualitate. Nomine *Parochi* autem venit etiam Papa respectu omnium Christianorum, Archiepiscopus vel Episcopus respectu suorum Diœcesanorum, Capitulum Sede Vacante, & Vicarius Generalis respectu eorundem, Abbates exempti jurisdictionem quasi-Episcopalem habentes respectu sui territorii, & quasi-Diœcesis, Legati Apostolici respectu provinciæ, ad quam sunt missi, item Vicarius curam parochialem exercens, tam temporalis quam perpetuus, item Cooperatores, quibus in genere committitur cura animarum in aliqua parochia, ut habet Reiffenstuel *h. t. n. 85.* Barb. Guttierez, Tambur. Pirh. Wiestner &c. quia hi omnes censentur esse Ordinarii locorum. Dixi 1. *proprius*; licèt enim Tridentinum istud hoc loco non addat, satis tamen insinuat in antecedentibus, ubi denuntiationes à *proprio contrahentium parocho* fieri præcipit, & in subsequentibus, ubi punit *alterius Parochiæ sponsos conjungere ausum.* 2. *Vel saltem alterutrius*, scilicet Sponsi, vel Sponsæ, in cujus Parochia celebrantur nuptiæ. Communis cum Barb. *de potest. Episc. alleg. 32. n. 65.* quia Matrimonium est unus contractus individuus; Parochus proin proprius unius, hoc ipso erit quoq; alterius; nec Tridentinũ requirit assistentiam duorum Parochorum, sed Parochi in singulari. Nec obstat, quòd denuntiationes fieri sæpe debeant ab utriusque contrahentis Parochis; quia in his dispar est ratio, nempe ut certiùs detegatur impedimentum, siquod lateret. 3. *Ratione domicilii vel quasi-domicilii*, nimirum habitationis, saltem cœptæ, nempe ubi habitat, aut saltem habitare actu cæpit uterque, vel alteruter cum animo vel perpetuò vel ad tempus notabile illic persistendi, scilicet per majorem anni partem, aut saltem per magnam. Laym. *l. 5. tr. 6. c. 10. n. 5. 6.* Si contrahens habet duplex domicilium, vel in uno loco verum, in altero quasi-domicilium, potest eligere, quod præplacet; cùm uter-

Digitized by Google

uterque Parochus sit proprius. Nec est ratio, cur quasi-domicilium ad Matrimonii Sacramentum non sufficiat; cùm tamen sufficiat ad alia Sacramenta (excepto Ordine. *c.* 3. *de temp. Ordin. in 6.*) percipienda. 4. *Non verò originis.* Sanch. *l.* 3. *d.* 23. *n.* 7. cum communi. Ratio; quia in materia Sacramentorum & Jurium parochialium solus ille reputatur esse proprius Parochus, qui talis est ex domicilio vel quasi-domicilio habitationis. per *c. ult. de Paroch. c.* 2. *de Sepult. in 6.* Dein vagi in ordine ad Matrimonium censentur nullum habere Parochum proprium, licèt non careant Parocho originis. 5. *Etiam invitus, vel dolò inductus*, dummodo percipiat, quid agatur. Communis fortè omnium cum Sanch. *l.* 3. *d.* 39. *n.* 9. cùm non sit Minister Matrimonii, sed testis, in quo non requiritur consensus vel intentio, sed tantùm moralis præsentia, ut intelligat, quid agatur. *l.* 209. *ff. de V. S.* 6. *Etiam extra fines suæ Parochiæ*, modò unus vel ambo contrahentes sint parochiani ipsius, etiamsi licentia Parochi loci non petatur: nam Trid. non facit mentionem loci, ubi proprius Parochus assistat, & assistentia non est actus jurisdictionis contentiosæ, imò probabiliùs nec voluntariæ, sed testis qualificati: solemniter tamen in Ecclesia sine licentia Parochi loci non assistit licitè. Pirhing *h. t. n.* 16. Sicut nec licitè benedicit nuptias absque illius consensu. 7. *Licèt sit excommunicatus &c.* modò non sit privatus beneficio parochiali; quia assistentia nec est actus Ordinis, nec jurisdictionis, nec administrationis beneficii, sed officium testis, in quo plus non requirit Trideatinum, quàm ut sit Parochus. 8. *Aut putatitius tantùm*, seu communi errore existimatus Parochus, licèt revera non sit; quia v. g. Simoniacè obtinuit parochiã, vel ob occultum crimen, v. g. hæresis eá privatus jam est ipso facto; nam propter bonũ commune Jus & Ecclesia supplet defectum hunc interveniente errore communi. *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Præt.* 9. *Vel etiam intrusus*, qui nempe obtinuit vel possidet

sidet beneficium parochiale absque titulo colorato, seu à nullo Superiore legitimo institutus; modò communi errore habeatur pro vero Parocho, & legitimè institutus. Ita Pontius latè *l. 5. c. 20. à n. 2.* Bosco, Diana, Tambur. &c. Dissentit Sanch. *l. 3. d. 22. à n. 49.* allegans plusquam 40. Jurisperitos, & 6. Theologos (quamvis aliqui ex ipsis faveant potiùs nostræ sententiæ, ut notat Pontius) Lessius & alii communiùs. Ratio, quia non minùs exigit bonum publicum (nimirum evitatio gravium incommodorum & perplexitatum) ut acta Judicis, aut Parochi titulô colorató destituti, adeóque intrusi, valeant, quàm ut acta Judicis vel parochi putatitii, titulô coloratô muniti, valeant: cùm ergo propter dictam publicam utilitatem Jus & Ecclesia suppleat defectum putativi, ita supplere quoque censenda est intrusi; cùm eadem sit Juris dispositio, ubi eadem reperitur ratio. 10. *Et licèt Sacerdos non sit*; quia actu nondum Sacerdos absolutè potest esse Parochus: Trident. verò præcisè Parochum requirit: nec assistentia est actus Ordinis. 11. *Nec obstat, quòd ipsi ab Episcopo specialiter sit interdictum, ne assistat*; quia parochus assistit jure proprio & parochiali: atqui per specialem etiam prohibitionem Episcopi hoc jus non amittit, sed manet Parochus: ergo assistit validè, quamvis non licitè. Ita communis contra paucos.

19 Oppones 1. Excommunicatus, non toleratus, nec actum jurisdictionis etiam voluntariæ validè exercere potest. *c. un. Ne Sede vac. in 6.* nec actum officii publici & parochialis qua talis: & hinc electio, quam facit Canonicus excommunicatus, non valet. *c. 16. de Elect.* nec officium testis, seu validum ferre testimonium. *c. 8. & 14. de sent. Excomm. in 6.* sed assistentia Parochi est actus jurisdictionis voluntariæ, officii parochialis quà talis, & testis: ergo. Ita cum Avila P. Schmier *n. 121. seqq.* 2. Licèt tota communitas per errorem putet, Titium & Caiam non laborare impedimentô cognationis, tamen

:amen invalidè contrahunt, si revera laborent: ergo nec Parochus, qui revera talis non est, sed tantùm existima-:us, validè assistit, licèt communi errore habeatur pro vero. 3. Tridentinum expresè requirit parochum: ergo etiam titulum saltem coloratum parochi: atqui intrusus neque coloratum veri Parochi titulum habet: ergo. Nec intrusus prudenter præsumi potest esse Parochus, adeòque error probabilis non intervenit: ergo subditi non merentur favorem Legis, defectum supplentis. 4. Tridentinum vult, ut Matrimonium contrahatur *non aliter, quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote* cum ejus licentia: sed tò *alius* est vox relativa & repetitiva similium: ergo sicut ille alius, quem substituere potest parochus, debet esse Sacerdos, ita & ipse Parochus. Confirmatur: Parochus non Sacerdos nequit sponsos benedicere: ergo neque validè conjungere assistendo potest. 5. ad 1. Assistere Matrimonio non est actus jurisdictionis; aliàs enim Parochus positivè invitus & habens voluntatem non assistendi non assisteret validè: quod tamen est contra communem. Quamvis autem sit actus officij parochialis, & testis qualificati; non tamen propterea est ritus, si geratur ab excommunicato &c. non tolerato; quia excommunicatus solùm illos actus sui officii invalidè gerit, quos irritat Jus, & solùm illud testimonium ab ipso latum non valet, quod reprobatur à Jure in certis causis tanquam invalidum: atqui assistentia Matrimonii non est irritata à Jure, nec testimonium in causa Matrimoniali reprobatum à Jure, si illa vel illud fiat ab excommunicato; præsertim cùm causa Matrimonii sit valde favorabilis in Jure, & Jura irritantia sint odiosa, consequenter non extendenda ad illam, nisi expresè loquantur de causa Matrimoniali. Dein assistere Matrimonio absolutè non est officium Parochi quà talis; cùm possit substituere alium: sed est actus testis legitimi, habentis jus substituendi alium. Ad 2. *N. Cons. & parit.* nam in priori casu agitur solùm de utilitate particulari, in posteriori

de utilitate publica, quæ exigit, actus à Judice, vel Parocho putatitio, qui nempe ſuſtinent officium publicum, geſtos valere; cùm ſubditi & parochiani neceſſitatem habeant adhibendi talem officialem publicum, qui communi errore habetur pro vero. Ad 3. *N. Conf.* Ratio negandi eſt; quia, ſi reſpectu intruſi concurrat error communis, eadem utilitas publica requirit, actus à tali officiali, etiam intruſo, geſtos valere. Nec verum eſt, quòd error communis ſubditorum probabilis quoad intruſum intervenire nequeat; cùm neceſſitatem tituli colorati populus probabiliter ignorare poſſit. Si verò factum ita formaretur, ut populo ſatis conſtaret de neceſſitate hujus tituli, conſequenter legitimum non eſſe officialem, qui intruſus eſt, verſaremur extra caſum præſentis controverſiæ, in quo ſupponimus ignorantiam communem probabilem. Ad 4. Hoc ipſo, quòd Tridentinum in parocho non requirat ſacerdotium, bene verò in ſubſtituto, rectè infertur, illud in parocho neceſſarium non eſſe. In ſubſtituto requirendi ſacerdotium fuit ſpecialis ratio, nimirum ut per dignitatem ſacerdotalem ſuppleatur officium parochiale. Nec *Min.* eſt univerſaliter vera, cùm utique in illo textu *Luc.* 23. *ducebantur autem & alii duo nequam cum eo*, videlicet Chriſto, tò *alij* denotare ſimilitudinem qualitatis in Chriſto & latronibus non poſſit. Quando autem denotet, & dicta vox repetitiva ſit ſimilis qualitatis, deſumendum eſt vel ex ſubjecta materia, vel ex ratione, quæ in antecedenti reperitur eadem, quæ datur in conſequenti: in præſenti autem nec materia, nec ratio, quæ diſpar eſt in parocho, in quo officium parochiale plùs vel tantùm valet, quantùm in delegato ſacerdotalis prærogativa, exigit ſimilitudinem qualitatis. Quòd autem Tridentinum poſt mentionem parochi dixerit, *vel alio ſacerdote*, ideo factum, quia parochus ordinariè Sacerdos & ipſe eſſe ſolet. Ad Confirmationem *diſt. Ant.* nequit benedicere ſolenniter in Miſſa, quod tantùm à ſacerdote fieri poſſe ipſum Tri-

dent.

lent. dicit, *C. Ant.* non solenniter, nempe pronunti-
ndo illa verba: *ego vos conjungo &c. N. Ant. & Cons.*
loc ipso, quòd Tridentinum in solenniter benedicente
equirat sacerdotium, non verò in Parocho assistente, in-
licatur, in isto sacerdotium non esse necessarium.

Quæres, quis sit parochus respectu vagorum, & Mili- 20
um, in ordine ad contractum Matrimonialem? R. ad 1.
Respectu vagorum, qui nempe actu nec verum nec qua-
i-domicilium habitationis obtinent, omnis & solus paro-
hus, in cujus parochia existunt. Quòd *omnis* paro-
hus validè assistat, ubi vagi morantur, est communis fe-
è omnium; cùm ratione contractûs sortiantur ibi so-
um, & alia Sacramenta coram tali parocho percipere
aleant; & nisi talis posset assistere, contrahere Matri-
ionium ipsis foret impossibile. Quòd autem *solus* ille,
i cujus parochia existunt, validè assistat, tenet cum Co-
inck & Vallense P. Pirhing *h. n. 19.* contra Sanch. &
ortè communiorem; quia probabiliùs etiam alia Sacra-
ienta solùm â parocho, ubi pro tempore morantur, ri-
è suscipiunt. Data doctrina procedit etiam de casu,
uo unus tantùm ex contrahentibus est vagus; quia pa-
ochus unius contrahentium legitimus est etiam alterius
ropter individuam hujus contractûs naturam. Unde
'arochus extra suam parochiam non assisteret validè e-
ocatus à vagis. Neque dicas cum Sanch. parochum
agorum esse quemlibet totius mundi, quem ipsi elege-
int; nam id verum duntaxat est pro tempore, quo in cu-
uslibet parochia morantur. Cœterùm ut licitè & abs-
ue gravi peccato assistat Parochus vagis, requiritur, ut
on nisi præmissâ *diligenti inquisitione* de statu & con-
litione illorum, *re ad Ordinarium delatâ*, atque *licen-
iâ ab eo id faciendi obtentâ* assistat. Trid. *sess. 24. c. 7.*
e Ref. Matr. ne scilicet temere impedimento Ligaminis
el alio dirimente constricti copulentur. Unde aliqui
locent, etiam juramentum de carentia impedimenti ab
s exigendum esse.

R. ad

21 R. ad 2. Reſpectu militum, qui proprium parochum ſeu Curionem Caſtrenſem, vel Capellanum, cui poteſtas adminiſtrandi Militibus Sacramenta & animarum cura à Pontifice vel Epiſcopo ſit commiſſa, non habent, eſt quilibet Parochus loci, ubi exiſtunt; quia accenſentur vagis; intellige, ſi morantur in caſtris, vel tranſeunt ab uno loco in alium, vel in præſidiis quidem aut hybernis ſunt, at ſine ſtabilitate aut animo per magnam aut majorem anni partem ſubſiſtendi, ſed ad nutum Ducis avocandi ad exercitum. König *h. t. n. 15.* Pignatelli *to. 5. conſult. 79. n. 34.* P. Schmalzgrueber *h. n. 165.* non verò Capellanus Caſtrenſis: quam in rem emanavit ſpecialis declaratio Cardinalium 29. Jan. 1707. ad Reverendiſſimum & Celſiſſimum Principem ac Epiſcopum Friſingenſem, quam refert P. Reiffenſtuel *n. 97.* Si autem habeant parochum Caſtrenſem, vel Capellanum à Papa, vel Ordinario inſtructum curâ animarum & poteſtate adminiſtrandi ipſis Sacramenta in genere, vel etiam in ſpecie aſſiſtendi Matrimoniis, coram iſto contrahere debent (excepto caſu, quo Sacellanus hujusmodi cum ſuis militibus exiſteret extra territorium & Diœceſim illius Epiſcopi, a quo illam poteſtatem accepit, ſi ab Epiſcopo tantùm, & non à Pontifice pro omni loco obtinuit) vel ſaltem poſſunt, ſi milites ſint in hybernis, vel præſidiis, ubi nacti ſunt quaſi-domicilium; tunc enim cenſentur habere duplicem parochum, adeóque non privativè, ſed cumulativè cum parocho loci, probabiliùs aſſiſtere poteſt Caſtrenſis, dempto ſpeciali privilegio & ſecluſa conſuetudine, vi cujus ſoli Caſtrenſi privativè & cum excluſione parochi loci competere id poſſet. Inſpicienda proinde in hac re eſt facultas Caſtrenſi conceſſa, utrùm ſe extendat ad milites ſolùm in caſtris, aut tranſitu, vel etiam in hybernis & præſidiis exiſtentes, an illi privativè data &c. item conſuetudo locorum.

22 Dico 4. Ut alius locò Parochi validè aſſiſtat Matrimoniis, requiritur 1. ut is Sacerdos ſit. 2. Ut à Parocho

vel

vel Ordinario licentiam habeat. 3. Datam verbô, scriptô, vel aliô signô externô, generaliter vel specialiter, obtentâ per se vel per intermediam personam. 4. Et quidem actu: unde non sufficit merè præsumpta, aut ratihabitio futura. 5. Non tamen opus est, ut ante assistentiam sit intimata. Pars 1. & 2. habetur clarè in Trid. *s. cit. c. 1.* nec refert, an Sacerdos ille sit Curatus vel non, excommunicatus, irregularis &c. vel non. Sufficit etiam, si Laicus, vel Clericus inferior sacerdote, substituatur, modò communi errore habeatur pro Sacerdote. 5. indè colligitur; quia aliæ potestates taliter committi possunt & solent: Tridentinum verò circa licentiam assistendi alteri datam nihil speciale exigit: *generaliter* & implicitè censetur committi hæc potestas, quando alicui committitur generaliter & sine exceptione cura animarum in aliquo loco, vel munera parochialia; imò si administratio Sacramentorum. Pontius, Palao, Card. de Luca &c. contra Sanch. &c. quamvis enim assistens Matrimonio non ministret Sacramentum Matrimonii, sed ipsi contrahentes, tamen ipsius præsentia est necessaria ad illius administrationem. 4. ex ratione; quia licentia debet præcedere actum contrahentium, sicut mandatum debet præcedere actum mandatarii, vel procuratoris. per *l. 25. §. 4. ff. de acquir. hæred.* & à pari cum licentia absolvendi alienos subditos, quæ priùs & ante absolutionem impertitam concedi debet. *c. 12. de pœnit. & remiss.* Universim quæ requiruntur ad valorem & substantiam actûs, actualiter vel pro priori adesse debent, quando actus geritur: nec verum est, parochum, vel alium sacerdotem cum ejus licentia assistere Matrimonio, nisi illa sit actu concessa. Quare, quia licentia *merè præsumpta*, seu quæ præsumitur danda, vel daretur, si peteretur, vel ratihabitio futura, licèt certò credatur parochus assistentiam alieni, postquam intellexerit, ratificaturus, non est licentiâ actualis & realiter data, ideo non sufficit; cùm utiq; non consentiat, qui tantùm *consentiret*, si peteretur li-

cen-

centia, aut *ratum haberet*, si sciret, quod nomine suo geritur; nam ignorantis non est consensus. Si verò adesset ratihabitio de præsenti, vel de præterito, sufficienter aliquo signo expressa à proprio parocho, qui videt, alium assistere, vel scit, eum velle assistere, censeretur licentia verè & actu data. Utrùm verò sufficiat licentia *tacita*, seu mera taciturnitas & non-contradictio parochi, alium assistere vel adstiturum scientis, cùm tamen contra licere posset, controversia est: negant Fagn. Bonac. & inclinat Sporer *de Matrim. n. 245.* Affirmant meliùs & communiùs alii cum Sanch. *l. 3. d. 35. n. 20. 21.* Gobat, Palao &c. quia in illis, quæ sunt modici præjudicii, & simul favorabilia, uti est Matrimonium, scientia & patientia operatur consensum, & licentiam veram actualem, tacitam nimirum. *arg. c. un. §. 2. de desponſ. impub. in 6. & l. 5. C. de de Nupt.* Rectè enim præsumitur de præsenti consentire Parochus, qui facilè dissentire & contradicere posset; cùm nullum ferè præjudicium patiatur, si consentiat, juxta *c. 43. de R. J. in 6. qui tacet, consentire videtur.* Pars 5. intelligenda est de casu, quo licentia est petita vel ab ipso assistente, vel ab alio quidem, sed volente aut saltem conscio assistente; modò jam data sit, quando assistit Matrimonio: non verò de casu, quo Parochus jam quidem dedit licentiam, sed motu proprio, vel ad instantiam alterius, at inscio assistente. Ita distinguunt & sentiunt Sanch. *d. 36. n. 8.* Barb. ad Trid. *ſ. 24. c. 1. de Ref. Matr. n. 117.* König *h. t. n. 18.* P. Schmalzgrueber *eod. n. 204.* contra P. Engel *eod. n. 17.* qui etiam in casu posteriori, & generaliter, ferè solus stat pro valore Matrimonii contra communissimam, ut ipsemet vocat, â qua vix dissentientem reperire sit. Ratio prioris est; quia verè datur consensus utriusque, tam dantis quàm accipientis licentiam, moraliter conjunctus, ac ea, quæ privilegium & gratiam continent, valent à tempore *datæ*, seu concessæ gratiæ, & non primùm à tempore *præsentatæ*, seu intimatæ gratiæ,

Digitized by Google

uti docetur ad *Titulos de Rescriptis*, & *Privilegiis*. Ratio posterioris datur hæc, quòd ad naturam & valorem privilegii aut gratiæ, cujus rationem habet licentia Parochi, requiratur non tantùm consensus concedentis, sed etiam acceptatio & consensus illam recipientis: atqui in licentiam, quam assistens ipse non petiit, vel quam alius ipso inscio sollicitavit, licèt concessa sit, nunquam consensit, nec eam acceptavit; cùm ignorantis nullus sit consensus, nulla acceptatio.

Oppones 1. In favorabilibus nomine *Sacerdotis* etiam 28
venit Diaconus: ergo licentia assistendi Matrimonio non soli Sacerdoti, quem exprimit Trident. sed etiam Diacono committi potest. 2. Cui generaliter prohibita est administratio Sacramentorum, ei implicitè non censetur prohibita assistentia Matrimonii; quia hæc non est administratio Sacramenti: ergo nec vicissim illi, cui generaliter concessa est administratio Sacramentorum, censetur concessa assistentia Matrimonii. 3. Licentia præsumpta, à parocho danda, si peteretur, vel si is sciret, item ratihabitio futura, sufficit ad Eucharistiam, & Absolutionem Sacramentalem alienis parochianis dandam: ergo etiam ad assistentiam Matrimonii. 4. Valet Matrimonium sub hac conditione contractum, *si Papa dispensaverit*: ergo etiam contractum coram non parocho, *si Parochus postea consenserit*, vel *ratificaverit*, fiétque absolutum sine iteratione, postquam secuta fuerit ratificatio. 5. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*, ait *Reg. 10. in 6.* ergo etiam ratihabitio parochi postea secuta retrotrahitur ad tempus assistentiæ in Matrimonio, ita ut valeat etiam pro tunc, & non tantùm pro nunc. 6. Validè & licitè potest aliquis uti re aliena ex consensu domini rationabiliter præsumpto: ergo etiam assistere Matrimonio ex licentia rationabiliter præsumpta. 7. Licentia Parochi similis est gratiis & privilegiis: sed privilegia & gratiæ habent generaliter suum valorem à tempore concessio-

nis

nis, non intimationis; cùm in iis ſpectetur tempus *datæ*; non tempus *præſentatæ*: ergo licentia parochi actu data, licèt nondum intimata, generaliter ac ſemper valet & ſufficit. Confirmatur: modò licentia ſit data, licèt nec-dum cognita ab aſſiſtente, jam ſufficit ad finem Tridentini, periculum, ne abnegetur Matrimonium, vitare volentis: nec mentionem facit de cognitione licentiæ actu datæ.

R. ad 1. *Ant.* verum non eſt, quando agitur de neceſſariis ad valorem Sacramenti; ubi verba ſunt accipienda in propria ſignificatione. Ad 2. *N. Conſ. & parit.* nam prohibitio eſt odioſa, & ideo ſtrictè, conceſſio adminiſtrationis Sacramentorum eſt favorabilis, & ideo largè accipienda. Ad 3. Paritas cum Euchariſtia non eſt, quia ad hujus licitam tantùm, non verò ad validam adminiſtrationem alieno parochiano requiritur licentia parochi. Idem eſt de adminiſtratione Extremæ Unctionis: econtra ad Matrimonii aſſiſtentiam validam requiritur licentia parochi: quæ autem ad valorem neceſſaria ſunt, actu exiſtere debent, dum geritur negotium: licentia verò ab ignorante non data eſt actu, nec exiſtit primùm danda, vel futura, ſi peteretur, vel parochus ſciret. Cum Abſolutione in Sacramento Pœnitentiæ admitto paritatem, at cum communi teneo, quòd jurisdictio, ad eam neceſſaria, ſolùm præſumpta, aut danda, vel ratificanda, non ſufficiat, ſed debeat actu eſſe conceſſa, quando ponitur Abſolutio. Ad 4. *N. Conſ.* diſparitas eſt; quòd in poteſtate Pontificis ſit tollere impedimenta Juris Eccleſiaſtici, in quibus diſpenſatione egent taliter contrahentes, non verò in poteſtate parochi per ſubſequentem ratificationem validare Matrimonium nulliter initum ex defectu legitimè aſſiſtentis; præſertim cùm Tridentinum ſine debita aſſiſtentia contrahentes reddat omnino inhabiles ad contrahendum: nullibi autem ſunt inhabiles redditi ad contrahendum ſub dicta conditione, *ſi Papa diſpenſaverit in impedimento.* Ad 5. Regula

non

tion procedit in iis, in quibus mandatum vel authoritas aliqua requiritur in principio actûs per modum formæ substantialis: hinc per subsequentem ratificationem Episcopi vel Parochi non convalescit, nec pro nunc nec pro tunc, absolutio alieni Diœcesani vel Parochiani, si tempore absolutionis non adfuit actualis licentia. Deinde non procedit, quando valor actûs non dependet ex solo mandato & voluntate Domini: atqui Matrimonii valor non dependet ex sola licentia parochi, sed vel maximè etiam ex mutuo consensu contrahentium, qui, si à principio fuit nullus, tractu temporis non convalescit. Priorem regulæ limitationem ponit Barbosa, posteriorem Sanchez, uterque cum aliis. Ad 6. *N. Cons.* disparitas est, quia licitus ille & validus usus dependet à sola voluntate & consensu domini: valor autem Matrimonii sine legitimi testis assistentia invalidè contracti, & postmodum per suum consensum validandi, non dependet à voluntate parochi. Dein si Dominus postmodũ nolit consentire, tenetur ei satisfacere postea, qui re aliena usus est, licèt prudenter egerit præsumendo licentiam, & sic Domino non intulerit injuriam: econtra satisfactio ex postfacto ab assistente sine licentia fieri nequit in Matrimonio, neque contrahentibus neque reverentiæ Sacramenti, validando Matrimonium semel invalidè contractum. Ad 7. *N. Min.* vel *dist.* privilegia & gratiæ, quæ vel ab illo, cui conceduntur, vel saltem eo conscio petuntur, & sic per consensum acceptantur, habent suum valorem à tempore concessionis. *C. Min.* etiam quæ conceduntur motu proprio, vel eo, cui conceduntur, inscio. *N. Min.* Ad Confirmat. finis Tridentini eo modo, quem velut formam substantialem præscripsit, obtineri debet, adeóque cum licentia tali, quæ de Jure subsistat, & involvat consensum vel acceptationem illius, cui conceditur.

Dico 5. Præter Parochum requiruntur ad valorem 24
Matrimonii duo vel tres testes. 2. Actu rationis usum

Digitized by Google

habentes. 3. Unà & simul cum parocho. 4. Ac moraliter præsentes, h. e. ita, ut percipiant ritè, quid agatur, & de eo testari postmodum valeant. 5. Non tamen debent esse legitimi & omni exceptione majores. 6. Nec specialiter ad id rogati. Sumuntur omnia ex Trid. *lo. sæpius cit.* & quidem 1. pars clarè est ibi decisa. 2. Constat indè, quòd amentes, dormientes, ebrii &c. Jure Naturali sint inhabiles ad ferendum testimonium. 3. Quia Tridentinum adhibet particulam *&*, *præsente Parocho &c. & duobus vel tribus testibus.* alias forent testes tantùm singulares, & non conteſtes. 4. Quia aliàs idem foret, ac si non fuissent præsentes, juxta *l. 209. ff. de V. S.* ibi: *coram Titio aliquid facere jussus non videtur præsente eo feciſſe, nisi is intelligat; itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo feciſſe: scire autem, non etiam velle is debet; nam & invito eo rectè fit, quod visum est.* Ex quibus ultimis verbis colligitur, præsentiam etiam coactam, metu vel dolo obtentam, sufficere. Declarationes Cardd. quæ in contrarium allegantur à Pontio, si tamen sint authenticæ, procedunt de Parocho aut testibus non moraliter præsentibus, ita ut non adverterint, à duobus iniri Matrimonium, ut si contrahentes ipsos non nôrint, vel linguam eorum non intellexerint. Pars 5. quam tenet communis cum Sanch. *l. 3. d. 41. n. 5.* Guttier. Less. Laym. Coninck, Gobat, Perez, Gonz. &c. contra Fr. Molinæum & paucos alios apud *cit.* Sanch. *n. 4.* suadetur 1. quia Trid. in testibus nullam exigit qualitatem: cùm igitur ibi Trident. quatenus ad valorem Matrimonii requirit præsentiam testium, recedat à Jure Antiquo, tanquam correctorium strictè accipi debet, præcisè ut verba sonant. Adde, quòd Jura diligenter exprimant qualitates testium, ubi aliquas requirunt, utì in Testamentis: ergo ubi non exprimunt, non requirunt. 2. In causis favorabilibus (qualis utique in se est quoque Matrimonium) admittuntur testes alias non legales & idonei.

rei, *c. 7. de hæret. in 6.* 3. In aliis cauſis teſtes de Jure Poſitivo inhabiles ſæpe ſufficiunt, & juvantur, ſi concurrant cum teſte ſpecialiter idoneo & eminenti. text. & DD. *in l. 6. §. cogentur ff. de edendo:* ſed in Matrimonio præter alios teſtes ſimul requiritur Parochus, qui ratione officii ſui eſt valde excellens, & ideo ſupplet defectum aliorum. 4. In aliis cauſis, v. g. inſtrumentis, teſtes aliàs minùs habiles fidem ſufficienter faciunt, ſi communi partium conſenſu adhibentur: ſed teſtes, coram quibus intendunt duo contrahere Matrimonium, hoc ipſo communi eorum conſenſu adhibentur: ergo. 5. Finis Tridentini fuit, ut quidem probari poſſit, Matrimonium inter duos eſſe contractum, non tamen in omni rigore; alias enim paſſim vel diſſolutionis vel ſaltem litium foret periculum, ſi certas qualitates in teſtibus requiſiviſſet, ut patet in Teſtamentis ſolennibus, quæ rarò ſunt tuta à litibus, vel etiam ab irritationis periculo, propter qualitates & numerum teſtium, quas exigit Jus. Quapropter teſtes eſſe poterunt ſervi, fœminæ, impuberes; pauperes, criminoſi, & infames, excommunicati, parentes & conſanguinei, familiares, & quicunque alii, qui Jure Naturali non reprobantur, aut ſpeciali ex ratione ſuſpecti non ſunt, uti perjuri in Judicio, vel conſanguinei, qui tale Matrimonium valde affectant. Pars 6. cui ſe opponit Pontius *l. 5. c. 21. n. 4.* Fagn. Vallenſ. P. Schmier *n. 153.* & propendet P. Reiffenſtuel *n. 111.* defenditur à Sanch. *d. 39. n. 11.* Barb. Gob. Leſſ. Laym. Perez; ac aliis communiter, & probatur tum ex Trid. & aliis Juribus, quæ nunquam requirunt, ut teſtes ſpecialiter ſint rogati in Matrimonio, præſertim cùm finis totus Tridentini obtineatur per teſtes etiam non rogatos ſpecialiter, modò advertant, quid agatur: tum à paritate cum aliis contractibus & negotiis, in quibus, exceptô Teſtamentô, ubi id Jura ſpecialiter exigunt, ſufficiunt teſtes non rogati: tum ex praxi; ubi enim aliquis audit, a contrahentibus Matrimonium priùs rogari teſtes? Sufficit

proin casualis præsentia. Nec puto, necessarium esse, ut testes primò casualiter præsentes postea moneantur à contrahentibus de sua intentione, uti tamen necessarium existimat P. Schmalzgrueber *h. n. 236.*

25 Oppones contra ultima duo membra 1. Tridentinum ideo requirit testes, ut de Matrimonio inito possit in Judicio fieri fides, & probatio illius legitima: sed per testes non legitimos nec omni exceptione majores legitima in Judicio probatio non fit: ergo. 2. Posset contingere, ut tam Parochus quàm testes sint criminosi vel infames, & sic valde suspecti: sed per hos utique non sufficienter probatur Matrimonium: ergo. Certè cùm hujusmodi testes facilè possint corrumpi, sequuntur ex eorum admissione illa incommoda, propter quæ Tridentinum requisivit præsentiam parochi & testium: ergo implicitè noluit hujusmodi testes sufficere. 3. Eodem modo videtur Tridentinum voluisse probari, Matrimonium non esse clandestinè invalidè contractum, quo modo voluit Jus Antiquum probari Matrimonium non esse contractum clandestinè illicitè: sed Jus Antiquum *c. 2. h. t.* ad cavendam clandestineitatem illicitam requisivit, ut Matrimonii contracti *legitima probatio appareret:* ergo. 4. In *c. 1. de Consang.* in causa Matrimonii requiruntur testes *circumspecti, & omni exceptione majores.* Idem habetur *c. 22. de testib.* Et in *c. 10. de desponſ. Impub.* testes *idonei,* atque in *c. 28. de Sponsal.* testes *legitimi:* ergo præsumendum est etiam de Tridentino, quòd tales requirat. 5. Declarationes Cardd. apud Bossium & Pontium volunt, ut testes sint *formaliter adhibiti;* sed *formaliter adhibiti* idem est ac *rogati:* ergo testes debent esse specialiter rogati. 6. Si testes non sint rogati, nec moniti, sed tantùm casualiter sint præsentes, sæpe potest contingere, ut, quid actum sit vel contractum, non advertant, vel tantùm obiter, & sic facilè obliviscantur eorum, quæ casu & fortuitò cognoverunt: ergo ad hoc evitandum debent rogari specialiter vel moneri.

Nec

Nec attenditur, quod casualiter & incidenter fit. *l. 4. ff. si certum petat.* vel potiùs *de R. C.* Et qui casualiter adest, adesse non censetur. *arg. l. 78. §. fin. ff. de legat. 3.*

R. ad 1. *N. Min.* quia juxta nostras probationes etiam per testes non omni exceptione majores, præsertim si Parochus non laboret vitiô, qui supplet aliorum defectum, in hoc negotio fit legitima probatio. Ad 2. Casus iste est rarissimus: Jura autem non respiciunt ea, quæ rarò evenire solent, ideo & tali casu habetur sufficiens probatio secundùm Jura. Neque facilè continget, ut tam Parochus quàm testes corrumpi se sinant, tum propter gravitatem peccati, quo se obstringerent, tum propter pœnas, quas deprehensi metuere deberent. Cœterùm si ex speciali ratione forent suspecti, neque juxta nos sufficerent. Interim majus periculum foret incommodorum & litium, vel etiam dissolutionis Matrimoniorum, si testes omni exceptione majores requirerentur, quàm si quicunque sufficiant. Ad 3. Tridentinum omnino voluit, ut Matrimonii *legitima probatio* appareat: sed pro legitima jam habet, licèt testes non ornent illæ qualitates, quas Leges in aliis certis causis exigunt: num per *legitimam probationem* requiratur *c. 2. cit.* major probatio, ex textu non patet; & etiamsi patéret, correctum foret à Trident. uti suadent nostræ probationes. Ad 4. In *c. 1. & 10. citt.* est sermo de Matrimonio jam contracto iterum dissolvendo (in quo casu & nos concedimus, requiri testes legitimos) non verò de ejus constitutione, & de casu, quo contrahitur coram testibus actu, per quos probari debet contractus ipse. In *d. c. 22.* repulsa est quidem Mater, sed ob peculiarem causam suspicionis; quia nimis affectabat Matrimonium filiæ suæ cum viro Nobili & divite; non quia fuit fœmina & aliàs non omni exceptione major. In *c. 28. cit.* solùm dicitur, quòd mulieris simplex assertio prævalere non debeat testibus idoneis & legitimis; quod & nos dicimus,

ſi meliores teſtentur oppoſitum. Deinde teſtes *idonei*, & *legitimi* pro caſu, quo contrahitur Matrimonium actu, juxta noſtras rationes etiam ſunt, qui aliàs non cenſentur eſſe omni exceptione majores. Ad 5. Illæ declarationes Cardd. imprimis non ſtatim habendæ ſunt pro authenticis, partim quia non ſunt authenticè productæ, partim quia non ſunt comprehenſivæ, ſed extendunt Tridentinum ultra verba illius. Deinde aliæ declarationes, apud Reiffenſtuel *n. 108.* in fine, dicunt, Parochum eſſe *adhibitum*, *etiamſi ex alia cauſa vocatus ſit*, vel *invitus & compulſus adſit*. Et cur teſtes & Parochus non cenſeantur *formaliter adhibiti*, ſi moraliter ſint præſentes, licèt ſpecialiter rogati, vel moniti non fuerint? Ad 6. Etiam caſualiter præſentes poſſunt eſſe moraliter præſentes, ita ut ſatis intelligant, quid actum ſit. Si contrarium ponas, verſamur extra quæſtionem. Si rurſus obliviſcantur eorum, quæ fortuitò cognoverunt (quod non ita facilè contingit, ſi ſatis perceperunt) per accidens eſt, idque etiam vocatis & monitis abſolutè contingere poteſt; ac in aliis negotiis, quibus teſtes caſualiter fuerunt præſentes; quod tamen non obeſt. Duæ illæ Leges allegatæ, ſi ritè inſpiciantur, nihil faciunt ad rem, & ſunt extra rhombum.

26 Dico 6. Contrahentes culpabiliter ſine præſentia Parochi, vel alterius Sacerdotis cum ejus licentia, aut teſtium, præterquam quòd graviter peccent, & Matrimonium ſit nullum, conſequenter ſuſceptæ proles illegitimæ, pœnâ arbitrariâ ab Epiſcopo, & quidem gravi, puniendi ſunt. 2. Parochus autem, vel quicunque alius Sacerdos, præſumens alienos parochianos Matrimoniò conjungere ſine licentia, aut benedicere eorum nuptias, ipſo Jure tamdiu ſuſpenſus eſt, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat, vel a quo benedictio petenda erat, abſolvatur. Utrumque membrum clarè proditum eſt in Trident. *ſ. 24. c. 1. de Ref. Matrim.* Idem Parochus ſine duobus vel tribus teſti-

testibus assistens Matrimonio (uti & testes Matrimonio ab Ecclesia interdicto præsentes præstando authoritatem) subjacet pœnæ arbitrariæ Episcopi. Trid. *lo. cit. v. insuper.* Sanch. *l. 3. d. 46. n. 8.*

Dico 7. Matrimonium clandestinè, seu sine præsen- 27
tia Parochi & testium, contractum nec valet in vim Sponsalium. Sanch. *l.* 1. *d.* 20. *n.* 3. Barb. Gonz. P. Wex, & P. Schmalzgrueber cum communiore, contra Coninck, Laym. Palao, & plures alios, quorum opinionem Palao vocat probabiliorem spectato rigore Juris. Prob. 1. ex Trident. quod hujusmodi contractum absolutè irritat, ac nullum declarat, personásque ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: sed quod nullum est, nullum producit effectum. 2. Ex declaratione Cardd. in *Trid. c.* 1. *f.* 24. *de Ref. Matr.* apud Gallemart. *n.* 10. ubi Sponsalium vis expressè negatur. 3. Ex praxi. Oppones 1. Matrimonium impuberum, clandestinè contractum, vel ex alio capite invalidè, valet in vim Sponsalium. *c. un. §. idem quoque. de desponſ. impub. in 6.* ergo & Matrimonium à duobus puberibus contractum. 2. Qui attentat contrahere de præsenti, virtualiter vult contrahere eo modo, quo validè potest juxta illud, *si actus non valet, ut geritur, valeat eo modo, quo valere potest. arg. l.* 13. *ff. de servitut.* sed Matrimonium clandestinè contractum non valet, valent tamen Sponsalia clandestinè inita: ergo. 3. Si contrahentes de præsenti expressè velint saltem Sponsalia de futuro contrahere, casu quo ipsum Matrimonium non valeret, utique talis contractus valebit in vim Sponsalium: ergo etiam, si expressè non habeant hanc intentionem, quia præsumendi sunt eam habere tacitè: eadem autem est vis taciti & expressi: ergo. R. ad 1. *N. Cons. & parit.* Nam Jus in *c. un. cit.* præsumit & ita interpretatur voluntatem impuberum, vel saltem quando unus contrahentium est impubes, si invalidè contrahant ex quocunque capite, modò non ex defectu consensûs; cui dispositioni Juris

Antiqui non censetur derogâsse Tridentinum pro impedimento Matrimonii statuendo clandestineitatem: econtra Matrimonium duorum puberum absolutè & penitus annullavit, si clandestinè contrahatur. Ad 2. Illud procedit tantùm, quando defectus est præcisè ex parte agentis, non simpliciter inhabilitati; non verò, quando se tenet ex parte formæ substantialis, qua si actus careat, idem est, ac si non esset gestus. Unde hìc subintrat aliud axioma, *quod volui, non potui: quod potui, non volui.* Ad 3. *C. Ant. & N. Conf.* Qui enim non exprimunt vel actu habent intentionem contrahendi Sponsalia de præsenti, nihil agunt, & nec tacitè eam habere præsumuntur à Jure, sed potiùs non habere creduntur: quia, quod facti est, non præsumitur generaliter.

28 Quæres adhuc, an illi, qui quidem coram Parocho & testibus contraxerunt Matrimonium, & de præsenti, sed invalidè propter impedimentum quodcunque dirimens, teneantur sublatô impedimentô contrahere de novo coram Parocho & testibus, si velint perseverare in conjugio, & istud restaurare? R. 1. Si impedimentum vel tempore contractûs fuit notorium; aut publicum, etiam ita tantùm, ut posset plenè probari pro foro externo, & periculum sit, ne plenè probetur; vel ex postfacto evasit notorium, aut dicto modo publicum, instaurari non potest nisi coram Parocho & testibus. Idem dic, si solus Parochus assistens, vel unus ex duobus testibus, qui soli fuerunt adhibiti, impedimentum scivit, vel postea cognovit extra Sacramentum Pœnitentiæ. Ita plerique omnes; quia in casu talis notorietatis, vel publicitatis, vel cognitionis, non satis Ecclesiæ constat de Matrimonio ritè contracto & validè, adeóque non obtinetur finis Tridentini; peccata & scandala per suum Decretum evitare volentis. R. 2. Si impedimentum fuit, & manet occultum, ita ut nec periculum sit, ne plenè probetur in Judicio, nec Parocho vel alterutri testi cognitum, longè probabiliùs est, præsentiam novam Parochi

rochi & teſtium neceſſariam non eſſe, tum ex auctoritate, quia ſic ſentiunt communiter cum Sanch. *l.* 2. *d.* 37. *n.* 3. Conink, Laym. Gobat, Fagn. Gonzal. Perez, Cardenas &c. contra Pontium, Guttier. Comitol. Stalen. & Barb. de poteſt. Epiſc. *alleg.* 32. *n.* 157. tum ex ratione, quòd Tridentinum ad hunc caſum ſe non extendat, & illius ratio; nam ratio primaria Tridentini parochum & teſtes requirentis fuit, ne Matrimonia ſine illis validè contracta poſtmodum negentur, & tranſitus fiat ad alias nuptias cum perpetuis adulteriis, eò quòd Eccleſiæ non conſtet, nec ſufficienter probari alias poſſet contractum cum alia parte Matrimonium: ſed iſta ratio in præſenti caſu ceſſat evidenter; quia nullus negabit Matrimonium, aut illud deſeret, ſemel in facie Eccleſiæ à ſe contractum, ſi impedimentum eſt & manet occultum; cùm contractum eſſe convincenter probari poſſit ex libro Parochi, in quem is juxta Tridentinum referre debet eos, qui coram ſe & teſtibus contraxerunt Matrimonium. Sufficiet proin occulta renovatio conſenſûs, à putatitiis conjugibus ſublatô impedimentô poſiti, & ſignô externô manifeſtati. In Confirmationem Navarrus *in ſummæ* c. 22. *n.* 70. affert declarationem S. Pij V.

Oppones 1. Præſentia Parochi & teſtium eſt forma 25
contractûs Matrimonialis: ſed forma rei debet poni neceſſariò tunc, quando res ponitur: ergo. 2. Parochus & teſtes, qui fuerunt adhibiti tempore Matrimonii invalidè contracti, non poſſunt teſtari de Matrimonio validè contracto, niſi iterum adhibeantur, quando ſublatô impedimentô contrahitur: ergo debent iterum adhiberi; nec ſufficit, eos in primo contractu adfuiſſe. 3. Prior contractus fuit irritus: ergo ſe habet, ac ſi nunquam fuiſſet celebratus: ſed ſi nunquam fuiſſet celebratus, utique deberet adhiberi præſentia parochi & teſtium: ergo etiam in caſu, quo fuit quidem celebratus, ſed irritè. 4. Lex non ceſſat, quando ſolùm in particulari caſu ceſſat ratio legis; quia eſt lata propter bonum commune:

ergo, etiamsi in præsenti casu, quo Matrimonium jam aliquando est contractum in facie Ecclesiæ, cesset ratio Legis Tridentinæ de adhibendo Parocho & testibus, isti nihilominus adhibendi sunt in illius restauratione. R. ad 1. *dist. Ma.* est forma ordinariè, & pro casibus, quos Tridentinum voluit comprehendere, & quoad illa Matrimonia, quæ jam ante Tridentinum detestata est Ecclesia. *C. Ma.* quoad casus, quos Tridentinum noluit suo decreto complecti, vel quoad Matrimonia, quæ ante Tridentinum non est detestata Ecclesia tanquam clandestina, & fraudibus periculisque obnoxia. *N. Ma.* Dein illa forma, nempe præsentia parochi & testium aliquando adhibita, postmodum moraliter adhuc perseverat. Ad 2. *dist. Ant.* non possunt testari de Matrimonio verè valido. *C. Ant.* apparenter valido. *N. Ant. & Conf.* Fini legis Tridentinæ sufficit, si testari valeant de eo olim in facie Ecclesiæ contracto. Ad testem non pertinet deponere de rei veritate in se, quatenus dependet ab occultis, sed de re, prout per signa externa apparet. Ad 3. *N. Conf.* Nam ille contractus non fuit omnino nullus; quamvis enim fuerit invalidus in se, & ideo opus habeat renovatione, vel novi consensûs positione, tamen valuit quoad præsumptionem Ecclesiæ, & fidem de contracto Matrimonio ritè faciendam in foro externo: quod sufficit ad finem Tridentini, si impedimentum manet occultum. Ad 4. *dist. Ant.* Lex nō cessat, quando in casu particulari cessat ratio legis, si lex, & ratio ac finis legis, se ab initio extendit ad talem casum. *C. Ant.* Si ad eum se non extendit. *N. Ant. & Conf.* vel potiùs *suppositum*, quòd lex pro hoc casu exstiterit aliquando; nam Tridentinum non comprehendit præsentem casum, de quo quæritur, uti docuimus. Vel *dist. aliter*: Non cessat lex, quando in casu particulari cessat ratio legis tantùm per accidens & particulariter. *C. Ant.* Quando cessat per se & generaliter in tali casu. *N. Ant. & Conf.*

In

in præsenti casu per se & generaliter nullum est periculum illius mali, quod lex Tridentina voluit avertere.

TITULUS IV.

De Sponsa Duorum.

SUMMARIUM

1. 2. *Impedimentum Ligaminis dirimens & impediens.*
3. 4. *Sponsalia de futuro priora prævalent posterioribus, etiam juratis, non obstante, quòd Sponsa posterior priorum ignara fuerit, & sub spe Matrimonii decepta, vel etiam impregnata sit.*
5. *Nec Sponsus obligatur secundæ, licèt prima cedat jure suo, vel moriatur.*
6. 7. *Sponsalia de præsenti posteriora prævalent prioribus de futuro tantùm; licèt ista non solvantur omnino, sed solùm suspendantur.*
8. *Sponsalia de præsenti inducunt impedimentum Ligaminis dirimens Jure Ecclesiastico.*
9. 10. 11. 12. *An etiam Jure Naturali & Divino? sive sit Polygamia, sive Polyviria.*

SCiendum 1. Quia ex clandestina desponsatione facilè posset contingere, ut quis cum duabus contraheret Matrimonium, vel aliqua cum duobus, non immeritò statim subjungi *Titulum de Sponsa duorum*, nempe *de præsenti*. Quoniam verò etiam non rarò contingit, ut aliquis vel aliqua contrahat cum duobus vel pluribus Sponsalia *de futuro*, Interpretes occasionem sumpserunt tractandi hoc loco duplex impedimentum, unum *Ligaminis* dirimens, dum quis, jam ligatus Matrimonio cum una, contra-

trahit cum alia rursus de præsenti, & sic fit *Polygamus*, vel viciſſim dum aliqua ſe pluribus deſponſat de præſenti: Alterum *Sponſalium* impediens, dum aliquis (vel aliqua) jam ligatus Sponſalibus de futuro Sponſalia de præſenti contrahit cum alia, vel Sponſalia de futuro contrahere attentat nova. Nos ſectando ordinem prioris tituli, ubi priùs clandeſtineitatem accidentalem, dein ſubſtantialem, prout eſt impedimentum dirimens, explicavimus, examinabimus priùs impedimentum *impediens Sponſalium*, poſtea verò *impedimentum dirimens Liga-minis.*

2 Sc. 2. Sponſalia de futuro jam contracta cum aliquo vel aliqua eſſe quidem impedimentum ſolùm *impediens* reſpectu Sponſalium de præſenti ſeu Matrimonii cum alio vel alia contrahendi; ſi enim iſtud poſtea contrahatur, validum quidem eſt, ſed illicitum: eſſe tamen ordinariè, & dici poſſe, etiam impedimentum *dirimens* reſpectu Sponſalium de futuro cum alio vel alia, uti videbimus. Simúlque dicemus, an Sponſalia de futuro priora ſemper invalident poſteriora de futuro, & non ſubinde ſaltem teneant poſteriora, & ſolvantur priora. Dein an Sponſalia de præſenti penitus ſolvant Sponſalia de futuro priora, vel tantùm ſuſpendant.

3 Dico 1. Sponſalia de futuro cum uno vel una validè contracta non ſolvuntur per poſteriora, ſed poſterioribus obſtant ita, ut hæc non valeant. 2. Licèt jurata ſint. 3. Vel ſecundis accedat copula carnalis, aut etiam imprægnatio, non verò primis. 4. Probabiliùs etiam, licèt ſponſa ſecunda fuerit ignara Sponſalium priorum, & ſpe Matrimonii fuerit corrupta aut imprægnata, & damnum ipſi aliter reſarciri nequeat, niſi per Matrimonium. Pars 1. ſumitur ex c. 22. X. & *c. un. in 6. de Sponſal.* quia, quod uni jam ſemel validè eſt promiſſum, alteri nec licitè, conſequenter nec validè promitti ampliùs poteſt: ergo nec Matrimonium jam uni validè promiſſum: cùm utique nemo obligari poſſit validè ad rem illici-

illicitam, & cum injuria alterius, jus jam quæſitum habentis, præſtandam. Interim tamen pars altera, cui priùs fuit promiſſum Matrimonium per Sponſalia priora, jus reſiliendi acquirit, ſi reſilire velit; cùm cõtrahens poſteriora cenſeatur renuntiare prioribus: adeóque ex parte innocentis quidem ſolvuntur, ſed non ex parte contrahentis ſecunda Sponſalia. Pars 2. ex *c. 18, & 28. de Jurejur.* vi quorum non obligat juramentum, quod cedit in præjudicium tertii, & peccatum involvit: adde, quòd juramentum tanquam acceſſorium ſequatur principale: ſi ergo promiſſio, cui adjicitur, eſt nulla propter iniquatem ſuam, etiam juramentum erit nullum, ita ut nec obligationem Religionis pariat. Pars 3. fluit indè, quòd prior, cui jam jus eſt quæſitum, privari non debeat eodem per damnum poſteriori ex copula vel imprægnatione imminens, quæ ſcivit prioris jus & Sponſalia; cùm non ſit decepta, per *l. 1, §. 6. ff. de Ædilit. Edicto.* & ſibi imputare debeat illud damnum, quod timet. Adde, quòd obligatio erga priorem non poſſit tolli per injuriam illi illatam per nova Sponſalia cum ſecunda: quæ injuria nec per imprægnationem ſecundæ tollitur. Pars 4. quam tenet cum Guttierez *de Matrim. c. 27. n. 7.* P. Reiffenſtuel *h. t. n. 8.* contra Conink, Rebell. Palao &c. qui in caſu, quo priora Sponſalia ignoravit ſponſa ſecunda, ſimul corrupta vel imprægnata, & contra Sanch. Laym. Engel. Pirh. König, P. Wieſtner, P. Kugler, P. Schmalzgrueber &c. qui in eodem caſu ignorantiæ, ſaltem quando damnum ſecundæ per copulam illatæ aliter reſarciri nequit, niſi per Matrimonium, volunt valere & obligare ſecunda Sponſali, ſolutis ex utraque parte primis, eò quòd prima ex charitate teneatur cedere jure ſuo. Hæc, inquam, Pars 4. Probatur 1. Sponſa prior habet jus certum, legitimè quæſitum: ergo æquum non eſt, ut illud cogatur cedere ſponſæ ſecundæ ob hujus fornicationem, pœnam potiùs quàm tantum favorem promeritæ. 2. Nullo Jure probatur obligatio,

tio, ut, quod alicui competit de Jure, cedatur alteri ex charitate ad evitandum grave illius malum. Dein si tantùm ex charitate tenetur cedere, & eo non cedit, nõ violatur justitia, si contrahatur Matrimonium cum secunda: ergo priora Sponsalia non dissolvuntur, sed ex justitia obligant, non obstante damno secundæ sponsæ. An verò obligent secunda Sponsalia, casu quo prior ex charitate cessit jure suo, patebit ex *n.* 5. 3. Priora Sponsalia non solvuntur ratione promissionis secundæ, quia hæc fuit nulla: nec ratione damni, quia non apparet, unde damnum, cujus periculo per flagitium se altera pars exposuit, obligare etiam ex charitate possit priorem ad cedendum jure; sit, quòd cedere posset absque gravi damno proprio. Imputet fornicaria sibi & suo delicto damnum; præsertim cùm scire debuisset, non fidendum hujusmodi procis, qui sæpe solent sub spe Matrimonii puellas decipere. 4. Si propter fornicationem cum altera sponsa, & damnum ei indè secuturum, dissolverentur Sponsalia priora, & prior saltem ex charitate teneretur cedere, non difficile foret sponso se liberare à priore Sponsa, quam fortè nauseare incipit: sed hoc pacto aperiretur via fraudibus & injustitiis: ergo.

4 Oppones contra ultima duo membra 1. quando eadem res promissa est duobus, præfertur ille, cui facta est traditio, etiamsi illi fuisset secundò locò promissa: sicut etiam, si res jam uni vendita, non tamen tradita, postea vendatur alteri & tradatur, manet huic posteriori. *l.* 15. *C. de R. V.* Sed per fornicationem cum secunda sponsa fit traditio corporis, primæ autem tantùm facta est promissio: ergo secunda præferenda est primæ. 2. Ante Tridentinum, & ubi Tridentinum non est receptum, copula accedens Sponsalibus secundis dissolvebat priora, & faciebat Matrimonium cum secunda sponsa. *c.* 15. & 30. *de Sponsal.* ergo post Tridentinum habebit saltem vim dissolvendi Sponsalia priora; licèt enim Tridentinum noluerit valere Matrimonium ita clandestinè con-

contractum, non tamen tali copulæ ademit vim diſſolvendi priora Sponſalia. 3. Vinculum minùs forte debet cedere fortiori: ſed fortius vinculum ſunt Sponſalia per copulam carnalem confirmata, quàm Sponſalia ſimplicia: ergo. 4. Inter duos litigantes, quorum unus certat de damno vitando, alter autem de lucro captando, præfertur de Jure, qui certat de damno vitando: ſed ſponſa poſterior impræguata, vel corrupta, ſi res innoteſcat, & ipſa propterea difficiliùs nubat, certat de damno vitando, & prior de lucro captando: ergo. 5. Siquis votô ligatus contraxit cum aliqua Sponſalia, & eam corrupit, non obſtante voto tenetur illam ducere: ergo etiam qui corrupit ſecundam Sponſam, tenetur illam ducere neglectâ priore. 6. Leve damnum ex charitate ferendum eſt, ut evitetur alterius grave damnum: ergo ſponſa prior, cui leve, vel etiam nullum damnum imminet ex omiſſo Matrimonio, tenetur ex charitate cedere ſuo jure, ut evitetur damnum grave poſteriori imminens.

R. ad 1. *diſt. Ma.* præfertur, cui facta eſt traditio legitima & de Jure valida. *C. Ma.* invalida & illegitima. *N. Ma.* copula fornicaria non eſt traditio corporis, cui leges aſſiſtunt, vel translationem amplioris juris, vel dominii tribuunt, ſicut aſſiſtunt & tribuunt traditioni rei venditæ, quæ fit poſteriori emptori. Ad 2. Nec ante Tridentinum copulæ, quam conſtabat eſſe fornicariam, fuit tributa vis conſtituendi Matrimonium, vel diſſolvendi priora Sponſalia, ſed illi, quæ præſumebatur maritalis. Cùm igitur omnis copula extra Matrimonium, in facie Eccleſiæ contractum, hodie poſt Tridentinum præſumatur & ſit fornicaria, nulla præjudicabit prioribus Sponſalibus. Ad 3. *N. Min.* Sponſalia ſecunda, utpote invalidè inita, nullum omnino ſunt vinculum, neque fiunt vinculum per ſubſequens flagitium cum injuria prioris Sponſæ. Deinde pro primis Sponſalibus ſtat prioritas temporis, poſſeſſio, innocentia. Ad 4. *diſt. Ma.*

Ma. Si cœtera sint paria, vel si uterque sit innocens, vel uterque habeat jus. *C. Ma.* Si cœtera sint disparia, & unus sit innocens, alter nocens, unus habeat jus-, alter non. *N. Ma.* Prior Sponsa non deliquit, & prior tempore acquisivit jus, posterior deliquit, nec ex Sponsalibus (minùs ex delicto suo) potuit acquirere jus, neque ex damno, utpote quod suæ temeritati imputare debet. Dein etiam prima sponsa certat de damno vitando, quia de perdendo jure, priùs acquisito; non enim est parvum damnum amittere jus jam quæsitum, & difficile est repudiari à sponso. Ad 5. *trans. Ant.* quod infra *tit. VI. n.* 18. negabimus. *N. Conf.* Nam ex voto oritur tantùm obligatio Religionis, ex primis autẽ Sponsalibus obligatio Justitiæ; faciliùs autem solvitur obligatio Religionis quàm Justitiæ, & DEus præsumitur fortè non urgere jus sibi quæsitum per votũ, quando ejus observatio cedit in damnum tertii: id autem de homine jus quæsitum jam habente præsumi nequit. Ad 6. *dist. Ant.* leve damnum ferendum ex charitate est, ut evitetur magnum alterius, si alter non ex propria culpa se conjecit in periculum gravis damni, vel si id prævidere non potuit. *trans. Ant.* si ex propria culpa subijt periculum, quod facilè prævidere potuisset; cùm ejusmodi sceleratis procis non facilè fidendum sit. *N. Ant.* Deinde *N. suppositum consequentis*, quòd nullum, vel ita leve sit damnum, ordinariè saltem, amittere jus ad Matrimonium jam quæsitum. Denique licèt evinceretur propter auctoritatem DD. ex charitate obligari priorem Sponsam, casu quo damnum grave alterius evitari aliter, quam per Matrimonium non posset, ad cedendum jure suo, ea tamen solùm in foro interno locum habere videretur, in foro autem externo à Judice pro priori Sponsa pronuntiandum; quia Judex obligationem Justitiæ præhabere debet obligationi charitatis.

§ Quæres, an non saltẽ in casu, quo prior sponsa vel sponte, vel ex charitatis obligatione existimata, cedit jure suo, obli-

Digitized by Google

ligetur ſponſus duarum ducere ſecundam? 2. An non ſaltem obligetur ſecundæ, ſi prior moriatur, vel ingrediatur Religionem? R. ad utrumque quæſitum; vi Sponſalium, niſi expreſsè ſub conditione, ſi prior ſponſa ceſſerit jure ſuo, mortua, vel ingreſſa Religionem fuerit &c. ſint inita, non obligatur ſecundæ; obligabitur tamen ratione damni, ſi poſteriorem defloraverit, & damnum ex defloratione ſecuturum aliter evitabile non ſit niſi per Matrimonium. Ita cum Perez P. Wieſtner *h. t. n.* 19. & P. Krimer *eod. n.* 273. contra Covarruv. Rebell. P. Schmier *de Sponſal. p.* 1. *c.* 3. *n.* 41. Ratio primæ partis eſt; quia Sponſalia ſecunda, abſolutè inita, fuerunt nulla, neque convaleſcunt valore priorum ſublato; aliàs invalidè profeſſus propter defectum ætatis, ceſſante poſtea hoc defectu, obligaretur ad Religionem ex vi Profeſſionis: quod utique falſum eſt; quod enim ab initio non valet, ſucceſſu temporis non convaleſcit. Ratio poſterioris; quia ipſa Natura obligat ad reparandum damnum alteri illatum, ſive ex charitatis, ſive, ſi per injuriam ſit illatum, ex juſtitiæ debito. Si verò conditionatè fuiſſent inita ſecunda Sponſalia, tunc utique illa obligatio conditionata tranſit in abſolutam, ſi purificetur poſtea conditio, ſi ſcilicet ſequatur ceſſio, vel mors prioris ſponſæ. Oppones: ſecunda Sponſalia, licèt expreſsè non addatur conditio, ſi prior ſponſa ceſſerit jure, vel Sponſalia priora aliunde fuerint diſſoluta, eam tamen ſemper habent imbibitam, tum quia cenſetur ſponſus ſe voluiſſe obligare ſecundæ, quantùm potuit (conditionatè autem potuit) tum quia ſine dicta conditione poſteriora Sponſalia fuiſſent peccaminoſa; quod dici non debet, ſi à peccato excuſari poſſint: ergo. R. N. *Ant.* hæc enim conditio nec ex natura rei, nec ex diſpoſitione Juris, eſt imbibita Sponſalibus ſecundis: non ex natura rei, quia utique abſolutè iniri poſſunt non obſtante peccato, quod in ſecundis Sponſalibus intervenit, ſicut eadem res poteſt abſolutè vendi, quamvis invalidè,

ſecundo emptori, non obſtante peccato, & ſicut Sponſalia cum impedimento dirimente ſcienter inita conſentur abſolutè inita: non ex diſpoſitione juris ineſt hæc conditio; ubi enim exſtat hæc diſpoſitio?

6 Dico 2. Sponſalia de præſenti poſteriora cum ſecunda valent non obſtantibus prioribus de futuro, cum alia initis. 2. Sed priora de futuro probabiliùs non ſolvuntur omnino, & ex parte contrahentis poſteriora, ſed ſolùm ſuſpenduntur, quamdiu manet vinculum Matrimoniale cum ſponſa ſecunda de præſenti ducta. Adeóque ſi moreretur ſponſa ſecunda de præſenti ducta, obligaretur adhuc, qui eam duxit, ad priorem ducendam, ſi hæc vellet, & nunquam adhuc renuntiavit juri ſuo, per prima Sponſalia quæſito. Pars prior eſt deciſa in *c.* 1. *h. t. c.* 22. & 31. *de Sponſal.* Ratio eſt, quia Sponſalia de præſenti, ſeu Matrimonium, ſunt vinculum fortius, quàm Sponſalia de futuro, cùm illa tribuant jus in re per actualem traditionem juris in corpora mutuam, iſta verò ſolùm jus ad rem per promiſſionem: ſicut fortius eſt jus ſecundi emptoris, cui res eſt tradita, & per traditionem jus in re acquiſitum, qui & propterea præfertur priori emptori, cui res tradita non eſt, & cui ſolùm competit jus ad rem per venditionem. Pars poſterior, quam cum Pontio, Maſtrio, Conink, Perez, Palao &c. tenent Zœſius, Haunold. P. Sporer, P. Wex, P. Wieſtner *de Sponſal. n.* 100. P. König. *eod. n.* 62. & alii plures, contra Sanch. Laym. Guttierez, Dicaſt. Becan. Bonac. Tanner. *to.* 4. *d.* 8. *q.* 1. *dub.* 4. *n.* 56. 57. P. Pirhing *de Sponſal. n.* 59. D. Collegam Herman. Ant. de Chlingenſperg, & plures alios tum Canoniſtas tum Legiſtas, probatur 1. Jus Naturale & Juſtitia Commutativa obligant eum, qui aliquando contraxit obligationem juſtitiæ, donec obligationem impleat, & tamdiu, quamdiu implere poteſt in aliquibus circumſtantiis, licèt hic & nunc ponatur obex & impedimentum implendæ obligationis; nimirum obligant pro caſu, quo tollitur obex & impedimen-

mentum: uti patet in debito pecuniario, à quo non liberatur omnino, qui hic & nunc vel ob impotentiam, vel loci diſtantiam, vel aliud impedimentum exſolvere illud non poteſt: item in voto Caſtitatis, vel Religionis, quo quis ligatus contrahit Matrimonium; is enim non liberatur obligatione voti implendi, caſu quo moritur conjunx, licèt ea vivente neć poſſit nec teneatur illud implere. Sed, qui priùs contraxit Sponſalia de futuro cum alia, contraxit obligationem juſtitiæ, cui vivente altera, quacum de præſenti contraxit, ob impedimentum ſatisfacere nequit: ergo vi Juris Naturalis & Juſtitiæ Commutativæ manet obligatus remoto hoc obice ſatisfacere: ergo ex parte ipſius non omnino ſolvuntur Sponſalia priora, ſed ſolùm ſuſpenduntur, ſpectato Jure Naturali & Juſtitia Commutativa. Si ergo Jure Poſitivo aliud non ſit ſtatutum, uti revera non eſſe ſtatutum, ex ſolutione objectionum clareſcet, hæc ſententia prævalebit. *Ex parte ipſius*, inquam; quippe ex parte alterius, nimirum repudiatæ, ſolvuntur, h. e. reſilire ipſi conceditur, poſtquam vidit, ſponſum ducendo aliam tacitè renuntiâſſe ipſo facto prioribus Sponſalibus. 2. Si quis rem duobus vendidit, & emptori ſecundo tradidit, jus primi emptoris non omnino eſt extinctum, ſed ſolummodo ſuſpenſum, uti colligitur ex *l.* 15. *C. de R. V.* ubi tantùm dicitur, quòd tali caſu emptor ſecundus ſit *potior* primò, non verò quòd primus amiſerit ſuum jus; ac proinde iſtius jus ſolùm eſt ſuſpenſum, usquedum res vendita & ſecundo tradita redeat ad venditorem: ergo idem dicendum de jure prioris ſponſæ: ergo hæc ſententia etiam ex Jure Poſitivo eſt præferenda. 3. Iniquum foret & perabſurdum, ut quis deſertâ perfidè priori ſponsâ contrahendo cum alia de præſenti omnino ſe eximat obligatione ad priorem, atque ſic ex ſua malitia ferat commodum, ac per injuriam prior privetur ſuo jure, cui adhuc abſolutè ſatisfieri poteſt. Adde,

quòd hoc modo aperiretur via fraudibus, & anſa injuſtè ſuo jure defraudandi innocentes.

7 Oppones 1. Obligatio ſemel ſublata reſtitui non poteſt. *l. 98. §. Ayeam 8. ff. de ſolut.* & de novo contrahi. *can. 129. d. 4. de Conſecr.* ſed obligatio priorum Sponſalium per ſuperveniens cum alia Matrimonium tollitur, ac ſolùm pœnitentia injungitur fidem violanti, & nihil aliud, *can. ult. cauſ. 27. q. 2. c. 22. 31. de Sponſal.* imò irritatur. *c. 22. cit.* ibi : *quia primam fidem* (Sponſalium priorum) *irritam fecit.* Quin in utraque Rubrica *c. 22. & 31. citt.* adhibetur verbum *ſolvuntur :* ibi : *Sponſalia de futuro, etiam jurata, ſolvuntur per Sponſalia ſecunda de præſenti.* 2. Promiſſio ſervi, qui poſt factam promiſſionem manumiſſus libertatem conſecutus eſt, non tantùm ſuſpenditur, ſed omnino extinguitur, ita ut, ſi poſtea fortè iterum fiat ſervus, promiſſio & indè orta obligatio non reviviſcat. *l. 98. §. 8. cit. & l. 83. §. 5. ff. de V. O.* Ergo nec obligatio priorum Sponſalium, caſu quo illa violans iterum evadit liber ab altero vinculo Matrimonii, reviviſcit, ſed tanquam penitus extincta non ampliùs urget. 3. Ex duobus vinculis ejusdem rationis magis forte rumpit & ſolvit omnino minùs forte, v. g. Profeſſio actualis in Ordine Religioſo laxiori extinguit votum priùs editum profitendi & ingrediendi Ordinem ſtrictiorem : ſed obligatio Sponſalium de futuro cum una, & obligatio Sponſalium de præſenti ſubſequens cum alia, ſunt ejusdem rationis, cùm utraque ſit obligatio *Juſtitiæ*, & poſterior ſit vinculum fortius quàm prior : ſicut votum profitendi Religionem, & actualis Profeſſio, ſunt obligationes ejusdem rationis, nempe *Religionis* utraque, & Profeſſio eſt vinculum fortius, quàm votum ſimplex : ergo. 4. Si maneret obligatio ad priorem ſponſam, huic daretur anſa optandi & captandi mortem poſterioris ſponſæ de præſenti ductæ, imò poſteriori viciſſim anſa optandi & captandi mortem prioris ex Zelotypia, ſi ipſi adhuc jus competeret

ret ad Sponſum ſolutô Matrimoniô : ſed hoc admittendum non eſt ; ergo.

R. ad 1. *N. Min.* vel *diſt.* obligatio priorum Sponſalium tollitur, vel ſolvitur, omnino & ex utraque parte. *N. Min.* Suſpenditur tantùm, vel tollitur aut ſolvitur reſpectu prioris ſponſæ repudiatæ tantùm. *C. Min.* Jura in contrarium allata plus non dicunt, quàm quòd Sponſalia de præſenti non obſtantibus primis cum alia de futuro contractis valeant, nec Matrimonium reſcindi, nec ſeparari conjuges debeant ; quod omnino verum eſt ; at nullatenus dicunt, priora Sponſalia *omnino* extingui, & ſolvi *ex utraque parte.* Illis verbis, *primam fidem irritam fecit*, non indicatur, priora Sponſalia per ſubſequens Matrimonium cum alia fuiſſe irritata, & extincta penitus, ſed quòd prima fides facta ſit *irrita*, h.e. *violata*; quod iterum verum eſt, licèt maneat ſuſpenſa prioris promiſſionis obligatio ; cùm talis contra datam fidem Sponſalium executioni poſuerit obicem & impedimentum. Vel *diſt. Ma.* obligatio *in perpetuum* ſublata, ut loquitur textus in *l. 98. §. cit.* non poteſt reſtitui. *C. Ma.* impedita ad tempus. *N. Ma.* Ad 2. *N. Conſ. & parit.* nam ſervus per manumiſſionem libertate donatus ſtatum ſuum *totaliter* mutavit, & in conſideratione Civili alia evaſit perſona ; non verò prior ſponſa per hoc, quòd repudiata, & alia ipſi hic & nunc præhabita ſit : unde mirum non eſt, quòd per illam totalem mutationem penitus extincta ſit promiſſio ſervi, non verò obligatio erga priorem ſponſam. Adde, quòd hæc diſpoſitio Juris Civilis circa promiſſum per ſtipulationem ſervum ſit ſpecialis, & receſſum facere videatur à Jure Naturali, adeóque non extendenda ad alios caſus in Jure non expreſſos. Ad 3. Imprimis negari poſſet *Anteced.* & dici cum Maſtrio, quòd ille, qui vovit ſtrictiorem Ordinem, & poſtea profeſſus eſt laxiorem, teneatur adhuc implere prius votum, caſu quo ſolveretur omnino & extingueretur Ordo laxior, quem profeſſus eſt. Deinde *negatur*

paritas; partim quia Professio in hoc rerum ordine indissolubilis est, & ordinariè spes nulla illius dissolvendæ, sicut tamen spes est Matrimonii, saltem per mortem conjugis, dissolvendi; partim quia votum Religionis strictioris, & Professio laxioris, eidem Deo facta sunt sine alterius præjudicio: Sponsalia verò de futuro, & Sponsalia de præsenti, facta sunt hominibus diversis, & posteriora cum præjudicio primæ, adeóque ista non præsumitur hoc ipso rata habere posteriora Sponsalia de præsenti, & suo jure cedere; rectè tamen Ecclesia, tanquam interpres Divinæ voluntatis, præsumit, quòd Deo magis placeat Professio etiam in laxiore Ordine, quia est perfectius vinculum, Deóque hominem magis & perfectiùs conjungens, quam votum ingrediendi primùm strictiorem Ordinem. Quòd sint obligationes ejusdem rationis, nihil facit ad rem. Denique ex voto meliùs instituitur paritas pro nostra sententia sic: votum ingrediendi Religionem non penitus extinguitur, sed tantùm suspenditur in eo, qui post illud conjugem duxit, ita ut eâ mortuâ teneatur adhuc ingredi Religionem: ergo nec Sponsalia priora penitus extinguuntur, sed tantùm suspenduntur. Ad 4. Illud qualecunque periculum, cùm præcisè per accidens nascatur, & ex malitia, quæ præsumi non debet, non est causa sufficiens, cur prior sponsa suo jure penitus privetur. Jam ad alteram partem

De Impedimento Ligaminis.

3. Dico 3. Sponsalia de præsenti, seu Matrimonium cum una vel uno validè contractum, de Jure Ecclesiastico est certò impedimentum dirimens Matrimonii, quod vocatur *Ligaminis*, ita ut durante Matrimonii vinculo, & vivente conjuge aliud Matrimonium validè non contrahatur. Adeóque *Polygamia*, dum unus vir simul & semel

semel habet duas vel plures uxores, & *Polyviria*, dum una eadémque fœmina simul & semel habet & sibi jungit Matrimoniô duos vel plures viros, locum non habet. Communis omnium ex *c. 2. 3. 4. fin. h. t. & c. 31. cit.* nec interest, an prius Matrimonium sit *Ratum* duntaxat, vel *Consummatum*, modò adhuc perseveret, quando contrahitur alterum; cùm utrumque inducat impedimentum Ligaminis, juxta illud 1. *Cor. 7. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Ratio est, quia, postquam vir vel mulier jus in corpus jam tradidit uni, sui corporis potestatem non ampliùs habet, nec illud in alium vel aliam validè transfert.

Quæres, an Polygamia aut Polyviria sit contra Jus Divinum & Naturale, consequenter an impedimentum Ligaminis sit Divino & Naturali Jure introductum? R. 1. *Polygamia*, seu pluralitas uxorum, non solùm Jure Positivo Humano, *Canonico & Civili*, ut patet ex *cc. citt. c. fin. h. t. c. 7. & 8. de divort.* atque ex *l. 1. ff. de his, qui not. infam. l. 2. C. de incest. Nupt.* item ex *Pœnali Ordinat. Caroli V. art. 121.* accedit *Ordin. Criminalis Josephi I. art. 19. §. 25.* ubi in eam statuitur pœna gladii; sed etiam Jure *Divino* prohibita est, ut habet communis Catholicorum & certa contra Lutherum, qui teste Bellarmino in pluribus locis docuit, eam licitam esse, propterea fulminatus à Tridentino *s. 24. de Sacr. Matrim. can.* 2. ibi: *siquis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit.* Concordat *c. fin. & c. 8. citt.* imò ipsa institutio Matrimonii, à Deo facta in Paradiso, *Gen. 2. v. 24.* sic præcipiente: *adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una:* ad quem statum primævum à Christo Domino reductum est Matrimonium *Matth. 19.* Accedit significatio Matrimonii Sacramenti indicata *Eph. 5.* utpote quod significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, utique unius cum unica. Quin imò etiam Jure *Naturali* prohibita est saltem aliquo mo-

do, ut habet communis ferè omnium cum S. Th. Bellarm. Sanch. contra Durand. Abul. Guttierez, Gonz. &c. licèt diversô modô id doceant; nam absolutè contra Jus Naturale esse affirmant Capreol. Henriq. Menoch. König, P. Schmier *p. 3. c. 2. n. 206.* cum Clericato asserens, id ab omnibus Theologis & Canonistis affirmari. At cum Sanch. Laym. Palao, Perez. Wiestner & aliis docet P. Schmalzgrueber *n. 20. h. t.* pluralitatem uxorum repugnare quidem Juri Naturæ, at non ex Matrimonii natura, sed ex ipsius institutione, seu quatenus defacto à Deo & Christo institutum est. Hæc sententia mihi ex eo displicet, quòd juxta hunc loquendi modum non tam Jure Naturali, quàm Divino, polygamia videatur prohibita; cùm prohibitio ejus referatur in solam institutionem Matrimonii, adeóque in solum Jus Divinum. Unde præplacet sententia P. Kugler *à n. 1833.* citantis Bellarminum, Sanch. Illsung &c. juxta quem Jure quidem Naturali, at non *absoluto*, utì odium Dei, blasphemia &c. quæ nunquam, etiam ex dispensatione Dei, possunt fieri licita, sed tantùm *conditionato*, nisi nempe DEus, in cujus plenissima potestate ac dominio sunt corpora humana, & eorum jura, etiam ad actus conjugales, polygamia est vetita, utì furtum, occisio innocentis &c. Nec reliquos Auctores huic explicationi adversari existimo si ritè apprehenderint. Quòd *absolutè*, & pro omnibus circumstantiis & conditionibus, non sit illicita Jure Naturali, patet indè, quòd sanctissimis Patriarchis Antiquæ Legis, Abrahæ, qui Saram, Agar, & Ceturam, Jacobo, qui Liam, Rachelem, Balam, & Zelpham, Davidi, qui octodecim uxores habuit, ac aliis plures conjuges DEus permiserit ex dispensatione, quam eis revelavit, præsertim post Diluvium, ut citiùs propagaretur genus humanum: quod exemplum non tantùm alii de populo Electo, sed etiam ex Gentilibus, extensâ ad se Divinâ dispensatione, secuti sunt, & quidem tunc licitè teste S. Augustino, qui relatus *in can. 7. caus. 32. q. 4.* ait: *quod, quan-*

Digitized by Google

quando mos erat, crimen non erat, ſcilicet propter permiſſionem Dei, tunc ipſis ex uſu populi Iſraëlitici cognitam. Quod tamen hodie nec in Gentilibus & Turcis videtur procedere ampliùs, cùm ad tempora Eccleſiæ Chriſtianæ illam diſpenſationem ſe non extendere declaraverit Chriſtus, & Eccleſiæ doctrina. *c. 8. cit.* Quòd verò in aliquo ſenſu (nempe *conditionatè* ſaltem) ſit Jure Naturali prohibita, ſuadet 1. auctoritas DD. communiter prohibitionē in Jus Naturale referentium. 2. Natura Matrimonii, cujus fini ſaltem ſecundario, qui eſt pacifica cohabitatio, repugnat pluralitas uxorum, quæ non facilè inter ſe, & cum ipſo marito forent concordes propter Zelotypiam, propter fœcunditatem unius, & aliorum ſterilitatem &c. Imò aliqualiter etiam repugnat primario fini, qui eſt generatio, & educatio prolis; rariùs enim fœcundi ſunt viri in nimis multas diviſi, uti patet in Salomone, quem ex 700. uxoribus, & 300. concubinis (quæ fuerunt uxores minùs ſolenniter ductæ) non niſi unum filium & duas filias procreâſſe perhibet Suidas: proles verò, ſi fortè procrearentur plures, adnitentibus invidis & pro ſuo partu tantùm ſollicitis matribus, aliquæ minùs, quàm fieri deberet, amarentur, curarentur, & à ſucceſſione in bonis temporalibus excluderentur à patre: ita Betſabea Salomonem à patre Davide præferri Adoniæ filio ex Haggith genito curavit. 3. *Reg.* 1. 3. Natura Juſtitiæ Commutativæ, quæ per ſe non patitur, ut jus in corpus uni jam traditum denuo tradatur ſecundæ, tertiæ, quartæ &c. ſicut res vendita uni, & tradita, alteri denuo tradi ſine injuria prioris nequit alteri. Adde, quòd quælibet uxor jus in corpus tradere non poſſit alteri viro: ergo, ut ſervetur æqualitas inter traditum & acceptum, quam exigit Juſtitia Commutativa, nec viro licebit jus in corpus ſuum ad actus conjugales dare alteri vel aliis. 4. Etiam Gentiles, qui aliud Jus, quàm Naturale, non agnoſcebant, prudentiæ & honeſtatis laude florentes prohibuerunt ſemper polygamiam, uti Roma-

ni, Athenienſes &c. ſaltem extra tempora, quibus oppoſitum viderunt obſervari à populo Electo Dei. Hæ rationes ſaltem pro caſu, quo jus actuale, & non merè radicale, de quo dictum eſt ſupra *tit. I. n. 79. 80.* traditur in corpus, ſatis probare videntur, quòd pluralitas uxorum ſaltem aliquo modo repugnet Juri Naturali.

10 R. 2. *Polyviria*, ſeu pluralitas maritorum in unica fœmina, æquè eſt contra Jura Humana, & Divinum, atque magis contra Jus Naturale, quàm pluralitas uxorum, utì habet communis fortè omnium ex ea ratione, quia non modò præjudicat tranquillæ cohabitationi & paci conjugum, ſed etiam fini primario, ſcilicet generationi & educationi prolis; generationi quidem, quia fœmina plures admittens viros rarò vel nunquam parit, utì patet in meretricibus; educationi autem, quia non conſtaret, quis verus eſſet pater prolis, & ideo negligeretur à quolibet. Accedit, quòd Deus in polyviria nunquam diſpenſaſſe legatur: ergo magis, quàm polygamia, adverſatur Juri Naturali & ſubſtantiæ Matrimonii. Nihilominus tamen cenſeo cum Sanch. *l. 7. d. 80. n. 15.* Laym. Conink & aliis contra Bellarm. Deum per abſolutam potentiam etiam in illa diſpenſare poſſe; quia etiam plurium virorum uxor abſolutè prolem gignere poſſet; imò ordinariè, ſi cum pluribus viris ita contraheret, ut unus hoc, alius altero, tertius vir tertio anno habeat Matrimonij uſum. Educationi prolis Deus alio modo providere poſſet, imò in ſecunda hypotheſi proles non foret incerti patris, & ſic ceſſaret impedimentum educationis.

11 Oppones 1. Apud Gentes plures non omnino barbaras viget uſus polygamiæ, etiam Legibus approbatus, utì apud Thraces, Mauros, Turcas &c. imò etiam polyviriæ: ſic apud Perſas & Medos licebat uxoribus tot ſibi viros jungere, quot volebant: apud Britannos decem vel plures viros poterant ducere: apud Sabæos omni-

omnibus viris ejusdem familiæ deserviebat quoad usum conjugalem unica uxor: Regina Cingæ 40. viros sibi copulavit &c. prout refert Clericatus: ergo nec polyviria nec polygamia repugnat Juri & lumini Naturali. 2. Experientia constat, quòd generatio multiplicis prolis ex polygamia sit secuta: sic David plures sustulit liberos ex pluribus uxoribus. 1. *Paralip.* 3. Sic Roboam ex 18. uxoribus genuit 28. filios & 60. filias. 2. *Paral.* 11. ergo non adversatur generationi prolis, adeóque nec Juri Naturali. 3. Admisimus alibi, quòd valeat Matrimonium sub conditione vel modo, ut nunquam petatur vel reddatur debitum conjugale: ergo, si contrahatur cum pluribus sub dicta conditione, non apparet, unde polygamia vel polyviria sit contra Jus Naturale. 4. Rationes nostræ, fundatæ in perturbatione pacis domesticæ, mala educatione prolis, impedimento generationis &c. solùm probant, polygamiam vel polyviriam esse illicitam Jure Naturali, non verò esse invalidam: ergo impedimentum Ligaminis non est Juris Naturalis. 5. Etiam Pontifex dispensare valet ad simul habendas duas uxores: ergo non est contra Jus Naturale, etiam conditionatum duntaxat. *Ant.* prob. tum ex *can. 18. caus.* 32. *q.* 7. ubi Gregor. III. alicui dedit facultatem ducendi uxorem secundam vivente prima, cùm hæc non posset reddere debitum: tum ex *c.* 3. *h. t.* ubi quidem Alexander III. declaravit, Matrimonium cum secunda initum vivente prima esse nullum, addidit tamen, *quamvis aliter à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum:* ergo in potestate Pontificum est dispensare ad plures simul uxores habendas.

¶. ad 1. *N. Conſ.* Quia apud plures Gentes, alias non barbaras, sed humanitatis & sapientiæ laude florentes, alia quoque, certò Jure Naturæ prohibita, uti est Idololatria, fornicatio, rapinæ, &c. fuerunt usitata, tolerata, vel etiam Legibus ipsarum conformia: imò apud Christianos sæpe conculcatur Jus Naturale: ergo ex fa-

Digitized by Google

ctis nefandis non est formanda regula Juris Naturalis. Ad 2. Ex casibus minùs frequentibus regula non debet desumi, præsertim si viri non admodum multas, sed duas tantùm vel tres sibi uxores copulârint. Insuper licèt cesset una ratio prohibitiva, aliæ tamen non hoc ipso cessant. Ad 3. Fortè pro hoc casu non repugnaret Juri Naturali pluralitas uxorum, vel maritorum: repugnat tamen, si Matrimonium contrahatur modò ordinariò sine dicta conditione. Deinde etiam in hoc casu videtur propter jus, saltem radicale, jam quæsitum primo conjungi, Justitiæ Commutativæ repugnare. Ad 4. Quando actus Jure Naturali prohibitus continet perpetuam turpitudinem, uti polygamia & polyviria, nempe pacis perturbationem, injustitiam, malam prolis educationem &c. & quidem per se, ordinariè, ac non tantùm per accidens & rarò, actus quoque est nullus Jure Naturali, & non tantùm illicitus; cùm ad illicitum dari nequeat obligatio. Accedit sensus DD. communis, hujusmodi pluralitatem non pro illicita tantùm, sed etiam pro invalida habentium. Ad 5. N. *Ant.* Ad *probat.* aliquibus quidem respondere placet, illos Pontifices, tanquam Doctores privatos errâsse errore facti; cùm nunquam pro lege universali id statuerint, sed tantùm in factis particularibus ita *judicârint, senserint &c.* Meliùs tamen alii cum Barbos. &c. dicunt, in priori casu, fœminam illam non quomodocunque ægram fuisse, sed arctam, adeóque laborâsse impedimentò impotentiæ antecedente, propter quam Matrimonium cum ea initum fuit irritum, consequenter Gregor. IX. rectè dedit viro facultatem ducendi aliam. Nec obstat, quòd simul monuerit: *non subsidii opem subtrahat ab illa*; quia hoc vel per modum consilii addidit, vel solùm voluit ei dotem restitui, cùm mulier illa caruerit culpâ; non verò ægram illam adhuc sustentari debere tanquam veram uxorem, uti ibi notat Glossa. Vel dic cum eodem Barbosa, Matrimonium cum ægra illa fuisse duntaxat Ratum, atque in

eo

eo propter ægritudinem à Pontifice fuiſſe diſpenſatum. In poſteriori caſu idem dici poteſt cum Wagnereck., quòd Prædeceſſores Pontifices aliter judicârint diſpenſando in primo Matrimonio ſolùm Rato, & ſic illud diſſolvendo pronuntiârint pro ſecundo conſummato. Vel aliter *judicârunt* Prædeceſſores per Judicialem hujus privatæ deciſionem, non autem ſtatuendo legem univerſalem: in privata autem ſententia Judiciali error in Pontificem cadere poteſt, v. g. ſi in aliqua cauſa litigioſa particulari ferret ſententiam contra jus Partis.

TITULUS V.

De Conditionibus Appoſitis in Deſponſatione, vel in aliis Contractibus.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Conditio, Modus, Cauſa, Demonſtratio.*
2. *Quotuplex ſit Conditio.*
3. 4. 5. *Matrimonium ſub conditione honeſta de futuro contingente valet, licèt primùm compleatur ea eveniente abſque novo conſenſu, & ignaro Paroco ac teſtibus.*
6. *Quid tenendum de Matrimonio ſub hac conditione,* ſi te Virginem invenero, *contracto.*
7. *Matrimonium ſub conditione de futuro neceſſaria, intrinſeca, vel generali, valet ſtatim ut abſolutum.*
8. 9. *Item initum ſub conditione impoſſibili quacunque.*
10. *Aut initum ſub conditione turpi de futuro contingenti non contraria ſubſtantiæ Matrimonii.*

11. *Non*

Digitized

11. *Non tamen Sponsalia de futuro sub dicta conditione impossibili aut turpi.*
12. *Matrimonium sub conditione turpi aut impossibili de futuro contraria substantiæ Matrimonii valet statim, & conditio habetur pro non adjecta.*
13. *An conditio, per quam excluditur Matrimonium, adjecta actui ultimæ voluntatis aut inter vivos, sit turpis, vel vitiet actum.*
14. *Aut per quam excluditur* Status *Religiosus vel Clericalis.*
15. *Quid Juris, si Matrimonium contrahatur sub Modo.*
16. 17. *Aut sub Causa: vel cum Demonstratione.*

SCiendum 1. contingere posse, ut desponsatio, tam de præsenti quàm de futuro, cum una vel altera sponsa fiat non purè & absolutè, sed sub *conditione, modo, causa, demonstratione;* atque ideo de his quoque agendum. *Conditio* autem in genere, huic tamen loco & Rubricæ præsenti congruè, definitur esse *qualitas actui vel contractui adjecta, in dubium eventum futurum suspendens obligationem illius, aut resolvens.* Barb. *in Rubr. h. t. n. 2.* Sanchez & alii quoad rem ipsam. Unde propriè dicta conditio *de præsenti*, vel *de præterito*, non est. *l. 10. ff. de condit. Instit. l. 100. ff. de V. O.* sed tantùm *de futuro*, & quidem *contingenti*, non necessario, vel impossibili. *§. 6. Inst. l. 7. 8. ff. de V. O.* quia conditio est talis qualitas, quæ suspendit actum vel contractum vel quamcunque dispositionem in futurum, si aliquid factum vel non factum fuerit, à quo pendére suum actum vel dispositionem vult disponens, ita ut, si non evenerit, seu conditio illa impleta, sive purificata, non fuerit, nolit se obligatum. Exprimi solet ordinariè per particulam *si*, v. g. si pater tuus consenserit: si navis ex India advenerit &c. Nonnunquam

quam etiam per particulas *cùm, quando, ubi, dum, dummodo, donec, quamdiu* &c. Differt à *Modo*; nam *modus* eſt onus, gravamen, vel moderamen, actui vel diſpoſitioni adjectum, atque efferri ſolet per particulam *ut*, v. g. lego tibi mille, ut Jurisprudentiæ ſtudeas; duco te, ut mecum exerceas mercimonia &c. nec ſuſpendit actum, donec modus eveniat, ſicut conditio ſuſpendit. A *cauſa*; quia hæc eſt id, ob quod tanquam præſens, vel præteritũ, aliquid fit, explicatúrque per particulam *quia*, v. g. duco te, quia nobilis es, virgo es &c. neque hæc ſuſpendit actum, ſicut conditio, ſed is ſtatim valet, & perfectus eſt, ſi illa cauſa ſubſiſtat; vitiatur autem, ſi fuerit cauſa finalis, cui alligatus eſt conſenſus, eáque non ſubſiſtat. A *Demonſtratione*; quia hæc eſt appoſitio ſigni exprimens qualitatem demonſtrativam rei, & denotatur per voces relativas *qui, quæ, quod &c.* v. g. duco te, quæ de tali ſtemate es: lego tibi equum, quem emi à Caio &c. Rurſus non ſuſpendit actum, utì conditio, nec eum regulariter vitiat, licèt demonſtratio ſit falſa; niſi haberet rationem conditionis, cui alligatur conſenſus; quia per ſe inducit tantùm errorem accidentalem. per *l. 17. 33. ff. de condit. & demonſtr.*

Sc. 2. Conditionem dividi 1. in conditionem *de præſenti*, v. g. duco te, ſi virgo es: ſi navis ſtat in portu: in conditionem *de præterito*. v. g. duco te, ſi pater tuus conſenſũ dedit: ſi navis jam ex India advénit: & in conditionem *de futuro*. 2. Hanc ultimã verò in *poſſibilem* & *impoſſibilem*: illa eſt, quæ evenire vel non evenire poteſt, aut certò eveniet: hæc, cujus eventus repugnat vel ex *natura rei*, ut: ſi hircocervum occîderis: vèl ſaltem *de facto*, ut: ſi cœlum digito tetigeris: ſi montem aureum mihi in dotem attuleris. Ad Impoſſibilem refertur etiam *turpis* conditio; quod enim non licet, cenſemur non poſſe. *l. 15. ff. de condit. Inſtit.* adeóque eſt impoſſibile *de Jure*. In ordine ad Matrimonium alia conditio turpis eſt *contra ſubſtantiam Matrimonii*, nempe vel contra

gene-

generationem aut educationem prolis, vel contra fidem conjugalem, vel contra individuam vitæ ſocietatem, ut: contraho tecum, ſi per poculum ſterilitatis prolem impeditura ſis &c. alia verò non eſt contra ſubſtantiam, aut bonum Matrimonii, ſcilicet prolis, fidei, Sacramenti, ut: duco te, ſi hæreſim ſis amplexura. 3. Poſſibilem autem ſubdividi in *neceſſariam*, quæ certò vel ex natura rei eſt eventura, ut: duco te, ſi cras ſol orietur: vel aliunde v. g. ex revelatione, ut: duco te, ſi Antichriſtus ſit naſciturus. Et in *contingentem*, cujus eventus eſt incertus, & quæ exiſtere vel non exiſtere poteſt. Si eventus pendet ex voluntate tertii, vel cauſa à contrahente diſtincta (ut: duco, vel ducam te, ſi pax fuerit ſancita) vocatur *caſualis*; ſi verò pendet ex voluntate illius, quocum contrahis, vel à te (ut: duco, vel ducam te, ſi Catholicam fidem profeſſus fueris &c.) dicitur *poteſtativa*. Atque conditio hæc *de futuro contingenti* propriiſſimè eſt conditio, utpote de cujus eſſentia eſt ſuſpendere negotium in eventum futurum incertum. *c. 5. h. t. l. 1. ff. de condit. & dem.* Conditio autem *de præſenti* vel *præterito*, quia non ſuſpendit negotium vel actum, non eſt propriè dicta conditio, ſed eâ non obſtante vel ſtatim perfectum eſt negotium & abſolutè obligat, ſi ſubſit, vel non obligat, nec unquã obligabit, ſi non ſubſit conditio. Pariter neque conditio *impoſſibilis* aut *neceſſaria* eſt propriè conditio; cùm valorem actûs & obligationem non ſuſpendat, & ordinariè habeat ſe, ac ſi non eſſet adjecta. *l. 9. ff. de Novat. §. 11. Inſt. de inutil. l. 31. ff. de O. & A. l. 17. l. 18. ff. de condict. ind. l. 79. ff. de condit. & demonſtr.* niſi contrahentes (ut aliqui limitant) putarent, conditionem eſſe contingentem, quæ in ſe eſt neceſſaria.

4. Alia conditio eſt *Tacita*, alia *Expreſſa*: hæc eſt, quæ diſertis verbis apponitur: illa, quæ actui ineſt, licèt non exprimatur. Si inſit vel *ex natura rei*, ut: dono tibi fructus, ſi naſcantur: vel *ex diſpoſitione Juris*, ut: duco te, niſi mihi ſis conſanguinea: legatum mihi debetur,

tur, ſi hæres adierit hæreditatem &c. appellatur *intrinſeca*. Item ſi inſit cuilibet contractui vel actui, uti hæ: ſi vixero: ſi DEus voluerit: ſi potuero &c. vocatur *Generalis*: ſi tantùm quibusdam actibus, v. g. Matrimonio (ut: ducam te, ſi non ſubſit, vel non ſupervenerit impedimentum Canonicum) nuncupatur *Specialis*. 5. Denique alia eſt *Suſpenſiva*, quæ actûs effectum ſeu obligationem ſuſpendit tamdiu, donec exiſtat ſeu purificetur conditio, ut: duco te, ſi Papa diſpenſaverit &c. Alia autem *Reſolutiva*, quæ actûs valorem & obligationem non quidem ſuſpendit, facit tamen, ut poſſit reſolvi, ut: contraho tecum, donec aliam ditiorem invenero. Nos hic non multa dicemus de Sponſalibus conditionatè initis, ſed de Matrimonio, an & ſub quibus conditionibus validè contrahatur: *validè*, inquam; nam plerumque additur conditio de futuro contingente illicitè, nec Parochus, ſi contrahentes apponant conditionem ipſo conſcio, id facilè deberet permittere. Omittemus pariter alteram Rubricæ partem de conditionibus quoad *alios contractus*; quia de his jam tractavi *ad tit. 31. de Pactis in lib. I.*

Dico 1. Matrimonium ſub conditione honeſta, extrinſeca, de futuro contingente, v. g. *ſi pater tuus conſentiet: ſi officium mihi impetraveris &c.* valet quidem, ſed ante eventum conditionis non abſolutè; adeóque valor ſuſpenditur, usquedum conditio fuerit actu poſita. 2. Eâ tamen eveniente & impletâ, licèt ignoretur à contrahentibus impletio, abſolutum valorem conſequitur tam in ratione Sacramenti, quàm Matrimonialis contractûs, probabiliùs ſine novo conſenſu. 3. Nec eſt neceſſe, ut conditio impleatur coram parocho & teſtibus, vel his manifeſtetur ejus impletio. Pars 1. videtur ſatìs certa tum ex *c. 3. 5. & jin. h. t.* tum à pari cum aliis contractibus, qui ſub conditione propriè dicta (ſeu de futuro contingente) honeſta & extrinſeca initi valent, licèt non ſtatim perfectè & abſolutè, ſed ſuſpenſo interim

valore usque ad eventum conditionis ; cùm hæc ex natura sua suspendat actum. Dissentiunt Sot. & Covarruv. Pars 2. quam tenent ferè omnes Canonistæ cum Fagn. *in c. 5. cit. n.* 2.3. & Sanch. *l. 5. d. 8. n.3.5.* contra Pont. P. Conrad. Vogler *de Sponsal.d. 1. sect. 5. n. 3.* & contra communem Theologorum cum S. Th. S. Bonav. & Suar. qui tamen in materia contractuum rectè posthabentur Canonistis, probatur 1. quia hæc est communis natura contractuum, ut per eventum conditionis sine novo consensu perficiatur, & fiant absoluti, modò consensus ex neutra parte interim fuerit revocatus. *l. 11. ff. qui potior. in pign. l. 7. ff. de contrah. empt.* 2. Quia consensus in Matrimonium, & de præsenti positus, ac in eventum conditionis relatus, moraliter perseverat (sicut in eo, qui contrahit illud per Procuratorem) usquedum eveniat conditio: ergo opus non est novo consensu, si aliquando est positus sub conditione *intrinseca*, v. g. *si & altera pars consenserit*, sed fit absolutus per consensum alterius, tanquam conditionem, cui alligatus est consensus prioris, licèt eò usque revocari potuerit, & absolutè non obligaverit: ergo neque opus est, si sub conditione *extrinseca* positus est primus consensus. Confirm. S. Pius V. & Clem. VIII. pro valido habuerunt Matrimonium, coram Parocho & testibus per verba de præsenti sub conditione de futuro licita contractum absque novo consensu post impletam conditionem, approbantes decisionem S. Congreg. Cardd. Concilii Trid. ut refert Fagn. *in c. super eo 5. n. 5. 6. 8.* adeóque sententia nostra videtur authenticè declarata. Gobat *tr. 10. n. 454.* Pars 3. est quidem contra graves DD. Conink, Rebell. Laym. Barb. Bonac. Pirhing, Palao, Engel, P. Wiestner, P. Schmier &c. melius tamen defenditur à Sanch. *l. 5. d. 8. n.* 24. Filliuc. Fagn. Gobat, Sporer, Krimer, P. Kugler *n. 735.* & suadetur 4. licèt non eveniat conditio coram parocho & testibus, aut impletio illius notoria non sit, neque ipsis manifestata

fiata, tamen finis Tridentini obtinetur, modò coram parocho & testibus ab initio sub conditione contractum sit, scilicet ne desertô primô Matrimoniô contrahatur aliud; cùm Ecclesia nunquam permitteret, novum contrahi, nisi plenè constiterit de non impleta conditione, aut revocatione consensûs eâ pendente. Adde, quòd Tridentinum requirat præsentiam Parochi solùm pro tunc, quando contrahitur Matrimonium: sed contrahitur, quando ei apponitur conditio, non verò quando hæc purificatur. Declaratio Cardd. approbata à Clem. VIII. apud Fagn. *cit. n. 6.* Suadetur 2. Non requiritur, ut purificatio conditionis sit cognita ipsis sub conditione contrahentibus, ut habet communis: ergo multò minùs, ut sit cognita parocho & testibus. 3. Non requiritur, ut Parochus & testes sint præsentes, quando procuratori datum est mandatum pro alio contrahendi, vel ut illud cognoscant, an sit legitimè datum, vel non interim revocatum: ergo nec, ut ipsis innotescat purificatio conditionis. 4. Non opus est, ut Matrimonium, quod invalidè est contractum propter impedimentum fictionis, consanguinitatis &c. renovetur per consensum verum, fictione depositâ, vel dispensatione obtentâ, coram Parocho & testibus, uti docebimus *tit. XVI. §. 4.* ergo neque, ut conditionis positioni assistant Parochus & contestes, vel eam cognoscant.

Dixi autem 1. *Matrimonium:* de Sponsalibus proin à fortiori servata proportione idem tenendum. 2. *Sub conditione honesta, extrinseca:* quid autem de inhonesta vel turpi, aut intrinseca, sentiendum, patebit ex dicendis. 3. *De futuro contingente*, scilicet adjecta in ipso contractu Matrimoniali, non primùm postea: quid autem de futuro necessario vel impossibili tenendû, pariter dicemus postea: conditio autem de præsenti, vel præterito, non suspendit Matrimonium, sed hoc statim valet, si subsit conditio. v. g. si altera pars dives, virgo, nobilis sit, aut si pater jam dedit consensum; vel non valet, si talis con-

ditio, cui alligatus est consensus, non subsit. per §. 6. *Inst. de V. O. & l. 100. cit.* 4. *Valet:* non verò licitum est, nisi gravis causa accelerandi contractum Matrimonialem ante eventum conditionis, cui alligatur consensus, excuset, propter varia incommoda, quæ indè oriri possunt. Neque, ubi Tridentinum est receptum, Parochus facilè admittet, conditionem de futuro contingenti adjici à contrahentibus. Pariter illicitum est consummare Matrimonium, licèt purificata jam sit conditio, si de purificatione conjugibus non constet, propter periculum fornicationis, cui se exponunt. 5. *Licèt ignoretur à contrahentibus. l. 37. ff. de R. C.* Quia impletio conditionis, non scientia de impletione, facit contractum absolutum & perfectum. 6. *Tam in ratione Sacramenti &c.* quia hoc inter fideles tunc primùm & statim fit, quando contractus Matrimonialis in sua ratione est absolutus & perfectus. 7. *Sine novo consensu,* quia prior adhuc moraliter, uti supponitur, durat: neutiquam verò perficitur Matrimonium per subsequentem copulam, ubi Tridentinum est receptum; licèt enim olim præsumptum fuerit, à conditione fuisse recessum, si Sponsalibus vel de futuro, vel de præsenti conditionatè contractis accesserit copula. *c. 30. de Sponsa. c. 3. 5. 6. h. t.* Matrimonia tamen taliter præsumpta per Trident. sublata sunt. 8. *Coram Paroco* &c. quæ quæstio in locis, ubi Tridentinum non est receptum, cessat.

4 Oppones 1. *Actus legitimi non recipiunt diem, aut conditionem. c. 50. in 6. & l. 77. ff. de R. J.* sed Matrimonium est actus legitimus: ergo non recipit conditionem. 2. Alia Sacramenta, uti Baptismus, Pœnitentia &c. non possunt pendére à conditione de futuro, sed statim, dum ministrantur, valent vel non valent: ergo idem est in Matrimonio. 3. In *c. 5. h. t.* dicitur, quòd ille, qui contraxit sub conditione de futuro contingente, *si pater consenserit*, non cogendus sit ad Matrimonium *contrahendum*, nisi consensus patris fuerit positus: ergo

rgo hoc posito est cogendus ad contrahendum : sed *ontrahere* dicit ponere novum consensum: ergo imoleta conditione opus est novo consensu. Confirmatur: in *eod. c.* habetur, quòd consensus per verba de præsenti sub conditione de futuro expressus non *sit habendus de præsenti*: ergo talis consensus conditionatus non facit Matrimonium, sed tantùm Sponsalia de futuro: ergo opus est novo consensu. 4. Siquis post Matrimonium sub conditione cum una initum contrahat de præsenti & absolutè cum alia, hoc posterius valet soluto priore: ergo illud prius non potuit habere rationem Matrimonii, utpote quod ex natura sua est indissolubile, sed tantùm Sponsalium de futuro. 5. Matrimonium inter fideles est Sacramentum: sed Sacramentum non fit sine signo sensibili; cujusmodi non reperitur, quando purificatur conditio. 6. Parochus & testes ideo adhibendi sunt, ut Ecclesiæ sufficienter constet de Matrimonio non quomodocunque contracto, sed completè, absolutè, & indissolubiliter: sed si Parocho & testibus non intimetur vel constet, conditionem esse impletam, non constat Ecclesiæ sufficienter, quòd Matrimonium sit certè, completè, absolutè, & indissolubiliter contractum. Confirm. 1. Verba, per quæ contrahitur Matrimonium sub conditione, illud non determinatè, sed disjunctivè solùm significant, adeóque non magis consensum, quàm dissensum, prout nempe conditio exstiterit postea vel non exstiterit: ergo, ut potiùs consensum significent, debet de purificata conditione constare Parocho & testibus. Confirm. 2. Si non debet constare parocho &c. facilè negari poterit impletio conditionis, &, quia neganti non injungitur, ut negativam probet, pro libitu dissolvere poterit Matrimonium, licèt conditio fuerit impleta; & sic sequentur omnia incommoda, ad quæ evitanda Tridentinum requirit præsentiam Parochi & testium: ergo.

Ad 1. Illæ regulæ procedunt de illis actibus legitimis,

mis, qui vel ex disposítione Juris diem vel conditionem excludunt, uti *emancipatio*, *acceptilatio*, *hæreditatis aditio*, *servi optio*, *datio tutoris*, quæ specificantur in *d. l. 77.* item *Electio*, quæ exprimitur in *c. 2. de Elect. in 6.* Vel ex natura sua propter certam verborum formulam, quam vel Jus Humanum, vel Divinum præscribit, uti contingit in reliquis Sacramentis, Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia &c. Dein *N. Min.* quippe per actus legitimos in *citt. regulis* illi tantùm veniunt, quibus vel certa forma est præscripta, vel ubi Jus expressè prohibet adjectionem conditionis: cujusmodi non sunt contractus secundùm se, vel non specialiter in Jure expressi; uti nec Matrimonium, cui nec ex natura rei repugnat conditio, nec de Jure, uti Adversarii debent fateri in conditione intrinseca, quæ inest Matrimonio Rato, *nisi Religionem intravero*, ex speciali Juris disposítione. Denique fateor, Matrimonio non posse adjici conditionem extrinsecam *resolutivam*, ita ut ea eveniente Matrimonium semel validè & perfectè initum possit dissolvi, ut siquis ita contraheret, *duco te, donec invenero ditiorem*: non verò respuit *suspensivam*. Ad 2. *N. Cons. & parit.* nam solum Matrimonium, postquam ad rationem Sacramenti elevatum est, habet & retinet adhuc naturam contractûs: contractus autem possunt esse conditionati, & perficiuntur impleta conditione sine novo consensu. Ad 3. Ibi per tò *contrahendum* intelligitur *consummandum*, ut responsio Pontificis concordet cum interrogatione; fuit enim interrogatus de obligatione consummandi post impletam conditionem, ut patet ex *Rubrica d. c.* non de obligatione contrahendi primùm per consensum, qui priùs jam erat positus, sed sub conditione tantùm. Nec sine exemplo est hæc acceptio verborum in Jure; quia in *c. 22. de Sponsal.* vice versa tò *consummare* Matrimonium videtur sumi pro *contrahere*. Si contendere pergas, Pontificem loqui de *contrahendo* iterum, repono, id ideo factum; quia fuit dubium, an non prior

con-

conſenſus ante impletam conditionem fuerit revocatus. Ad Confirmationem *diſt. Ant.* non eſt habendus pro conſenſu de præſenti, perfecto, abſoluto, completo, irrevocabili. *C. Ant.* pro conſenſu conditionato, incompleto adhuc revocabili, quamdiu pendet conditio, & obligante ad exſpectandum eventum conditionis. *N. Ant. & Conſ.* Eſt igitur de præſenti poſitus, ſed conditionatè, adeóque conſtituit Matrimonium conditionatum, non Sponſalia conditionata. Ad 4. *N. Conſ.* cùm conſenſus ponitur de præſenti, ſub conditione tamen de futuro, à qua abſolutè recedi poteſt (uti receditur per contractum de præſenti abſolutum cum alia) non fiunt Sponſalia, ſed Matrimonium, licèt conditionatum, & nec-dum perfectum, antequam purificetur conditio, & non irrevocabiliter. Ad 5. Ipſe eventus conditionis eſt ſufficiens ſignum ſenſibile contractûs Matrimonjalis, qui per illum redditur abſolutus; nam eventus conditionis idem facit, quod contractus ab initio purè celebratus. *l. 11. & l. 7. citt. §. 6. Inſt. de de V. O. cùm enim ſemel conditio exſtitit, perinde habetur, acſi eo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet. l. 11. cit. §. 1.* Ad 6. *N. Ma.* ut patet in caſu, quo contrahitur Matrimonium per procuratorem, ubi Parochus & teſtes non neceſſariò ſcire debent, mandatum eſſe legitimè datum, non revocatum &c. item in caſu, quo contraxerunt impuberes impubertate naturali, qui ſe puberes & potentes ad generandum dicebant; tunc enim utique non opus eſt, ut Parocho conſtet de pubertate ſecuta. Adde, quòd finis Tridentini jam obtineatur, modò in facie Eccleſiæ fit contractum, licèt de eventu conditionis non conſtet Eccleſiæ. Ad Confirm. 1. *N. Ant.* quamvis enim conditio impleri poſſit & non poſſit, & eâ non impletâ tollatur conſenſus, potiùs tamen exprimitur per contractum conditionatum conſenſus, quam diſſenſus. Ad 2. *N.*

iterum *Ant.* & *retorq. argum.* in conſtituente procuratorem ad contrahendum pro ſe Matrimonium ; is enim etiam negare poteſt, à ſe datum eſſe mandatum , & tamen propterea non opus eſt præſentiâ parochi & teſtium ad conſtitutionem procuratoris. Deinde talis negans eſt ſimul affirmans, nempe capacitatem ſuam ad aliud Matrimonium, quam poſitivè probare tenetur; cùm contra illum pro priori Matrimonio ſub conditione inito ſtet gravis præſumptio, & obligatio conditionatè contracta ad exſpectandum eventum conditionis: tales autem negationes probari poſſunt, & debent.

6 Quæres, an valeat Matrimonium ſub hac conditione, *contraho tecum, ſi te virginem invenero*, ut conditionatum, vel ut abſolutum? R. cum diſtinctione: ſi conditio hæc referatur ad licitam explorationem virginitatis ; quæ fit vel per inquiſitionem de vita & fama puellæ, vel etiam per inſpectionem obſtetricum & honeſtarum Matronarum, valet ut conditionatum ; cùm hoc modo ſit conditio honeſta: ſi verò referatur ad explorationem illicitam , quæ fit per concubitum , qui ſemper eſt illicitus, ſi contingeret, antequam Matrimonium eſſet abſolutè contractum , valeret ut abſolutum ; quia conditio turpis & inhoneſta, quæ non repugnat ſubſtantiæ Matrimonii, habetur pro non adjecta, uti dicemus infrà. Sanch. Covarruv. & alii melioris notæ.

7 Dico 2. Matrimonium ſub conditione de futuro quidem , ſed neceſſaria, & intrinſeca, ac generali , quæ vel ex natura rei ineſt, vel ex diſpoſitione Juris, regulariter valet ſtatim ut abſolutum & purum , licèt expreſsè addatur. v. g. ſi ſic contraheretur: duco te, ſi cras ſol orietur : ſi non es mea conſanguinea : ſi Deus voluerit ſaltem permittendo, & ego vixero. &c. Communis ex *l. 9. §. 1. ff. de Novat.* ibi: *qui ſub conditione ſtipulatur, quæ omnino exſtatura eſt , purè videtur ſtipulari.* Et ex §. *6. Inſt. de V. O.* ibi: *quæ enim per rerum naturam ſunt certa , non morantur obligationem, licèt apud*

nos

nos incerta sint. Concordat *l. 99. & l. 107. ff. de condit. & demonstr.* Ratio, quia conditio, quæ jam est determinata in sua causa vel aliunde, jam habetur pro existente. *arg. l. 79. ff. eod.* Atque idem procedit in Sponsalibus & aliis contractibus. Dixi tamen, *regulariter:* nam excipitur 1. si contrahentes per errorem putent, conditionem non necessariam, sed contingentem esse. Sed huic exceptioni reclamare videtur §. *6. Inst. cit.* nec ego ei multum tribuo pro foro externo; cùm videatur esse paritas cum ignorantia conditionis *impossibilis*, de qua *n. seq.* erit sermo. 2. Si alio modo adjiciatur, quam inest per se, v. g. si referatur in explorationem vel declarationem Ecclesiæ, aut hominis, ut si sic contrahatur: *duco te, si Ecclesia, vel Parochus, judicaverit, inter nos non esse impedimentum consanguinitatis.* 3. Si ex circumstantiis facilè colligatur, conditionem talem non esse adjectam per modum conditionis, sed ad præfiniendum tempus, quo sit contrahendum Matrimonium, v. g. *duco te, si pater tuus priùs morietur.* In his enim casibus verè suspenditur Matrimonium, & non nisi conditionatum erit. Sanch. *l. 5. d. 1. n. 12. & d. 2. n. 3. & 6.* ac alii communiter. Sic quoque legatum erit conditionale, si testator sic dicat: *lego centum Titio, si Titius volet*: proin si Titius ante mortem non declaret voluntatem suam, & conditionem non impleat acceptando legatum, illud non transmittet ad hæredes. *l. 69. ff. eod. l. 65. §. 1. ff. de Legat. 1.*

Dico 3. Matrimonium sub conditione impossibili initum regulariter valet statim, & ut absolutum. 2. Sive dein conditio impossibilis sit de futuro, sive de præsenti vel præterito; sive impossibilis *ex natura rei*, sive *de facto* tantùm, ut si pauperi dicas, *contraho tecum, si millionem aureorum in dotem mihi attuleris.* Quid autem sentiendum de conditione impossibili *de Jure*, seu de conditione turpi, aperiet sequens Assertio. Pars

prior eſt deciſa in *c. fin. h. t.* ubi conditio impoſſibilis habetur pro non adjecta, ex præſumptione, quòd contrahentes ſub conditione impoſſibili potiùs jocari, & abſolutè contrahere velint, quàm invalidè, & cum peccato gravi; quamvis enim in re tam ſeria, & in conficiendo Sacramento peccatum quoque ſit jocari, id tamen potiùs eſt quædam tantùm levitas; irritè autem contrahere voluntariè peccatum eſt admodum grave. Dein Jus non ſeriò apponi talem conditionem præſumit ob ſpecialem favorem Matrimonii, quod valere potiùs cupit, quàm non valere: ſicut Jus Civile in favorem ultimarum voluntatum, & libertatis, eas pro validis habet, ſi illis apponatur conditio impoſſibilis, quam propterea pro non adjecta habet. §. 10. *Inſt. de hæred. inſtit. l. 3. & 6. ff. de condit. & demonſtr.* Poſterior ex *eod. c. fin.* deſumitur, ubi conditio impoſſibilis indiſcriminatim habetur pro non adjecta, & præcisè attenditur impoſſibilitas, ac favor Matrimonii, vel ſaltem potiùs, quàm proprietas ſtricta conditionis. Dixi autem, *regulariter*; excipitur enim, ſi ex circumſtantiis conjici poſſit, quòd conditio impoſſibilis ſolùm adjecta fuerit in ſignum noluntatis, ac diſplicentiæ, & ad indicandum, quòd adjiciens conditionem impoſſibilem tam parùm velit contrahere Matrimonium cum hac perſona, quàm parùm conditio poteſt vel poterit exiſtere. Eſt igitur hæc præſumptio *Juris* quidem, at non *de Jure*, ſed admittit probationem in contrarium, ſolúmque tunc habet locum, quando dubium eſt, an joco vel ſeriò adjecta ſit conditio impoſſibilis. Excipiunt etiam multi caſum, quo uterque, vel unus contrahentium, conditionem, de ſe impoſſibilem, judicavit poſſibilem ex errore facti: Item alii & ſat multi caſum, quo contrahentes ignorant conſtitutionem *c. fin. cit.* Sed non immeritò illis ſe opponunt Card. de Lugo, Haunoldus *de J. & J. tr.* &. *n.* 277. Krimer *lib.* 4. *Decretal. n.* 437. & *n.* 847. ac poſteriori exceptioni Pontius, Pereż, Rebell. Hurtad.

ex

x eo utique capite, quòd ignorantia *Juris* manifesti, on pœnalis, non excusat, nec actum de Jure validum ritet: ignorantia autem & error *facti*, licèt fortè excuet in foro interno, & in hoc reddat invalidum Matrinonium sub conditione impossibili, quæ putabatur esse ossibilis, pro foro tamen externo non attendiur.

Oppones 1. Sine consensu non consistit Matrimoniim: sed qui noluit se obligare nisi sub conditione impoibili, censetur non consentire. *l. 31. ff. de O. & A.* cùm conditionem velle non potuerit. 2. Adjectio condionis impossibilis est potiùs signum dissensûs, quàm conensûs; quando enim postulata volumus negare, diciius: dabo tibi, *si digitò cœlum tetigeris* &c. 3. Qui cit, conditionem esse impossibilem, & tamen adjicit, enseturludere & jocari, consequenter se non velle obligare: ergo. 4. Alii contractus, quibus adjicitur conditio impossibilis, sunt nulli. *l. 31. cit. §. 11. Inst. de inutil. tipulat.* ergo etiam Matrimonium; cùm sit contractus. 5. Ecclesia non potest supplere defectum consensûs in Matrimonio: sed apponens conditionem, quam scit impossibilem, non videtur consentire. 6. Matrimonii favor, ob quem Ecclesia in *d. c. fin.* præsumit valere Matrimonium, consistit potiùs in hoc, ut non præjudicetur libertati contrahentium, quamdiu non clarè constat de eorum mente, quàm in valore Matrimonii, per quem ligatur ipsorum libertas: ergo. 7. Si Matrimonium sub conditione impossibili est validum, etiam valebit, si quis illud contrahat cum defiorata sub hac conditione, *si virgo es*; quia impossibile est, talem esse virginem: sed hujusmodi Matrimonium non valet juxta plerosque omnes: ergo.

R. ad 1. *N. Min.* oppositum enim præsumit Ecclesia, nisi ex circumstantiis appareat, quòd seriò sit adjecta conditio impossibilis, vel (loquendo de foro interno) nisi contrahens in animo voluerit suum consensum

seriò

ſeriò alligare conditioni. Ad 2. Id procederet, niſi Eccleſia in favorem Matrimonii præſumeret verum conſenſum, & conditionem pro non adjecta haberet, ex qua conſtitutione Eccleſiæ adjectio conditionis impoſſibilis eſt ſufficiens ſignum conſenſûs abſoluti. Ad 3. *diſt. Ant.* cenſetur ludere & jocari, quoad conditionem, quam cenſetur non ſeriò adjicere. *C. Ant.* quoad ipſum contractum Matrimonialem. *N. Ant. & Conſ.* Ad 4. *Ant.* non eſt abſolutè verum; quia actus ultimarum voluntatum (ſi tamen hos ad contractus referre placeat) valent non obſtante conditione impoſſibili, quæ fuit appoſita. *N. Conſ.* quia de contractu Matrimoniali aliud ſtatuit & præſumit Jus ob favorem Matrimonii & ad vitanda animarum pericula, quæ ex diſſolutione Matrimonii, fortè ſeriò contracti ſub conditione impoſſibili, ſequerentur. Ad 5. Eccleſia non ſupplet in hoc caſu defectum conſenſûs, ſed ex juſta cauſa eum præſumit; quamdiu hæc præſumptio non eliditur. Ad 6. *N. Ma.* major eſt favor Matrimonii, ſi valeat, & ſic excludantur pericula animarum, quàm ſi non valeat. Sibi imputet, qui ſponte adjicit conditionem impoſſibilem, ſi verè nolit contrahere: neque enim hic favor præjudicat libertati & voluntario aut ſpontaneo conſenſui; quia procedit ſolùm tunc, quando non conſtat, an ſeriò vel ex joco tantùm fuerit adjecta conditio impoſſibilis. Ad 7. *N. Ma.* quia hæc conditio fuit ſaltem poſſibilis, & tantùm ex accidenti, & lapſu temporis, reddita eſt impoſſibilis: quæ impoſſibilitas juxta communem Interpretum non comprehenditur ſub diſpoſitione *c. fin. cit.*

10 Dico 4. Matrimonium ſub conditione turpi de futuro non contraria ſubſtantiæ Matrimonii initum, v. g. *ſi patrem tuum occîdes*, regulariter valet ſtatim, & ut abſolutum. 2. Non tamen valet, ſi conditio turpis ſit de præterito. v. g. *ſi furata es tantum, quantum ſufficit ad ad afferendam mihi dotem*, vel de præſenti, v. g. *duco te, ſi blasphemes.* Pars prior iterum conſtat ex *c. fin.*

ſæpius

æpius allegato, ubi talis conditio reputatur pro non adjecta, & præsumitur non seriò apposita; cùm Ecclesia meritò præsumat, contrahentes voluisse juxta mentem Ecclesiæ contrahere purè & sine imposita obligatione, etiam apparente tantùm, peccandi, vel invitante ad peccandum. Addidi rursus, *regulariter*, quando nimirum ex circumstantiis non constat, talem conditionem seriò esse adjectam cum animo suspendendi Matrimonium usque ad eventum conditionis; quia hæc præsumptio Ecclesiæ non est *Juris & de Jure*, quæ non admittat probationem in contrarium; adeóque solùm procedit in dubio, & quando non constat, seriò esse adjectam. Excipiunt hìc iterum multi cum Sanchez duos alios casus, quando nempe contrahentes errore facti ignorârunt, conditionem esse turpem, vel errore Juris ignorârunt constitutionem *c. fin. cit.* Sed videtur idem respondendum, quod *n. 8.* respondimus de ignorantibus, conditionem esse impossibilem, vel constitutionem Ecclesiæ desuper factam. Objectiones itidem, quæ hìc formari possent similes illis, quæ superiùs de conditione impossibili formatæ sunt, similem responsionem exspectare debent. Pars posterior eruitur cum communiori indè, quòd conditiones de præterito & præsenti non sint propriè dictæ conditiones, de quibus tamen exaudiendum videtur *c. fin. cit.* utpote odiosum, & exorbitans à Jure Communi & Naturali quoad alios contractus, adeóque non extendendũ ad conditiones improprias; item indè, quòd non invitent ad delinquendum; quæ ratio videtur esse præcipua, cur turpis conditio habeatur pro non adjecta.

Oppones: conditio impossibilis, sive sit de futuro, sive de præterito vel præsenti, habetur pro non adjecta, uti suprà docuimus: ergo etiam turpis; præsertim cùm *c. fin. cit.* loquatur eodem modo de utraque; sic enim ait: *licèt aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus fa-*

favorem pro non adjectis haberi. R. *N. Conf.* quamvis textus eodem modo videatur loqui de conditione impossibili & turpi, non tamen videtur niti eadem ratione, quæ est anima Legis; nam conditionem impossibilem ideo vult haberi pro non adjecta, quia *impossibilis* est, quod prædicatum reperitur verè etiam in conditione de præterito vel præsenti, non quasi obliget vel inducat ad aliquid impossibile; econtra turpem ideo pro non adjecta haberi cupit, quia ad aliquid turpe & peccaminosum invitat vel inducit, quod tantùm verificatur in conditione turpi de futuro, non verò de jam præterito vel præsenti delicto, & non quia *turpis* est.

21 Quæres, an, quæ hucusque dicta sunt de Matrimonio sub conditione impossibili vel turpi, etiam intelligenda sint de Sponsalibus sub conditione impossibili vel turpi contractis, ita ut illa pariter habenda sint pro purè contractis, & conditio pro non adjecta? R. contra plurimos apud Sanch. *l. 5. d. 17. n. 2.* (quos & ipse sequitur præcisè ob concordiam Auctorum) cum veriore negativè. Ratio est partim, quia textus *c. fin.* solùm de Matrimonio, non verò de Sponsalibus loquitur, quæ dispositio, cùm exorbitet à Jure Communi & Naturali, ad alios contractus, etiam sponsalitios, non debet extendi. per *c. 15. c. 28. de R. J. in 6.* partim quia in Sponsalibus non reperitur eadem ratio, nempe tantus favor, quantus est Matrimonii, propter quem favorem Jus ita statuit de Matrimonio. Vid. P. Wex *in Ariadne p. 5. tr. 2. §. 6. à n. 18.* Id tamen observandum de conditione turpi, quòd sub ea contrahentes non obligentur ad exspectandum eventum conditionis, cùm ad illicitum obligatio dari nequeat; licèt obligentur post eventum conditionis sine novo consensu; eò usque enim Sponsalia sub tali conditione inita suspenduntur: Sponsalia verò sub conditione impossibili, cùm hæc nunquam purificari possit, nunquam sortiuntur effectum, atque ideo statim initio invalida sunt, licèt Matrimonium econ-

tra ab initio statim valuerit. Si tamen conditio impossibilis, & maximè turpis, Sponsalibus adjecta, adversetur substantiæ Matrimonii, nempe si implenda sit primùm post Matrimonium contractum, vel post illud adhuc duratura, illa nunquam valent, sicut mox de Matrimonio dicemus. Proin

Dico 5. Matrimonium sub conditione turpi (idem est 12
de impossibili, ut si quis ita contraheret, *duco te, si priùs in meis exequiis comparueris*) contraria substantiæ Matrimonii initum non valet, & conditio, quantumcunque aliàs contractus Matrimonii sit favorabilis, caret effectu. Ita in terminis decîdit *c. fin. cit. pr.* Ratio est; quia sine substantia sua res non subsistit. *c.* 26. *inf. de Sponsal.* Concordat Jus Naturale. Substantiæ autem Matrimonii repugnant conditiones, quæ ex natura sua adversantur uni ex tribus bonis, vel objectis, quæ Matrimonialis contractus ex essentia sua intendit, nempe vel *bono prolis*, uti hæc conditio, *contraho tecum, si generationem prolis evites*, positivè scilicet, per poculum sterilitatis, per coitum imperfectum, seminis exclusionem, vel effusionem &c. vel *bono Sacramenti*, seu indissolubilitatis Matrimonii, uti est hæc conditio, *contraho tecum, donec inveniam aliam bonore vel facultatibus ditiorem*; cùm hæc conditio sit resolutiva, & eò tendat, ut Matrimonium ex natura sua indissolubile rescindatur: vel *bono fidei conjugalis*, uti hæc conditio, *contraho tecum, si pro quæstu adulterandam te tradas*; cùm ad essentiam Matrimonii non tantùm spectet obligatio, saltem radicalis, ad reddendum sibi mutuò debitum conjugale, sed etiam ne quis conjugum ulli alteri potestatem sui corporis faciat ex pacto. Atque hæc tria exempla conditionum turpium, substantiæ Matrimonii repugnantium, totidem verbis exprimit *c. fin. cit.* De his tamen conditionibus notandum est adhuc 1. quòd debeant in pactum deduci, vel saltem in animo à contrahente alterutro seriò intendi aliquid substantiæ Matri-

trimonii contrarium. 2. Quòd probabiliùs non sit necesse, ut pars utraque in talem conditionem consentiat, modò una illam ponat seriò, ut docet Sanch. *l.* 5. *d.* 13. *n.* 3. & 5. Esparza, Illsung &c. contra Fagn. Pirh. &c. quia, si vel una pars substantiam contractûs evertat, jam non est mutuus contractus Matrimonii, qui claudicare nequit, aut non esse mutua traditio corporum. 3. Solùm illas conditiones substantiæ Matrimonii repugnantes vitiare Matrimonium, quæ sunt de futuro; quia in *d. c. fin.* hæ solæ adducuntur, & quia hæ solæ obligant ad aliquid turpe, ac repugnans substantiæ Matrimonii. 4. Et solùm illas, quæ sunt inhonestæ, & quæ jus etiam radicale ad usum conjugalem tollunt, per ea, quæ ad *tit. I. n. 79.* tradidimus de conditione honesta, solum jus actuale & proximum ad actum conjugalem tollente, *si mecum perpetuam castitatem servaveris* &c. 5. Substantiæ Matrimonii repugnare non solùm illas conditiones turpes, quæ tendunt ad impediendam positivè generationem prolis, ut, *si impedies consummationem copulæ carnalis, conceptionem prolis, abortum procuralis* &c. verùm etiam quæ educationi prolis, uti, *si prolem natam occides* &c. Oppones: *utile non debet per inutile vitiari*, ut habet regula 37. *in 6.* ergo, licèt inutilis & vitiosa sit conditio substantiæ Matrimonii repugnans, contractui Matrimoniali adjecta, propterea ipse contractus Matrimonialis non vitiatur. R. Illa regula procedit in rebus separabilibus, non verò in iis, quæ separationem non admittunt: conditio, quæ uni bono ex tribus adductis Matrimonii repugnat, jam toti contractui Matrimoniali repugnat, utpote non ponibili ex natura sua cum tali conditione.

13 Occasione conditionum *de Jure* impossibilium, seu turpium, quia sunt contra Leges, vel impeditivæ majoris boni, quæres 1. an pro conditione turpi, & actum vitiante, habenda sit conditio, actui vel ultimæ voluntatis, vel inter vivos, adjecta, per quam excluditur Matrimo-

trimonium ? 2. Vel quæ excludit statum Clericalem aut Religiosum ? Ad 1. R. 1. Legatum, vel hæreditas puellæ nunquam nuptæ (vel juveni nunquam nupto) relicta sub conditione, si non nubat, valet ut absoluta, & conditio habetur pro non adjecta, ut adeò talis puella, vel juvenis, etiamsi contrahat Matrimonium, acquirat nihilominus legatum & hæreditatem. *l.* 22. *l.* 72. §. 5. *l.* 100. *de condit. & demonstr. cum Auth. cui relictum. C. de indicta viduit.* quia talis conditio impedit libertatem Matrimonii contra voluntatem Legum, & bonum Reipublicæ, quam per legitimas proles multiplicari expedit. R. 2. Si talis conditio de non nubendo apponatur per actum inter vivos, talis actus vel promissio habetur statim pro invalida; quia talis conditio reprobata à Jure censetur esse impossibilis & non adjecta. *l.* 22. *cit. l.* 9. *ff. de condit. Instit,* conditio autem impossibilis vitiat actum inter vivos. §. 11. *Inst. de inutil. stipul.* R. 2. Pari modo à Jure rejicitur hæc conditio, si puella vel juvenis non nubat, nisi ex consensu vel arbitrio alterius (aliud est, ne sine consilio alterius nubat) *l.* 72. *cit.* §. 4. Item hæc conditio, si Caius non habuerit, vel non reliquerit liberos. R. 4. valebit tamen legatum vel hæreditas relicta viduæ, vel viduo (qui jam fuerunt aliquando in Matrimonio, & illud consummârunt) sub conditione nõ nubendi. *Auth. cit. de ind. viduit. Nov.* 22. *c.* 43. quia honestum & secundùm leges est á secundis nuptiis abstinere. *can. fin. caus.* 31. *q.* 1. Idem dicendum, si conditio non nubendi apponatur in favorem libertatis. v. g. Bertha habeat 100. aureos, si non nupserit; si verò nupserit, illi applicentur pro servo in libertatem asserendo. per *l.* 96. *ff. de condit. & demonstr.* Id quod multi extendunt ad omnem causam piam. v. g. si nupserit, dentur pauperibus, Ecclesiæ &c. R. 5. Valet legatum, hæreditas, donatio, quibuscunque facta sub conditione, si statum Clericalem, vel Religiosum assumant. Covar. Molin. & alii contra Bart. & alios; quia talis con-

ditio ex se honesta est, & licèt excludat Matrimonium, hanc tamen exclusionem testator, vel donans, non intendit directè: leges autem, quæ in contrarium adducuntur, rectè intelliguntur de conditione per se & directè Matrimonium excludente.

74 Ad 2. ℞. 1. valet legatum, vel donatio, puellæ vel juveni nunquam nuptis facta sub conditione, si nubant; cùm non sit turpis & contra leges, sed potiùs juxta. *l. 7. C. de instit. & substit.* Idem est, si addatur hæc conditio, si manserint in Sæculo. Sic enim sentiunt Covarruv. Molin. &c. contra Bald. &c. quia talis conditio per se honesta est, & nullo Jure reprobata: quamvis autem excludat statum Religiosum, qui utpote perfectior cuilibet debet esse liber, eum tamen non excludit directè, sicut conditio de ingressu Religionis non directè excludit Matrimonium. ℞. 2. Pariter valet facta sub conditione, si determinatæ personæ nubat, v. g. Titio, vel Titiæ. Unde si non nubat huic personæ, sed alteri, legatum, vel donationem amittet: excipe, nisi per ipsum vel ipsam non stet, huic determinatæ personæ nubere, v. g. si hæc determinata persona moriatur ante apertum testamentum. *l. 31. ff. de condit & demonstr.* vel nisi talis persona sit indigna ejus nuptiis. *l. 63. ff. eod.* vel nisi legitima vel hæreditas, sub tali conditione relicta, ipsi jam aliàs sit debita; cùm in ea aliunde gravari nequeat. ℞. 3. Si legatum vel donatio sit facta sub conditione nubendi generaliter, vel ut possit nubere, illud vel illa acquiritur, licèt persona, cui facta est, ingrediatur Religionem. *Auth. nisi rogati. C. ad S. C. Trebell. Nov. 123. c. 37.* quia testator, vel donans, præsumitur spectâsse illud, quod tali personæ servit pro decenti statu. Imò, si testator sic legâsset; lego Berthæ (vel Titio) 1000. florenos, si nubat, 100. verò, si Religionem amplectatur; lucratur legatum majus, licèt Religionem ingrediatur, ut tenet Lessius & Gobat cum communi Juristarum contra Sanch. Molin. Laym. & pra-

& praxin Judicum Sæcularium ; quia in Jure non est minor favor Matrimonii spiritualis , quàm carnalis. Vide P. Kugler *de Matr. à n.759.* Si tamen conditio obligaret ad nubendum certæ & determinatæ personæ, fortassis probabilius est, quòd legatũ majus non acquiratur ab ingrediente Religionẽ, & huic determinatæ personæ non nubente ; quia per hanc determinationem testator videtur satis innuisse, se velle, ut potiùs Matrimoniũ carnale, quàm spirituale eligat. Colligitur ex Sanch. *l. 1. d. 33. n. 30.* Guttier. &c. Idem dicendũ videtur, si testator ex justa causa, v. g. conservandæ familiæ, voluntatem suam manifestè exprimeret, nolendo, ut legatum, vel majus legatum, obveniat legatario Religionem ingredienti , uti docent Molina & Covar. nam talis conditio, quamvis turpis foret , si adjiceretur ex odio Religionis, vel sine justa causa, hac tamen accedente turpis non est. ℟. 4. Conditio directè excludens statum Religiosum, v. g. lego 100. Titio , si Religionem non ingrediatur, tanquam turpis rejicienda & pro non adjecta habenda est, adeóque legatum valet ut purum & absolutum. Ita Less. *l. 2. c. 18. dubit. 15. n. 123.* Laym. Pont. Zœs. contra Sanch. *l. 1. d. 34. n. 11.* & Molin. Ratio ; quia Matrimonium spirituale non debet esse minùs favorabile , quàm carnale : sed legatum vel hæreditas nunquam nuptis relicta sub conditione, si non nubant, & sic directè excludente Matrimonium carnale, valet ut pura, conditione tanquam turpi rejectâ, ut suprà diximus ex *l. 22. &c. ff. de condit. & demonstr.* ergo. Dein impium est aliquem à Monasterio avertere per consilium : ergo & per legatum sub dicta conditione relictum ; cùm sit modus efficacior avertendi. Oppones : si testator relinquat Berthæ aliquid sub conditione nubendi certæ & determinatæ personæ, illud non acquirit, si ingrediatur Religionem, eò quòd censeatur testatoris voluntas repugnare, uti diximus : sed etiam videtur repugnare, si expressè excluserit statum Religiosum. ℟. *N. parit.* In priori casu solùm

indirectè excludit ſtatum Religioſum, in poſteriori directè: ſed directè excludens agit contra legis vel Legislatoris voluntatem ſpecialiter favere volentis Religioni, adeóque conditio talis tanquà legi difformis habetur pro turpi, non illa prior.

95 Dico 6. Si Matrimonium contrahatur ſub *modo*, triplex eſt facienda diſtinctio, ſicut in *conditione*. 1. Si modus ſit honeſtus & poſſibilis, valet ſtatim Matrimonium, & non ſuſpenditur, usque dum impleatur modus, vel executioni detur onus adjectum Matrimonio jam completo. *c. 4. h. t.* quia per hoc modus differt à conditione, quòd actum non ſuſpendat, obliget tamen partē, cui onus imponitur, ut modum impleat. v. g. contraxiſti cum Bertha ſic: *duco te, ut officium mihi impetres.* In hoc caſu ſtatim valet Matrimonium, ſed Bertha obligatur ad officium procurandum. Excipe, niſi modus induat naturam conditionis, quod fit, ſi contrahens velit primùm valere actum, poſtquam modus fuerit impletus; nam conditio per tò *ut*, ſicut viciſſim modus per tò *ſi*, ut habeat rationem conditionis, exprimi quandoque ſolet. 2. Si modus ſit *impoſſibilis* vel ex natura rei, vel de facto, vel etiam de Jure, conſequenter ſi *turpis* ſit, v. g. *duco te, ut hircocervum capias: ut montem aureum in dotem afferas: ut patrem tuum occidas*, hæreticus fias &c. valet Matrimonium ſtatim ut abſolutum, & non vitiatur; vitiatur tamen modus, h. e. pro non adjecto habetur; ſicut de conditione impoſſibili & turpi diximus. *arg. c. fin. h. t.* 3. Si modus ſit turpis, & ſubſtantiæ Matrimonii contrarius, v. g. *duco te, ut generationem prolis poſitivè impedias: ut ad adulterandum te proſtituas: ut rupto Matrimonio diſcedas* &c. tunc probabiliùs vitiatur Matrimonium ipſum, & redditur nullum, ſicut per conditionem turpem ſubſtantiæ Matrimonii contrariam. *arg. c. fin. cit. & l. 14. §. 1. ff. de uſu & habit.* Ratio eſt, quia ſub tali modo contrahentes per unum indiviſibilem contractum ſe ſimul ad Matrimonium,

tum, & ad Matrimonii eversivum, obligare intendunt; quod implicat, ut seriò fiat. Ita quoque sentiunt Sanch. *l. 5. d. 19. n. 5.* Laym. Coninck, Filliuc. Barb. Zœs. Pirhing, Engel, König, P. Kugler *de Matrim. n. 156.* contra Hurt. Perez, Sot. Palao, P. Wiestner, P. Schmalzgrueber *h. n. 144.* Oppones cum his 1. Matrimonium sub modo turpi substantiæ Matrimonii contrario pro priori jam est constitutum, & illi jam in suo esse constituto supervenit primùm pro posteriori dictus modus: ergo non potest vitiare Matrimonium jam priùs in suo esse constitutum. 2. *c. fin. cit.* tantùm loquitur de *conditionibus*: ergo extendi non debet ad hujusmodi *modos*. R. ad 1. *N. Ant.* nam uno eodémque actu realiter tenditur simul in Matrimonium, & in modum Matrimonii eversivum; licèt ratione nostra concipiatur modus esse posterior, & una obligatio fingatur prior ad alteram: vel, licèt executio modi esset posterior Matrimonio, tamen obligatio ad ponendum modum, Matrimonii eversivum, ponitur simul uno & eodem actu realiter. Ad 2. Eadem reperitur ratio in modo Matrimonii eversivo, quæ in conditione Matrimonii eversiva: ergo idem de tali modo, quod de conditione substantiæ Matrimonii contraria, in *d. c. fin.* statui censendum est; ubi enim est eadem ratio, debet esse eadem Juris dispositio; præsertim cùm ex natura sua repugnet, ut quis eodem actu velit rem, & aliquid eversivum rei.

Dico 7. Si Matrimonium contrahatur sub *causa*, non 16
suspenditur, nec vitiatur, sed regulariter statim valet, sicut ultimæ voluntates, sive dein causa sit vera sive falsa, honesta vel turpis, possibilis vel impossibilis. Ratio est partim, quia Matrimonium non est minùs favorabile, quàm ultimæ voluntates: sed ultimæ voluntates per adjectionem causæ nec suspenduntur nec vitiantur. §. 31. *Inst. de Legat.* partim quia causa non spectat ad substantiam contractûs Matrimonialis, sed solùm ad qualitatem accidentalem. Nec obstat, quòd alii contractus causâ

non ſubſiſtente reſolvantur juxta *c. 60. de appellat.* ubi dicitur, quòd ceſſante cauſa ceſſet effectus; quia in favorem Matrimonii, ſicut ultimarum voluntatum, aliud eſt de Jure ſtatutum. Dixi, *regulariter*; nam excipitur 1. Niſi cauſa ſit finalis, eáque falſa. 2. Niſi cauſa conſiſtat in errore circa ſubſtantiam perſonæ, vel conditionem ejus ſervilem. 3. Niſi cauſa adjiciatur per modum conditionis, ut ſi dicas, *ducam, vel duco te, quia 1000. aſferes in dotem.* Ratio harum exceptionum eſt, quia tunc cenſetur cauſæ exiſtentiæ alligari conſenſus. Neque dicas, contrahentem nunquam conſenſurum, ſi ſciret, cauſam non ſubſiſtere: ergo ei ſemper alligat conſenſum. Nam *N. Conſ.* non enim attenditur, quid faceret facta hypotheſi, ſi ſciret, ſed quid actu intendat facere: ſed actu intendit Matrimonium, licèt *habitualiter* ita ſit conſtitutus, ut non intenderet, ſi ſciret, cauſam non ſubeſſe.

17 Dico 8. Si Matrimonium contrahatur ſub vel cum *demonſtratione*, ſive vera ſive falſa, honeſta vel turpi, poſſibili vel impoſſibili, pariter nec ſuſpenditur Matrimonium, nec vitiatur. Hujus aſſertionis propter paritatem ſunt eædem probationes, quæ prioris, cum *l. 17. l. 33. ff. de condit. & demonſtr.* Eædem exceptiones. Eædem ferè objectiones & reſponſiones, quas adduximus pro præcedente.

TITULUS VI.

Qui Clerici vel Voventes Matrimonium contrahere poſſunt.

SUMMARIUM

1. 2. *Ordo Sacer, & Profeſſio Religioſa, involvunt Votum Solenne caſtitatis, per quod inducitur*

tur impedimentum dirimens Matrimonii : per alia vota, Castitatis, Religionis &c. simplicia solùm impediens.

3. *Obligatio ad vitam cœlibem apud Clericos Sacro aliquo Ordine initiatos est Juris Ecclesiastici,*

4. *Votum annectentis susceptioni Ordinum Sacrorum, ex quo immediatè oritur regulariter.*

5. 6. *Ordo sacer, etiam in Ecclesia Græca, dirimit Matrimonium contrahendum, sed tantùm ex Jure Ecclesiastico.*

7. 8. 9. *An etiam collatus infanti, puero, metum passo, vel positivè invito:*

10. *Vel ignoranti, ex præcepto Ecclesiæ votum continentiæ perpetuæ, vel impedimentum dirimens, annexum esse Ordini Sacro.*

11. 12. 13. *Votum solenne Professionis Religiosæ dirimit Matrimonium contrahendum, imò & contractum præcisè Ratum, sed Jure Ecclesiastico tantùm.*

14. *Vota autem simplicia Societatis JESU dirimunt quidem contrahendum, non verò contractum Ratum.*

15. *Votum simplex Castitatis, Religionis, Ordinis Sacri, non nubendi, an & quomodo impediat Matrimonium contrahendum vel contractum.*

16. 17. *Vel dirimat Sponsalia post vel ante votum inita.*

18. 19. *Probabiliùs etiam prævalet, & dirimit Sponsalia postmodum contracta, licèt his accedat defloratio, & sponsa fuerit ignara voti, & grave damnum aliter, nisi Matrimoniô, non reparabile incurrat.*

20. 21. *Emittens votum Religionis post Sponsalia non tenetur, imò nec potest licitè, priùs contrahere Matrimonium Ratum, ac tum primùm ingredi Religionem.*

1 SCiendum 1. à Sponſalibus & Matrimonio, tum abſolutè tum conditionatè initis, jam gradum fieri ad declaranda reſidua impedimenta Matrimonii. In hoc titulo produntur duo *dirimentia*, nempe *Ordinis Clericalis*, & *Voti ſolennis*, ſeu *Profeſſionis Religioſæ*, & unum *impediens*, ſcilicet *Voti ſimplicis* Caſtitatis vel Religionis &c. Igitur

De Impedimento Ordinis Sacri

2 Sc. 2. Certum eſſe, quòd Ordo non-*ſacer*, ſeu non-*major*, utì ſunt *prima Tonſura*, & quatuor Minores; *Oſtiariatus*, *Lectoratus*, *Exorciſtatus*, & *Acolytatus*, non dirimat vel impediat Matrimonium, eò quòd non obliget ad continentiam extra Matrimonium ſervandam, ſeu ad *Cœlibatum*. Cùm verò ad cœlibatum hunc, ſeu ad vitam ſine conjuge caſtam Ordines Majores, qui etiam propterea vocantur *Sacri*, quòd ſpecialiter hominem per hujus caſtitatis obligationem conſecrent Deo; adſtringant; ſcilicet hodie *Subdiaconatus*, & ab initio Eccleſiæ ſtatim *Diaconatus*, *Presbyteratus*, & *Epiſcopatus*. *can.* 1. *ſ.* 8. *d.* 27. *can.* 3. 10. *d.* 31. *can.* 1. 9. 11. *d.* 32. *can. ult. d.* 60. *c.* 9. *de ætat. & qual. c.* 2. *de Cleric. conjug. Clement. un. de conſang. Trid. ſ.* 24. *de Ref. Matrim. can.* 9. hinc quæritur 1. quo Jure introductus ſit cœlibatus Clericorum in Sacris conſtitutorum. 2. Ex quo capite, an ex voto, vel præcepto Eccleſiæ, adſtringantur ad caſtitatem, & vitam cœlibem, h. e. ſine conjuge. 3. An, & quo Jure Ordo ſacer, & indè orta ad continentiam obligatio, dirimat Matrimonium. 4. An etiam ſit impedimentum dirimens reſpectu illius, qui in infantia, vel impubertate, cum vel ſine ſcientia obligationis ad caſtitatem Ordinibus Sacris annexæ, aut qui ex gravi metu injuſtè incuſſo, ordinatus & Majoribus initiatus eſt.

Dico

Dico 1. Clerici in Sacris constituti ad vitam cœlibem 3
non Jure Divino, sed Ecclesiastico tantùm obligantur. S. Thomas, Scotus, Suar. & cum his plerique alii; quia nullum exstat Jus & præceptum Divinum Positivum (bene tamen Ecclesiasticum, uti vidimus.) Accedit, quòd Trident. *lo. cit.* id insinuet per verba, *non obstante Lege Ecclesiastica vel Voto:* & quòd Ecclesia possit ac soleat cum illis ad Matrimonium dispensare, imò Græcis semper permiserit cohabitare uxoribus ante susceptos Ordines Sacros ductis. *c. 6. de Cleric. conjug.* Oppones 1. Jus Divinum & Naturale vult, ut, qui sacra tractant & ministrant, ac servitiis Divinis specialiter consecrati sunt, ab omni carnali commercio sint mundi, & non habeant cor divisum erga uxores & DEum; qui enim uxorem habet, sollicitus est circa ea, quæ uxoris & mundi sunt, & *divisus est. 1. Cor. 7.* Nec est immaculatus. 2. Antiquissima est traditio & consuetudo Ecclesiæ, ut saltem Diaconi, Presbyteri, & Episcopi continentes vivant, ac saltem sine usu Matrimonii: ergo signum est, quòd hæc obligatio ab ipso Christo sit introducta. R. ad 1. Quamvis Jus Divinum & Naturale propter allatas & alias similes rationes dicat, valde conveniens esse, ut Dei & Ecclesiæ Ministri in cœlibatu & continentia vivant, indè tamen non eruitur præceptum. Ad 2. N. *Cons.* nam & Jejunium Quadragesimale jam ab ipsa origine Ecclesiæ, & à temporibus Apostolorum traditum ac observatum est, & tamen propterea nemo facilè dixerit, illud esse Juris Divini.

Dico 2. Obligatio Clericorum in Sacris existentium 4
ad continentiam & vitam cœlibem regulariter immediatè descendit ex voto, Sacris Ordinibus ab Ecclesia annexo. Suar. *to. 3. de Relig. l. 9. c. 17. n. 4. 6.* cum S. Th. Bellar. Laym. Zoes. Krimer, & aliorum communi, contra Scotum & Scotistas, qui illam non voto, sed Ecclesiæ præcepto immediatè tribuunt, quamvis Sporer *de Matrim. n. 46.* dicat, se alibi docuisse, obligationem conti-

nendi ex voto; inhabilitatem verò ad Matrimonium ex Lege Ecclesiastica tantùm descendere. Item contra Perez, Conink, Vallens. &c. qui eam ex utroque; tam ex voto quam ex præcepto Ecclesiæ putant provenire. Prob. 1. Qui Sacris initiantur, ex voluntate Ecclesiæ debent emittere votum castitatis, vel expressè vel tacitè, uti patet partim ex *can. 1. d. 28.* ibi: *nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit:* partim ex praxi Ecclesiæ, juxta quam olim *expressè* emittebant votum, hodie verò solùm tacitè, uti constat tum ex *can. 1. cit. & Juribus n. 2. allegatis*, item ex communi sensu Ordines Sacros suscipientium, qui censent se vovere castitatem, &, si eam violant, etiam violati voti se reos existimant. 2. Ex *c. 6. de Cler. conjug.* ibi: *Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit:* ergo supponit Pontifex, in Ecclesia Occidentali seu Latina votum hoc admitti & emitti saltem tacitè in susceptione Sacrorum Ordinum. 3. Ex *c. un. in 6. & Extrav. Antiquæ Joan. XXII. de Voto*, ubi dicitur, votum per susceptionem Sacri Ordinis, sicut per Professionem Religiosam, solennizari, seu reddi solenne, ita ut Matrimonium dirimat: ergo suscipientes Sacrum Ordinem emittunt votum solenne castitatis, & sunt inhabiles ad Matrimonium, sicut obligati ad castitatem: scilicet *immediatè*; quamvis enim Ecclesia velit & jubeat hoc votum emitti, & sic etiam mediatè ex præcepto Ecclesiæ oriatur dicta obligatio & inhabilitas, immediatè tamen & directè provenit utraque à voto, quod ab Ecclesia solennizatum est. Addidi tamen, *regulariter*, nisi nimirum suscipiens Ordinem Sacrum positivè excluderet votum, continentiam vovere nolendo, vel, uti probabile est, judicaret erroneè, illud non esse annexum Ordini sacro, quem suscipit: quia qui positivè non vult vovere, utique nec tacitè emittit votum, uti nec ille, qui judicat erroneè, se suscipiendo Ordinem Sacrum non emittere votum; cùm errantis nullus sit consen-

sensus; nisi voluntatem generalem habeat eo modo suscipiendi Ordinem Sacrum, quo modo vult Ecclesia eum suscipi: iste enim re ipsa vult vovere per intentionem generalem prævalentem, qualis in foro externo semper adesse præsumitur, si de opposito non constet. Cœterùm casu quo quis per accidens non facit votum continentiæ in susceptione Ordinis Sacri illud positivè excludendo, nihilominus obligatur ad continentiam, & fit inhabilis ad Matrimonium, non quidem vi voti, sed immediatè ex præcepto & constitutione Ecclesiæ. Suar. Laym. Krimer *l. 4. n. 945. 954.* Quid sentiamus de eo, qui erroneè judicavit, non dari, vel ignoravit, legem Ecclesiæ, votum continentiæ Sacris Ordinibus annectentis, patebit ex *n. 10.* Oppones, si votum castitatis est annexum Ordini Sacro ex præcepto & Lege Ecclesiastica, tunc ordinatus contra castitatem peccans, non modò contra votum, sed etiam contra legem Ecclesiæ saltem mediatè peccabit: sed duplex hoc peccatum nemo agnoscit. R. N. *Ma.* quia legi Ecclesiasticæ jam satisfecit, qui tacitè vovit continentiam in susceptione Ordinis Sacri: postea verò solum votum stringit.

Dico 3. Ordo sacer dirimit Matrimonium contrahendum. 2. Solo Jure Ecclesiastico. 3. Etiam in Ecclesia Græca. 4. Non verò dirimit jam contractum, licèt sit Ratum duntaxat. Pars 1. est decisa in *can. 1. 4. d. 32. c. 1. h. t. c. un. & Trid. can. 9. citt.* scilicet quia votum solenne sibi habet annexum, vel, si positivè quis excluderet votum, Matrimonio contrahendo obstaret Lex Ecclesiæ. 2. Constat ex *assertione 1. & 2.* cùm Ordo sacer ex natura sua non sit incompossibilis cum statu Matrimoniali, & cœlibatus solùm Jure Ecclesiastico sit præceptus ordinatis; votum verò per se non dirimat Matrimonium, ut patet in voto simplici; solennitas autem voti, ex qua habetur impedimentum dirimens Matrimonii, introducta sit solo Jure Ecclesiastico. *c. un. & Extrav. citt.* 3. Eruitur partim ex *can. Apostolorum* 25. quem

Pa-

Patres Synodi VI. relati *in can. 7. d. 32.* intelligunt etiam de Orientali seu Græca Ecclesia : partim ex usu & consuetudine Orientalis Ecclesiæ satis declarante, quòd Jus Ecclesiasticum etiam in Clericis Græcis non solùm prohibeat, sed etiam irritet Matrimonium post susceptos Sacros Ordines contrahendum. Id quod probat Azor *p. 1. l. 13. c. 12. q. 5.* Pignat. *to. 8. consult. 81. n. 33.* & alii. Id speciale habent Græci, quòd, si jam constituti in Matrimonio postea primùm admittuntur ad susceptionem Sacri Ordinis, etiam Presbyteratûs, uti Matrimoniô, & uxoribus cohabitare licitè possint. *c. 6. de Cleric. conjug.* 4. Est iterum decisa *in Extrav. cit.* quia, ut ibi ait Pontifex, nec Jure Divino, neque sanctionibus Ecclesiasticis, vis ista, nempe dissolvendi Matrimonium, etiam Ratum tantùm, SS. Ordinibus reperitur concessa. Quid juris sit, & quas pœnas incurrant, qui in Majoribus constituti volunt, aut attentant Matrimonium contrahere, discès ex *tit. III. de Cler. conjug. lib. III.*

6 Oppones 1. In *can.* 13. Synodi VI. relato in *can. 13. d.* 31. sic habetur: *Nos antiquum sequentes canonem Apostolicæ diligentiæ, & constitutiones, Sacrorum virorum legales nuptias amodo valere volumus.* Confirmatur: in *can. 8. d. 28.* ita loquuntur PP. Concilii Ancyrani: *Diaconi quicunque, cùm ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere uxores, nec posse se continere; hi, si postea ad nuptias venerint, maneant in Ministerio, propterea quòd his Episcopus licentiam dederit.* Ergo Sacris Ordinibus initiati validè adhuc Matrimonium contrahunt etiam de Jure Ecclesiastico, saltem in Ecclesia Græca. 2. In *can. fin. d. 31.* refertur, Orientalis Ecclesiæ *Sacerdotes, Diaconos, atque Subdiaconos Matrimoniô copulari:* ergo in Ecclesia Græca Ordo sacer priùs susceptus non dirimit Matrimonium contrahendum. 3. Continentia & abstinentia â Matrimonio est res consilii, non præcepti.

1. Cor.

1. *Cor. 7. v. 25.* & eam ipse Christus noluit esse sub præcepto Ecclesiæ: ergo, si Clericis est præcepta, est alio Jure, Naturali aut Divino, & non Ecclesiastico præcepta, ac pro impedimento dirimente introducta. 4. Professio Religiosa dirimit Matrimonium jam contractum, & Ratum tantùm: ergo etiam Ordo sacer; quia etiam habet annexum votum solemne castitatis, sicut Professio Religiosa. Ad 1. Ille canon est unus ex *Trullanis*, ut vocant, qui nunquam sunt approbati, sed à Sergio Pontifice apertè reprobati; nec sunt canones Synodi VI. sed post illam à quibusdam Episcopis in *Trullo*, Imperatoris Palatio cusi. Nec illum *canonem 13.* recepit Adrianus Papa *can. 5. d. 16.* quia ibi §. *sextam* non sua, sed Tharasii Patriarchæ verba ponit. Vel dic, eum quidem approbâsse Synodum VI. at non appendicem Trullanam. Ad Confirmationem: vel per illa verba, *velle se habere uxores*, intelligitur, quòd velint ordinati retinere uxores, & uti Matrimonio; quod in Ecclesia Græca est permissum: vel illa verba, *si postea ad nuptias venerint*, denotant Matrimonium invalidè de facto attentatum, non de Jure fuisse contractum validè; quòd autem relinquendi *in ministerio* dicantur, sensus est, quòd ab Ordine non sint deponendi, imò cum licentia Episcopi etiam actus Ordinis exercere possint: vel, quod mihi planissimum videtur, dicendum, quòd tunc temporis in Ecclesia Græca adhuc penes Episcopos fuerit potestas dispensandi cum ordinatis ad validè contrahendum; qua dispensatione secluſa invalidè contraxissent, Ad 2. *Matrimoniô copulari* non tantùm significat Matrimoniô conjungi per contractum, sed etiam matrimonialiter conjungi per copulam & usum Matrimonii: in quo posteriori sensu respectu Ecclesiæ Græcæ intelligendus est *d. canon* (si tamen sit authenticus) conformiter *c. 8. de divort.* Ad 3. *dist. ant.* est res consilii antecedenter ad præceptum Ecclesiæ. *C. Ant.* post præceptum Ecclesiæ, quod tamen neminem stringit absolutè, & nisi quis spon-

ſponte velit ſuſcipere ordines ſacros. N. *Ant. & Conſ.* Admitto, quòd Eccleſia per ſe & invitum nullum cogere per ſuum præceptum abſolutè poſſit ad continentiam & abſtinentiam à Matrimonio; poteſt tamen & defacto ſolet adſtringere omnes, qui liberè ſuſcipiunt ſtatum tam ſanctum, Divinis miniſteriis dicatum. Ad 4. Quòd Profeſſioni Religioſæ ea vis ſit indita, habetur definitum ab Eccleſia: nihil autem reperitur de tanta vi SS. Ordinibus inſita. Et Jus irritans actum ſemel validum extendi non debet ad caſum in Jure non expreſſum.

7 Dico 4. Ordo ſacer collatus infanti ante uſum rationis, quamvis juxta communem valeat, tamen non inducit obligationem continentiæ, & impedimentum dirimens Matrimonii, niſi annos diſcretionis adeptus ratificet ſuſceptum Ordinem. 2. Probabiliùs tamen tam obligationem continentiæ quàm impedimentum Matrimonii inducit collatus puero, ſeu impuberi, jam ſufficientem rationis uſum habenti, & ſcienti, votum eſſe annexum Ordinibus. 3. Ulti & collatus illi, qui per metum gravem injuſtè incuſſum adactus eſt ad ſuſceptionem Ordinis Sacri. 4. Quamvis poſitivè invito, vel vim abſolutam paſſo, aut alias invalidè collatus dictam obligationem & impedimentum non invehat. Partem 1. tenet communis contra Palud. & Rebellum. Ratio; quia obligatio ad vitam cœlibem & inhabilitas ad Matrimonium in Ordinatis provenit ex Lege Eccleſiaſtica, vel immediatè, vel, ut nos ſentimus, regulariter mediatè, ſcilicet mediante voto ſolenni, quod Eccleſia annexuit Ordinibus Sacris: ſed infans nec voti, nec Legis Eccleſiaſticæ, eſt capax: nec Eccleſia vult, imò lege ordinaria nec poteſt aliquem adſtringere ad cœlibatum, & arcere à Matrimonio abſolutè ac independenter ab ejus conſenſu, propter rei arduitatem, quam ipſe Chriſtus & Apoſtolus ſolummodo ſuaſit, non præcepit. *can. 5. d. 28. can. 11. 12. d. 32. can. 13. cauſ. 32. q. 1. c. 9. de ætat. & qual.* Partem 2. tuentur Suar. Coninck. Dian. Tambur. Sot. Palao, Por-

Pontius, & alii multi, contra Sanch. Barb. Zœſ. Pirhing &c. apud & cum P. Kugler *n. 1743.* & probant 1. Impuberes ſunt capaces tam voti Caſtitatis, Religionis ingrediendæ &c. quam Legis Eccleſiaſticæ: ergo etiam obligantur votô, per Legem Eccleſiaſticam Ordinibus Sacris generaliter & ſine exceptione impuberum annexo, licèt illud ſolenne ſit & inducens inhabilitatem ad Matrimonium, ſi Sacros Ordines liberè & ſcienter ſuſcipiant. 2. Obligantur votô tacitè emiſsô de Jure Naturali: ergo & Poſitivô Eccleſiaſticô; cùm illud hoc Jure nullibi irritetur. 3. Ex *can. 120. cauſ. 1. q. 1.* ibi: *pueri ad Sacros Ordines nullatenus admittantur, ne tantò periculoſius cadant, quantò citiùs conſcendere ad altiora feſtinant:* ergo obligantur ad continentiam, licèt Eccleſia vetet eos admitti ad hoc votum, & iſtud non eſt irritum. Partem 3. amplectuntur Abb. Gaſp. Hurtad. Vaſq. Guttier. Tambur. Pontius & alii apud & cum P. Schmalzgrueber *h. t. n.* 23. contra Sanchez, Suar. Henriq. Perez. Coninck, Bonac. Gob. Barb. Zœſ. Pirh. *h. t. n.* 2. eámque ſuadent 1. Vota ſimpliciter liberè, licèt non ſponte, ſeu absque gravi metu facta, ſpectato Jure Naturali valent omnia: ergo etiam votum ſolenne continentiæ Ordinibus Sacris annexum valet, licèt metu extortum, & ſic non ſponte factum ſit, modò non ſit irritatum à Jure Poſitivo Humano: ſed ab hoc irritatum eſſe nullibi reperitur: ergo. Primum *Antec.* ſupponitur hìc, alibi ſufficienter jam probatum; cùm Jure Naturali plus non requiratur, quàm voluntas abſolutè libera: coacta autem voluntas per metum ſit adhuc voluntas abſolutè libera, ut nemo negat. Adverto tamen cum Suar. *to. 3. de Relig. l. 9. c. 17. n. 33.* eum, qui per metum directè ad extorquendum ipſum votum, & non tantùm ad ſuſceptionem Ordinis, incuſſum adigeretur, non fieri inhabilem ad Matrimonium validè contrahendum; eò quòd tale votum in ratione voti *ſolennis* non valeret propter paritatem cum voto ſolenni Religionis.

Ordo

2. Ordo ſacer non obſtante gravi metu injuſtè incuſſo collatus valet juxta omnes ferè: ergo & votum ſolenne illi annexum & inhabilitas ad Matrimonium; quia *acceſſorium naturam ſequi congruit principalis. c. 42. de R. J. in 6.* Et: *cùm principalis cauſa non conſiſtit, ne ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent. l. 129. ff. eod.* Utraque pars poſterior aſſertionis procedit, etſi impubes, vel per metum ordinatus, poſtea pubertatem adeptus, vel ceſſante metu, non ratificaverit ſpecialiter ſibi collatum Ordinem. Pars 4. Eſt omnium teſte Suarez; quia Ordo per vim abſolutam & poſitivè invito confertur invalidè, uti reliqua Sacramenta. *arg. c. 3. in f. de Baptiſ.* quod autem nullum eſt & invalidum, nullum producit effectum, impedimentum, aut obligationem. per *c. 52. de R. J. in 6.* Qui ergo propter vim præciſam eſt invalidè ordinatus, licèt ipſe putet, ſe validè ordinatum, non contrahit impedimentum dirimens Matrimonii, nec obligatur ad caſtitatem ex voto ſimplici. Idem tene de illo, qui ex alio capite eſt invalidè ordinatus, licèt in Ordinationem conſenſerit; quia, qui ſuſcipit Ordines liberè quidem, ſed invalidè; ſolùm indirectè & acceſſoriè vult vovere caſtitatem: ergo principali non ſubſiſtente nec votum caſtitatis, etiam ut ſimplex tantùm, ſubſiſtit. Quidquid ſit de Profeſſione Religioſa invalida, vim voti ſimplicis habente.

8 Oppones 1. Ordo ſacer infanti collatus valet; ergo etiam votum continentiæ & inhabilitas ad Matrimonium eundem ſtringet ſuo tempore; quia acceſſorium ſequitur ſuum principale. Confirmatur: baptizatus in infantia obligatur poſtea legibus Eccleſiæ, & ad ea, quæ Baptiſmo ſunt connexa: ergo etiam ordinatus in infantia ad ea, quæ ex Lege Eccleſiaſtica ſunt annexa Ordini Sacro. 2. Vota Religioſa ante adeptam pubertatem non valent, nec obligationem caſtitatis aut impedimentum Matrimonii inducunt. *c. 8. de Regular.* Imò hodie nec ante annum 16. ætatis emiſſa: ergo nec votum Sacris

Ordi-

Ordinibus annexum valet. Confirmatur: non est credibile, quòd Ecclesia ordinatos in impubertate velit adstringere ad votum tam arduum, & ad obligationem perpetuam continendi, ac non nisi à Summo Pontifice auferibilem; cùm eos in hac ætate Ordinibus sacris initiari ideo prohibuerit, ne ad continentiam arctentur. Nec est paritas cum aliis votis, quæ, licèt valeant ab impuberibus emissa, facilè tamen à parentibus vel tutoribus irritari aut rescindi possunt, non item votum solenne castitatis. 3. Leges Ecclesiasticæ universim non obligant ad rem valde arduam, quando concurrit metus gravis periculi, v. g. mortis. per *c. 2. de observ. jejun. c. 31. de Sent. Excom.* atque in specie ad continentiam perpetuam Ordinibus annexam neminem compellit. per *can. 1. d. 31. can. 8. & 10. caus. 20. q. 1. c. 9. cit.* Ergo qui ex metu gravi injustè incusso suscepit Ordinem Sacrum, non obligatur ad continentiam & vitam cœlibem. 4. Vota metu gravi injustè extorta non valent, uti DD. desumunt ex *c. 1. & 6. de his, quæ vi.* Unde & Professio ac vota Religiosa habentur pro irritis, si non sponte edantur. 5. Si non Jus Naturale, saltem Jus Positivum irritat illos actus metu injustè extortos, qui aliquando validi vel nunquam, uti Matrimonium, vel difficillimè, uti Professio Religiosa, rescindi possunt: sed votum solenne Ordinibus Sacris annexum, si aliquando valuit, difficillimè & non nisi à Summo Pontifice rescindi potest: ergo. 6. Siquis jam constitutus in Matrimonio adigeretur metu ad suscipiendum Ordinem Sacrum, non obligaretur ad continentiam, sed posset licitè uti Matrimonio, uti fatentur plerique: ergo nec ille obligatur ad continentiam, qui cœlebs adhuc injustè adigitur ad Ordinem Sacrum.

Ad 1. *N. Cons.* Accessorium non sequitur principale, quando accessorium est separabile tam ex natura rei, quàm ex dispositione Juris: votum verò continentiæ tam ex natura rei est separabile ab Ordine Sacro, 9

quàm ex disposítione Juris, non volentis, imò nec valentis ad illud obligare sine propria voluntate susscipientis Ordinem. Ad Confirm. N. iterum *Conf. & parit.* Baptismo ex natura rei & Jure Divino annexa est obligatio servandi ea, quæ Baptismum consequuntur, & Fides Christiana exigit; imò ipse Baptismus est præcepti Divini, adeóque necessariò post adeptum usum rationis ratificandus: econtra Ordini Sacro solùm ex Lege Ecclesiastica, quæ se ad infantes non extendit, annexum est votum castitatis, nec ipse Ordo est sub præcepto, & ideo infanti collatus non necessariò approbandus est. Ad 2. N. rursus *Conf. & parit.* partim quia de Votis Religiosis est in Jure expressum, quòd ante pubertatis vel 16. annos non valeant, de Voto Ordinibus Sacris annexo non reperitur expressum: partim quia dispar est ratio in hoc posteriori voto; quia per hoc non ita plenè se homo adstringit & tradit Deo, neque statum tam difficilem assumit, sicut per vota Religiosa. Accedit, quòd Jura soleant attendere ea, quæ frequenter, & non ea, quæ rarò contingere solent. *l. 5. ff. de LL.* frequenter autem solebant olim admitti ad Professionem Religiosam, rarissimè autem ad Ordines Sacros, ante annos pubertatis; adeóque non censenda sunt irritâsse votum Sacris Ordinibus annexum, quando irritârunt vota Religiosa ante annos certos edita. Ad Confirm. N. *Ant.* quia sine distinctione vult votô continentiæ solenni adstrictos, qui Ordinem Sacrum liberè susscipiunt. Ex eo, quòd Ecclesia prohibeat Sacris initiari ante annos pubertatis, infertur potiùs pro nobis, quòd nempe Ecclesia supponat, impuberibus per Ordinationem imponi onus continentiæ nondum satis expertis difficultatem, quæ est in hac re. Quòd autem hoc votum solenne difficiliùs tolli ac rescindi possit, quàm alia vota impuberum, non facit, quòd non validè emittatur, sicut olim propterea non fuit invalida Professio Religiosa, antequam pro hujus valore designata fuit certa ætas. Adde,

de, quòd non adeò difficile foret à Summo Pontifice relaxationem etiam hujus voti impetrare, in impubertate emissi, hoc ipso, quòd Ecclesia alias tam facilis sit in danda potestate irritandi vota impuberum non solennia. Ad 3. Leges Ecclesiæ universim quidem non obligant metu injustè adactos ad aliquid faciendum, quod principaliter intenditur, si tamen compulsi illud faciunt validè, vult etiam valere id, quod alteri accessoriè à se est annexum, nisi istud accessorium expressè irritet. Vel: universim non obligat metu adactos ad rem arduam, quando alia ratione hoc onus & hanc obligationem tollendi remedium & spes non supereſt; bene tamen, quando obligationem parata est probato metu injusto iterum tollere per dispensationem aut rescissionem, quam non negat, si metu ad Ordinem Sacrum adactus sentiat nimiam difficultatem in servanda continentia, & liberari petat. Vel: universim non obligat, quando per actum non inducitur certus status; at verò, quando per actum inducitur certus status, & non exprimit, se nolle obligare: in Matrimonio & Professione Religiosa specialiter exprimit, se nolle obligare. Quòd ad continentiæ perpetuæ obligationem inducendam in allegatis canonibus requirat, ut Ordo sacer voluntate spontanea & modo ordinario suscipiatur, verum quidem est, sed per hoc non irritat, sicut non ipsum Ordinem, ita nec accessorium & annexum continentiæ votum; cùm *coacta voluntas sit* adhuc verè *voluntas. can. meritò caus. 15. q. 1.* consequenter absolutè sufficiens, nisi afferatur lex irritans actum non sponte, sed ex metu gestum. Ad 4. Vota metu gravi injustè extorta, si religiosa sint, de quibus tantùm loquuntur *c. 1. & c. 6. citt.* non valent quidem; alia tamen omnia probabiliùs valent: cùm lex irritans actum de Jure Naturali validum extendi non debeat ad actus non expressos, utpote odiosa, & correctoria. Ad 5. *Ma*, universaliter non est vera, sed solùm tunc, quando Jus Positivum expressè irritat tales actus, utì irritavit

expreſsè Matrimonium & Profeſſionem Religioſam. Ad 6. *Tranſ. Ant. N. Conſ.* diſparitas eſt, quòd conjugatus, ſi compellatur ad Ordinem Sacrum ſuſcipiendum, jam priùs fuerit in poſſeſſione uſûs Matrimonii, qua per injuriam alienam privari non debet. *arg. cit. can. 1. d. 31.* & quòd cenſeatur poſitivè votum continentiæ excludere: cœlebs verò nec fuerit in poſſeſſione, nec poſitivè cenſeatur excludere votum continentiæ.

10 Quæres, an invincibiliter ignorans, Ordini Sacro ex præcepto Eccleſiæ annexam eſſe obligationem continendi perpetuò, obligetur ad continentiam & abſtinendum à Matrimonio? R. cum Baſil. Pontio per ea, quæ tradit *l. 4. c. 20.* præſertim *n. 10.* contra Sanch. Coninck, Gobat &c. probabiliùs non obligari, niſi actualiter vel virtualiter habeat intentionem generalem ſuſcipiendi Ordinem eo modo, quo Eccleſia præcepit; quamvis fortè in foro externo præſumeretur ordinatus cum notitia hujus obligationis, ſi ignorantiam non probaret. Sumitur ex *can. 1. cit. d. 31.* & hac ratione, quia obligatio ad perpetuò abſtinendum â Matrimonio eſt onus tam arduum & grave, ut ignorans non cenſeri poſſit ad illud implicitè ſe velle obligare. Oppones 1. Alia impedimenta Matrimonii, ſaltem non pœnalia, incurruntur ab ignorante: ergo & iſtud Ordinis Sacri & annexi voti ſolennis. 2. Qui ſimpliciter vult Ordinem Sacrum, implicitè vult & ſe reſolvit ad onera annexa, v. g. ad recitationem Breviarii, geſtationem habitûs &c. etſi illa ignoret: ergo etiam ad continentiam perpetuam. Sicut, qui emittit Profeſſionem Religioſam, obligat ſe implicitè ad onera Religionis etiam ignorata: qui vult fieri Prætor, ad onera ſuo officio adhærentia &c. R. ad 1. *N. parit.* quia impedimentum Ordinis fundatur in voto, vel ſaltem in debito & obligatione vovendi continentiam: ſed votum, & debitum vovendi, requirit notitiam ejus, quod vovetur, vel vovendum eſt, ac liberum conſenſum, non verò alia impedimenta, utì affinitatis, clandeſtinitatis &c.

Digitized by Google

&c. Ad 2. N. *Conſ.* non enim eſt paritas inter onera levia priùs ignorata, & inter tam arduum: ad illa meritò cenſetur aliquis implicitè ſe reſolvere, non ad iſtud: ſicut nec ad continentiam perpetuam meô judiciô ſe obligare velle præſumendus eſſet, qui emitteret Profeſſionem Religioſam invincibiliter ignorans, in ea comprehendi obligationem & votum continentiæ. Prætoris officium ſuſcipiens cenſetur ſe obligare ad annexa onera, quæ facilè prævidere potuit, & ad alia, quæ aliqualiter prævidere non potuit, ſi non ſint nimis ardua. Jam

De impedimento Voti, tum dirimente tum impediente.

SCiendum, per *Votum*, quatenus eſt impedimentum dirimens Matrimonii, intelligi Votum ſolenne, ſeu *Profeſſionem Religioſam*, quæ nihil eſt aliud, quàm emiſſio votorum ſolennium paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuæ in quodam Ordine ritè ab Eccleſia approbato: per *Votum* verò, quatenus eſt impedimentum impediens Matrimonii, intelligi votum ſimplex, ſeu extra Ordinem Sacrum & Ordinem Religioſum, tum caſtitatis perpetuæ, tum Religionis ingrediendæ, tum Sacri Ordinis ſuſcipiendi, tum cœlibatûs in ſæculo, ſeu non nubendi. Votum *ſolenne* Profeſſionis Religioſæ poteſt Matrimonium vel præcedere, vel ſubſequi; & ideo quæritur, num antecedens dirimat Matrimonium contrahendum, & ſubſequens dirimat jam contractum. Pariter Votum *ſimplex* caſtitatis, Religionis &c. poteſt tam antecedere Matrimonium & Sponſalia, quàm ſubſequi; & idcirco quæritur, an & quomodo impediat Matrimonium contrahendum; vel dirimat Sponſalia contrahenda, ſi antecedat: item an & quomodo impediat Matrimonium jam contractum, vel dirimat Sponſalia jam

contracta, si subsequatur, seu emittatur post Matrimonium vel Sponsalia jam priùs inita.

12 Dico 1. Votum solenne Professionis Religiosæ dirimit Matrimonium contrahendum. 2. Imò dirimit, seu quoad vinculum quoque dissolvit, Matrimonium jam validè contractum, modò illud purè Ratum, & nondum consummatum sit. 3. Sed de Jure Ecclesiastico tantùm in utroque casu. Pars 1. habetur *can.* 11. 12. *cauſ.* 27. *q.* 1. *c.* 3. *c. fin. h. t. c. un. de Voto in* 6. & in Trid. *ſ.* 24. *de Sacr. Matrim. can.* 9. clarè definita. Pars 2. in *can.* 27. *cauſ.* 27. *q.* 2. *c.* 2. 7. 14. *de convers. conjug.* atque in Trid. *can.* 6. dilucidè iterum est definita pro articulo fidei. Permittitur autem novis conjugibus spatium duorum mensium, intra quod deliberare ipsis concèditur, an Religionem ingredi, vel in Matrimonio perseverare velint illud consummando: imò, licèt post duos menses unus vel uterque ingrediatur Religionem (uti potest, si Matrimonium adhuc sit Ratum duntaxat) istud dissolvitur. *c.* 7. *&* 14. *citt.* ad quem *tit.* 32. *libri III.* plura traduntur de hac re. Pars 3. probabiliùs & communiùs defenditur cum Suar. *de Relig. to.* 3. *l.* 2. *c.* 9. 10. *& l.* 9. *c.* 23. *n.* 20. contra Sotum & alios, qui de Jure Naturali, & contra Almain. Pignat. & alios, qui de Jure Divino Matrimonium, vel contrahendum, vel contractum Ratum, dirimi per Professionem Religiosam putant. Prob. 1. negativè; quia non satis probatur, ex Jure Naturali vel Divino introductam esse incompossibilitatem vinculi Matrimonii & Professionis Religiosæ (licèt usus & actus utriusque se non compatiatur) ut patet in conjuge, qui cum consensu alterius ingreditur Religionem post Matrimonium consummatum, vel qui cum voto simplici continentiæ contrahit Matrimonium; vel post hoc jam contractum facit votum simplex continentiæ. 2. Votum solenne Professionis Religiosæ non dirimit Matrimonium contrahendum, vel contractum Ratum, Jure Naturali aut Divino, *quà votum* est; aliàs etiam

votum

votum ſimplex dirimeret; quod nemo dicit: neque *quà ſolenne*; quia ſolennitas voti non habetur à Jure Naturali aut Divino, ſed à ſolo Eccleſiaſtico. *c. un. de Voto in 6.* concordante *Extrav. un. Joan. XXII. cod.* 3. Pontifex diſpenſare poteſt cum Religioſis ad Matrimonium validè contrahendum, imò jam ſæpius diſpenſavit, uti cum Ramiro, Monacho ſimul & ſacerdote, ex Regia Aragonum ſtirpe &c. ſed Pontifici non eſt permiſſum diſpenſare in Jure Naturali vel Divino: ergo.

Oppones 1. quod meum non eſt, ſed alteri jam tradi- 15
tum, validè tradi tertio non poteſt ſpectato Jure Naturali: ſed Religionem profeſſus per votum ſolenne non amplius habet dominium ſui corporis, utpote jam Deo conſecrati & totaliter traditi: ergo. 2. Qui jam ſe tradidit uni uxori per Matrimonium carnale, nec de Jure Naturali & Divino ſe rurſus validè tradit alteri uxori vivente priore: ergo nec ille validè ſe tradit uxori, qui ſe jam tradidit priùs Deo per Profeſſionem Religioſam. 3. Suppoſita ſolennitate voti, per quam traditur plenè corpus Deo, jus Naturæ impedit idem corpus denuo tradi homini: ergo. 4. In *can. 17. cauſ. 27. q. 1.* jubentur Matrimonia poſt votum ſolenne contrahentes ſeparari *verbò Domini & Canonica auctoritate*: ergo non tantùm Jure Canonico, ſed etiam Divino, ſunt nulla. 5. Ex natura rei licitum eſt à ſtatu imperfectiore ad ſtatum perfectiorem tranſire, ut patet in tranſeunte à Religione minùs ſtricta ad ſtrictiorem: ergo etiam à conjugio carnali ad ſpirituale per Profeſſionem Religioſam. 6. Votum ſolenne Ordinibus Sacris annexum non diſſolvit Matrimonium Ratum Jure Eccleſiaſtico: ergo nec votum ſolenne Profeſſionis Religioſæ.

R. ad 1. *retorq.* in voto ſimplici caſtitatis, quod ſpectato Jure Naturali & Divino non differt à ſolenni, ſed tantùm Jure Eccleſiaſtico. In *forma diſt. Ma.* quod meum non eſt, ſed jam alteri traditum, tradi tertio non poteſt traditione ejusdem rationis. *C. Ma.* diverſæ ra-

tionis. *N. Ma.* & *dist. Min.* sed professus Religionem non habet ampliùs dominium sui corporis utpote Deo jam traditi traditione & titulo *Religionis*, non verò *Justitiæ*. *C. Min.* titulô *Justitiæ*, quo postea corpus suum tradit conjugi. *N. Min.* Sicut res uni jam obligata & tradita titulô Justitiæ tradi adhuc alteri ex justa causa potest titulô Religionis, ut patet in conjugato, qui vel cum consensu conjugis, vel propter adulterium conjugis, licitè ac validè ingreditur Religionem, ita non apparet, cur non etiam viciſſim Deo obligatus & plenè traditus titulô Religionis nequeat ex justa causa se tradere conjugi titulô justitiæ spectato Jure Naturali. Ad 2. *transm. Ant. N. Conſ.* quia qui alteri conjugi per secundum Matrimonium se traderet, traderet se titulô Justitiæ, quo ipso jam erat obstrictus & traditus primæ: qui verò profitetur Religionem, se Deo tantùm titulô Religionis tradit. Ad 3. *N. Ant.* vel *dist.* impedit denuo tradi homini eodem titulo Religionis. *C. Ant.* diverſô titulô, nimirum Justitiæ. *N. Ant. & Conſ.* Quod idem homo possit plurium dominio subjici ex diversis titulis & traditione diversæ rationis, patet in servo, qui Matrimonium contrahit; is enim domino suo obstrictus est titulô Servitutis, uxori autem titulô Matrimonii. Vel dic, suppositâ solennitate voti ab Ecclesiastico Jure introductâ Professionem repugnare Matrimonio Jure Naturali quoad usum Matrimonii, qui ratione voti fit illicitus, non quoad vinculum Matrimonii. Ad 4. Ibi vis Matrimonium solvendi refertur in *Verbum Domini*, quatenus Christus dedit consilium continentiæ perpetuæ, in *Canonicam auctoritatem* verò, quatenus SS. Canones dederunt voto solenni continentiæ, in Professione Religiosa incluso, vim dirimendi Matrimonium Ratum. Ad 5. Hoc argumentum probaret, etiam Matrimonium Consummatum dissolvi posse per ingressum Religionis: vel rem uni jam donatam posse postea adhuc donari Ecclesiæ; quia donatio Ecclesiæ facta per se magis placet Deo. In *forma dist.*

Ant.

Digitized by Google

Ant. Ex natura rei licitum est ei, qui sui adhuc juris est, liber, & nondum ligatus. *C. Ant.* qui sui juris non amplius est, & jam ligatus. *N. Ant. & Conf.* Cœterùm nec à laxiore ad strictiorem Ordinem licet transire fine licentia petita prioris Prælati: imò non liceret etiam hac petita, nisi Jus Ecclesiasticum daret facultatem. *c. 5. 7. 18. de Regular.* Nec per hunc transitum mutatur servitium ejusdem domini, sicut tamen in nostro casu mutaretur. Ad 6. *N. Conf.* quia vis dissolvendi Matrimonium defacto non est concessa voto solenni continentiæ Ordinibus Sacris annexo. *Extrav. an. Joan. XXII. de Voto.* bene tamen voto Professionis Religiosæ.

Quæres, an etiam Vota Religiosa, ab hominibus Societatis JESU statim post Novitiatū edi solita, dirimant Matrimonium contrahendum, & dissolvant Matrimonium Ratum? R. ad 1. quamvis sint simplicia tantùm, tamen faciunt veros Religiosos, & dirimunt Matrimonium contrahendum. Ita decîdit Gregor. XIII. in Bulla, *Ascendente Domino* ann. 1584. graves censuras contorquens in eos, qui huic constitutioni contradicere ausi fuerint. R. ad 2. cum communi contra paucos: Matrimonium Ratum non dissolvunt: quia nec ex natura sua hanc vim habent, nec ex Jure Communi Positivo, quod tantùm *Professionis* Religiosæ voto solenni tribuit hanc vim; nec ex *Constit. Ascendente cit.* quia Gregorius ibi loquitur tantùm de Matrimonio contrahendo. Oppones. Si Matrimonium Ratum non dissolvatur per vota simplicia Societatis, conjunx in sæculo relicta debet exspectare Professionem ingressi Societatem, quæ post multos annos primùm fieri assolet, & apud quosdam omnino nunquam, ita ut tanto tempore non possit alteri nubere: quod est nimis durum. R. propter hoc argumentum Societatem ingressus post primum Novitiatûs annum ad Professionem statim admittendus foret, ut putat Suar. & alij. 14

Dico 2. Votum simplex Castitatis perpetuæ, ingredi- 15

endi Religionem, ſuſcipiendi Ordines Sacros, & non nubendi, regulariter impedit quidem, non tamen dirimit, Matrimonium contrahendum, h. e. facit illicitum, non verò invalidum. 2. Pariter & contractum non dirimit, ſed uſum illius reddit illicitum (utì & novum Matrimonium contrahendum, ſi prius ſolveretur) caſu quo fuerit votum *Caſtitatis*, ita ut vovens non poſſit petere debitum conjugale. 3. Si verò ſit votum *Religionis*, vel *Sacri Ordinis*, vel *non-nubendi*, uſum Matrimonii conſummati non facit illicitum, ſed tantùm facit, ut novum Matrimonium, caſu quo prius diſſolveretur per mortem, illicitè contrahatur. Pars 1. conſtat ex *c. un. de Voto in 6. c. 3. 4. 6. h. t.* Ratio; quia votum hujusmodi ex natura ſua prohibet Matrimonium: quia verò nullibi eſt expreſſum in Jure, quòd Votum ſimplex dirimat Matrimonium, iſtud validè contrahitur. Addidi, *regulariter*, quam limitationem referas ad ſolum votum *Caſtitatis*; nam licitè, ſtante hoc voto, contrahitur Matrimonium modo extraordinario, ſi ſcilicet contrahatur cum pacto ſervandi perpetuam continentiam, quod juxta nos fieri poteſt: pariter neque contra votum peccaretur, ſi cum animo ante conſummationem ingrediendi Religionem contraheretur Matrimonium. Econtra vota ſimplicia Societatis JESU etiam irritant Matrimonium contrahendum juxta ſuperiùs dicta. Pars 2. ſumitur ex *c. 3. de converſ. conjug. & c. placet 12. eod.* eò quòd votum caſtitatis ante initum Matrimonium (imò & poſt illud) promiſſæ tenet, & urget adhuc, cùm poſſit obſervari à vovente ſine præjudicio conjugis, ſcilicet non petendo debitum conjugale, vel novum Matrimonium, priore diſſoluto, non contrahendo: reddere tamen debitum licitè poteſt, imò tenetur. *c. 11. eodem. can. 1. cauſ. 33. q. 5.* quia altera pars, à voto immunis, per contractum Matrimonii acquiſivit jus in corpus conjugis: nemo autem jure ſuo ſine culpa privari debet. *c. 6. & 10. de eo, qui cognovit.* Quia verò talis vovens eſt in perpetuo

petuo periculo transgressionis voti, optimè facit, si petat dispensationem ad petendum debitum. Pars 3. indè colligitur, quia si Matrimonium jam est contractum, materia voti de *non-nubendo*, de *suscipiendis Sacris Ordinibus*, imò, si consummatum jam sit, etiam de *ingredienda Religione*, hìc & nunc reddita est impossibilis, usque dum nempe solvatur Matrimonium jam initum, aut accedat consensus conjugis in susceptionem Sacri Ordinis, aut in ingressum Religionis, debitô modô positus. Adde, quòd vovens non nubere, vel suscipere Ordinem Sacrum, vel ingredi Religionem, castitatem non promiserit, vel saltem nondum actu: nihil ergo ipsum impedit, ut petere debitum conjugale nequeat. Ex quibus patet, quaterna vota recensita, licèt conveniant in hoc, quòd singula impediant Matrimonium, alios tamen diversos sortiri effectus quoad obligationem, quam inducunt.

Dico 3. Votum simplex Castitatis perpetuæ, Religio- 16
nis, Sacrorum Ordinum, vel Cœlibatûs, dirimit seu irrita facit Sponsalia post votum contrahenda. 2. Non verò ani priùs ante votum contracta ex parte voventis. 3. Licèt vovens ingressum Religionis post celebrata Sponsalia possit ac teneatur illa dissolvere ingrediendo Religionem. Pars 1. est per se clara: si enim valerent Sponsalia, post votum castitatis &c. inita, obligarent ad illicium, scilicet ad Deo fidem violandam: sed obligare ad illicitum non possunt. per *c. 69. de R.J.* Saltem obligarent ad statum, in quo propinquum foret periculum violandi votum. Pars 2. sumitur ex *c. 5. h. t.* vi cujus poterat & debebat fœmina nubere illi, quocum contraxit Sponsalia, & non alteri: maximè autem indè, quòd Deus non acceptet votum rei, jam alteri per Sponsalia promissæ, & in præjudicium alieni juris. Confirmatur: post inita semel Sponsalia licitum non est sponso sine consensu sponsæ in cœlibatu manere, castitatem perpetuam servare &c. ergo ad hujusmodi se per votum obli-

gare

gare nequit validè: ergo votum non valet, consequenter non habet vim dissolvendi Sponsalia. Atque sic sentiunt Sanch. *l.* 1. *d.* 46. *n.* 9. *de Sponsal.* Suar. *to.* 3. *de Relig. l.* 9. *c.* 7. *n.* 12. Gobat, Less. Laym. Lug. Palao, Barb. Pirh. Zœs. &c. contra Pontium, Henriq. Tanner. &c. Addidi tamen, *ex parte voventis;* nam altera pars, si resciat, compartem post inita Sponsalia edidisse votum castitatis &c. liberè potest resilire, si velit; eò quòd vovens censeatur ex sua parte Sponsalibus renuntiâsse. Pars 3. eruitur ex *c.* 2. *& 7. de convers. conjug.* ubi habetur, quòd Sponsalibus & Matrimonio Rato insit hæc conditio, *nisi statum Religiosum elegero:* ergo votum ingrediendi Religionem, etiam post Sponsalia editum, licitè fit, consequenter & validè; cùm non sit contra jus alteri *absolutè* quæsitum: ergo talis potest, imò obligatur, vi talis voti ingredi Religionem, & sic Sponsalia rescindere. Ex parte ingredientis Novitiatum non statim; bene tamen ex parte alterius statim solvuntur, uti *tit. I. n.* 60. *seq.* docuimus.

37 Oppones 1. contra 2. membrum Assertionis. Sponsalia semper contracta esse censentur sub hac conditione, nisi meliorem statum, v. g. cœlibatum elegero: ergo per votum, quo se quis obligat ad talem statum, irritantur. Confirmatur: *promissum non infringit, qui in melius illud cõmutat. c.* 3. *de Jurejur.* sed hoc facit sponsus vovens castitatem: ergo non violat datam sponsæ fidem, sed in melius commutat, quod promisit. 2. Ex duobus vinculis obligat fortius: sed votum, quo se quis adstringit Deo, Supremo Domino, ad statum perfectiorem, est fortius utique, quàm Sponsalia, per quæ quis se obligavit homini tantùm. 3. In *c.* 5. *cit.* debuit mulieri pœnitentia injungi, quòd per nuptias violare voluerit emissum post Sponsalia votum continentiæ simplex, & insuper licentia nubendi concessa ipsi est tantùm dispensativè: ergo votum valuit. R. ad 1. *N. Ant.* nec enim ex natura rei inest hæc conditio Sponsalibus; quia homo

non

Digitized by Google

non tenetur eligere ſtatum perfectiorem, neque ex diſpoſitione Juris, excepta conditione, *niſi ſtatum Religioſum* elegero. *c. 2. & 7. citt. Extrav. un. Joan. XXII. de Voto.* Dein eodem jure dicam, quòd ipſi Matrimonio, etiam conſummato, inſit talis conditio: ergo per votum perfectioris ſtatûs illud diſſolvetur. Ad confirmationem *diſt. Ma.* non infringit, qui commutat in melius ſine injuria tertii. *C. Ma.* qui cum injuria tertii. *N. Ma.* imò ſuppoſitum, quòd poſſit eſſe melius, quod neque bonum eſſe poteſt: at bonum eſſe nequit, quòd fit cum injuria alterius, utì votum poſt Sponſalia. In *c. 3. cit.* eſt ſermo de promiſſione Deo facta, cui ſi ſubrogetur melius aliquid, cenſetur Deo gratius eſſe, & fit iſta mutatio ſine injuria Dei. Ad 2. Si illud vinculum in ſe fortius hìc & nunc ſit validum, & verè exiſtat. *C. Ma.* Si non ſit validum, & revera non exiſtat. *N. Ma.* Votum poſt Sponſalia editum nullum eſt & invalidum. Ad 3. Ibi fuit mulieri pœnitentia injuncta, quia *fidem mentita* eſt, & per votum repudiavit ſponſum, ipſa verò alteri poſtea nubere voluit, quod diſpenſativè fuit ipſi conceſſum; quia votum valuit non in præjudicium prioris ſponſi, quaſi per illud fuiſſet deobligata, ſed in proprium præjudicium, ut alteri, quàm illi, cui fidem dedit, & poſtea mentita eſt, nubere non poſſet licitè: non ergo punita, aut diſpenſativè permiſſa fuiſſet nubere, ſi voluiſſet, utì debuerat, priori ſponſo nubere; ſed quia alteri voluit nubere.

Quæres, an in caſu, quo votum Caſtitatis vel Reli- 18
gionis præceſſit Sponſalia, hæc etiam irrita ſint, quando iſtis accedit defloratio, & adhuc ſtandum ſit pro voto? R. mihi videtur, etiam hoc caſu ſtandum pro obligatione voti, etiamſi ſponſa defiorata fuerit ignara voti, & damnum patiatur grave, alio modo, quàm Matrimoniô ſecutô, non reparabile. Ita P. Schmier *de Sponſal. p. 1. c. 3. n. 23.* cum Navar. Vivaldo, Roſignolo, & aliis, contra P. Schmalzgrueber *h. t. n. 99.* ubi poſt accuratam variorum caſuum diſtinctionem & limitationes va-

rias cum Sanch. Vaſq. Pontio, Palao, P. Wieſtner, &, ut ait, communi ſententia reſolvit, tunc obligare Sponſalia præ voto priùs emiſſo, quando ſponſa fuit voti ignara, & inſuper ex defloratione damnum grave, aliter quàm per Matrimonium non reparabile, pateretur. Sed noſtra reſponſio illimitata probatur 1. Sponſalia poſt votum emiſſa non obligant per ſe & ratione ſui, utpote nulliter inita: neque ratione defloratìonis; cur enim ex actu peccaminoſo firmentur Sponſalia per ſe irrita? neque ratione illati damni aliter non reparabilis; quia propter damnum tertii, præſertim ex malitia illatum, & maximè ſi acceſſit culpa damnum patientis, uti ferè contingit in noſtro caſu, non debet alius privari jure ſuo jam quæſito: propter quã cauſam ſuperiùs *Tit. IV. n.* 3. docui, quòd Sponſalia priora non ceſſent obligare, ſi poſteriori ſponſæ per defloratìonem damnũ grave non reparabile, niſi per Matrimonium, eſt illatum: ſed Deo per votum antecedens jam eſt jus quæſitum &c. ergo Sponſalia votum ſubſecuta in præſenti caſu non prævalent voto, nec obligant. 2. Non licet rem uni donatam iterum furari ad compenſanda damna alteri injuſtè illata: ergo nec licet corpus ſemel Deo conſecratum per votum rurſus eidem quaſi furari tradendum ſcorto vel ſponſæ deflo-ratæ, ad illata illi damna compenſanda. 3. Videtur rationi diſſonum, & res ſcandali plena, ut quis per ſcelus tum proprium, tum fornicariæ complicis, licèt voti ignaræ, à voto ſe liberare pro libitu valeat, & ex delicto reportet commodum votifragus ſponſus. 4. Sponſalia ante votum inita obligant non obſtante voto ſubſequente caſtitatis: ergo & viciſſim votum ante Sponſalia editum obligat non obſtantibus iſtis votum ſubſequentibus, juxta notam *regulam Juris 54. in 6. qui prior eſt tempore, potior eſt Jure.*

19 Oppones 1. Votum non obligat rebus notabiliter mutatis: ſed, ſi ſupervenit defloratio ſponſæ, ex qua ipſi oritur grave damnum, res notabiliter mutantur: ergo.

2. Vo-

2. Votum eleemoſynæ non ſtringit voventem, qui poſtea alteri intulit grave damnum, nec iſtud reſarcire poteſt, ſi ſummam, quam pro eleemoſyna per votum deſtinavit, largiatur in eleemoſynam: ergo à pari. 3. Obligatio Ju æ eſt fortior, quam obligatio Religionis: & hinc ære alieno gravatus non poteſt ingredi Religionem, quam priùs vovit, ſi prudens ſit ſpes, quòd manens in ſæculo creditoribus ſatisfaciat: ſed defloratori ſponſæ ſecutò indè damnò gravi obligatur illi ex Juſtitia, Deo autem tantùm ex Religione: ergo. 4. Votum procedit ex mera liberalitate erga DEum: Sponſalia autem ex contractu utrinque oneroſo: ſed utique hæc poſterior obligatio ſtringit fortiùs, quàm illa prior: ergo. 5. DEus non acceptat promiſſionem ſibi factam, quæ ſine gravi alterius damno impleri non poteſt: ergo neque continuat acceptationem voti, quod incipit eſſe damnoſum alterius. R. ad 1. *diſt. Ma*, quando notabilis mutatio rerum ſupérvenit ſine culpa voventis, vel etiam illius, cui fit votum damnoſum, *trans. Ma.* quando ex culpa voventis, vel etiam illius, cui votum fit damnoſum. *N. Ma.* Non debet eſſe in poteſtate voventis, per ſcelus proprium ſe deobligare, & multò minùs credendus eſt Deus cedere ſuo jure, quando etiam intérvenit culpa poſterioris promiſſarii, damnum patientis. Ad 2. *trans. Ant.* quod non eſt adeò certum, *N. Conſ. cum parit.* quia DEus per votum eleemoſynæ non acquirit jus ad rem certam ac determinatam, per votum verò caſtitatis vel Religionis acquirit jus ad rem certam, ſcilicet ad corpus voventis: qui autem habet jus ad rem certam, præfertur aliis, qui ſimile jus non habent, vel tempore poſterius. Ad 3. *N. Ma.* ſaltem ſi obligatio Religionis præcedat obligationẽ Juſtitiæ: quare Deus, cui per virtutem Religionis aliquis obligatur, & quidem priùs, ſit deterioris conditionis, quàm homo, cui quis obligatur ex Juſtitia, & tempore poſteriùs, atque homini non præferatur? Adde, quòd defiorata teneri videatur ex charitate, ut ipſa potiùs

tiùs patiatur damnum temporale, quàm ut deflorator ſpirituale, quod incurrit violando votum. Si ære alieno gravatus, qui antecedenter vovit Religionem, in perpetuum abſtinere deberet à Religione, eò quòd prudenter ſperare non poſſet, ſe unquam ſatisfacturum creditoribus manentem in ſæculo, dicerem, eundem teneri Religionem ingredi non obſtante ære alieno, & tunc foret paritas cum noſtro caſu, in quo vovens, ſi duceret defloratam, per ſe redderetur impotens perpetuò ad executionem voti, cùm Matrimonium ex ſe ſit impedimentum Religionis: ſi autem ſolùm ad tempus propter æs alienum debeat differre ingreſſum Religionis, non eſt paritas cum noſtro caſu. Ad 4. Imprimis argumentum probaret, quòd Sponſalia forent præferenda voto anteriori, etſi nulla defloratio ſponſæ, nullum damnum exinde ſequeretur. Deinde altera obligatio Sponſalium Juſtitiæ nulla eſt; cùm Sponſalia non valeant, & ſic fortior utique non ſit illorum obligatio. Deinde *N. Min.* ſiquis enim Titio priùs ex liberalitate rem donaſſet, non poſſet poſtea eandem per contractum utrinque onerosum vendere Caio. Ad 5. *N. Conſ.* qui enim prior eſt tempore, prior eſt jure, quo propter alterius damnum cedere non tenetur. Nec de Deo præſumendum, quòd cedat, præſertim ſi damnum ſequatur ex culpa voventis, vel etiam ipſius ſponſæ, licèt damnum patientis.

20 Dubitabis, an poſt Sponſalia, præſertim jurata, emittens votum Religionis ingrediendæ poſſit vel debeat priùs contrahere Matrimonium Ratum cum animo non conſummandi, ac tum ingredi Religionem? R. mihi videtur, id nec licitum, nec obligatorium eſſe. Sanch. *l. 1. de Matr. d. 43. n. 7.* Suar. Maſtr. Palao & communior, contra Navar. Ant. de Butrio &c. Quòd *obligatorium* non ſit, indè eruitur, quòd Sponſalia non jurata, tale votum antegreſſa, non obligent ad Matrimonium Ratum priùs contrahendum, ita ut non liceat immediatè ingredi Religionẽ: ergo nec jurata obligant; quia juramentum ſequi-

quitur naturam actûs, cui adjicitur. *c.* 25. *de jurejur.* Quod autem nec *licitum* sit, suadetur 1. Quia contrahens se exponit manifesto periculo mutandi animum, & consummatô Matrimoniô violandi votum. 2. Quia inconveniens videtur, ut quis alteri det jus in suum corpus, & ad id (nempe actum conjugalem) se obliget, quod implere non intendit. 3. Quia talis decipit sponsam, eique grave infert incommodum, dum cogit, ut sine nuptiis maneat, donec ipse vel emittat Professionẽ, vel revertatur. Excipe, nisi Matrimonium foret necessarium ad vitandum scandalum, vel præjudicium sponsæ, fors defloratæ, oriturum,

Oppones 1. In *c. commissum 16. de Sponsal.* dicitur de eo, qui *privata lege*, seu voto, se obligavit ad Religionem post jurata Sponsalia, quòd *tutius sit ei Religione juramenti servatâ priùs contrahere* (Matrimonium Ratum) *& postea, si elegerit, ad Religionem migrare*: ergo licitum est tali priùs ingredi Religionem, si non omnino obligetur. 2. Omne juramentum est servandum, quod sine peccato & præjudicio tertii servari potest, *c.* 6. 8. 28. *de Jurejur.* Sed, qui priùs contraxit Sponsalia jurata, potest Matrimonium contrahere sine peccato, & præjudicio tertii; cùm utique peccatum non sit Matrimonium contrahere cum ea, cui quis promisit, modò non consummet contra votum. 3. Debitori non licet ingredi Religionem ante solutionem debiti, si solvere possit: ergo nec sponso ingredi Religionem priùs, antequam solvat debitum, quod contraxit per Sponsalia. R. ad 1. omissis aliorum responsionibus, ibi sermonem esse de tali, qui necdum firmiter statuerat Religionem ingredi, & votum Religionis necdum emiserat, quia Pontifex dicit, *postea, si elegerit*: per verba *privata lege* hìc non intelligitur votum, utì notant cum Hostiensi, sed vel lex charitatis Dei, vel instinctus internus Spiritûs S. ad statum perfectiorem inclinantis. Ad 2. N. *Min.* quia probavimus, Matrimonium tali casu ordinariè sine

peccato non posse contrahi. Dein N. *suppositum*, quòd juramentum Sponsalibus adjectum fuerit absolutè validum, sed tantùm conditionatè, *nisi elegero Religionem.* per *c.* 2. *& 7. citt.* ergo talis non agit contra juramentum. Ad 3. N. *Cons. & suppositum*, quòd talis absolutè fuerit obligatus Sponsalibus, aut adjectô juramentô, quia habent imbibitam conditionem, *nisi Religionem elegero.* Dein argumentum probaret, Sponsalia etiam non jurata posse vel debere priùs executioni dari, quàm intretur Religio, etiam votô promissa.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit, quam polluit per Adulterium.

SUMMARIUM.

1. 2. *Impedimentum Criminis dirimens non contrahitur sine adulterio, vel conjugicidio, quod quadruplici in casu contingere potest.*
3. 4. *Quid requiratur, ut per adulterium contrahatur.*
5. *Quid, ut per conjugicidium.*
6. 7. 8. *Probabile est, impedimentum Criminis non contrahi ab illis, qui ignorant suo delicto illud à Jure esse annexum.*
9. *Quis dispenset in impedimento Criminis.*

1 SCiendum 1. in hoc titulo proponi impedimentum *Criminis*, quod quia ordinariè & in tribus casibus oritur ex *Adulterio* interveniente, & tantùm in uno casu ex *Conjugicidio*, ideo in Rubrica tantùm fit mentio de Adul-

Adulterio. Quamvis verò etiam impedimentum *Metûs*, & *Raptûs*, involvat crimen, neutrum tamen vocatur *Criminis* impedimentum, & neutrum per modum pœnæ, saltem principaliter, introductum est: sed ad Impedimentum Criminis necessariò vel Adulterium, vel Conjugicidium, vel utrumque, cum certis tamen adjunctis, intervenire necesse est. De Jure Antiquo dabatur quidem duplex impedimentum Criminis, *Impediens*, idque multiplex, sed hodie abrogatum, uti annotavimus *tit. I. n. 92.* & *Dirimens*, quod quadruplex est, hoc titulo proditum, & eo fine introductum, ut in actuali conjugio existentes, & alienis amoribus irretiti, per inhabilitatem ad Matrimonium cum persona illicitè adamata, tanquam per pœnam, absterreantur ab adulteriis, & conjugum occisionibus. De hoc igitur, scilicet

De Impedimento Criminis

Sc. 2. Illud contrahi quadrupliciter. 1. Per adulterium cum promissione Matrimonii futuri post mortem conjugis cum complice ineundi. 2. Per Adulterium cum promissione Matrimonii de præsenti, seu cum Matrimonio actualiter attentato (utique invalidè) cum complice, dum prior conjunx est adhuc in vivis. 3. Per adulterium una cum conjugicidio. 4. Per conjugicidium sine adulterio, seu per *machinationem* in mortem, ut vocant, conjugis effectu secuto ex mutua conspiratione eáque intentione, ut duo illi in mortem conjugis machinati Matrimonium ineant. In his 4. casibus, quorum duo primi continentur in *c. 1. 2. 4. 6. 7. & fin. h. t.* posteriores duo *in c. 1. 3. 6. eod. & c. 1. de convers. infidel. cum can. 5. caus. 31. q. 1.* inducitur impedimentum dirimens Matrimonii, sed tantùm inter illos duos, qui adulterium cum promissione Matrimonii vel conjugicidio, aut conjugicidium cum intentione contrahendi 2

Matrimonium, perpetrârunt; non verò ſe extendit ad alias perſonas non complices, ſeu delicti non participes, ut colligitur ex *citt. cc.* præſertim *c. 4.*

3 Dico 1. Ut adulterium inducat impedimentum dirimens, requiritur 1. ut ipſi accedat vel promiſſio Matrimonii futuri, aut contractus Matrimonii de præſenti cum adultera (vel adultero) vivente adhuc priori conjuge: vel machinatio in mortem, ſeu conjugicidium, cum animo contrahendi cum adultera Matrimonium: adeóque adulterium ſolum nunquam ſufficit. 2. Ut adulterium ſit perfectum. 3. Et formale ex utraque parte; h. e. uterque debet ſcire, alteram partem eſſe conjugatam. 4. Ut tam adulterium, quam promiſſio, vel attentatio Matrimonii, ſit facta adhuc vivente priori conjuge. 5. Ut promiſſio ſeriò ſit facta. 6. Et purè. 7. Atque ab altera parte inſuper acceptata. 8. Nihil tamen refert, an adulterium præceſſerit promiſſionem vel attentationem Matrimonii, ſive iſta adulterium. Pars 1. conſtat ex *c. 5. c. 6. citt.* ſicut autem ſolum adulteriũ non ſufficit. ita nec ſola promiſſio, vel attentatio Matrimonii non ſufficit. *c. fin. cit.* Pars 2. ſumitur ex *c. d. fin.* & indè, quòd diſpoſitiones odioſæ debeant ſtrictè, & cum effectu accipi; adeóque adulterium imperfectum ex defectu copulæ, de ſe idoneæ ad generationem prolis, non comprehenditur in Legibus, hoc impedimentum in pœnam adulterii ſtatuentibus. Pars 3. ex *c. 1. 2. 7. eod.* & ex hac ratione, quia hoc impedimentum habet rationem pœnæ ob commiſſum adulterium: ergo requirit ſcientiam ex utraque parte, quòd committatur adulterium. Nec ſufficit, licèt utraque pars ſit in conjugio, & ſciat proprium conjugium; ſi tamen una pars ignoret, complicem eſſe in conjugio, non incurritur hæc pœna, ut multi probabiliter advertunt. Imò non ſufficit probabiliter, ſi una pars priùs ignoravit, complicem eſſe in conjugio, licèt poſt commiſſum adulterium reſciat, & tum primùm promiſſionem Matrimonii futuri acceptet, vel illud de facto contrahat. Pars 4. ex *c. fin. cit.*

Digitized by Google

cit. Unde si alterutrum fieret dissoluto jam priori Matrimonio, vel antequam hoc fuisset validè initum, non oriretur hoc impedimentum. Pars 5. quam multi negant cum Sanch. Gonzal. Palao, suadetur indè, quia *c. 6. & 9. fin. citt.* videntur exigere talem promissionem, quæ de se sufficiens esset in personis solutis ad Sponsalia vera & valida: sed promissio ficta, & non seria, ad hoc non sufficeret. Adde, quòd in hac materia pœnali verba sint strictè sumenda, adeóque intelligenda de promissione vera; uti & de verè acceptata. Pars 6. ex hac ratione, quia promissio conditionata, saltem nisi conditio purificetur ante mortem conjugis, manet in suspenso, & vera promissio necdum est & completa, qualis hic videtur requiri. Dissentit iterum Sanch. cum aliis. Pars 7. exinde, quia sine acceptatione non datur vera promissio de se obligatoria & pactitia, sed est mera pollicitatio. Adde, quòd hoc impedimentum pœnale non incurratur, nisi utraque pars delinquat: ergo acceptatio necessaria est. Et quia sine *repromissione* non dantur vera Sponsalia, vel Matrimonium, inter personas aliàs habiles, ideo fortassis requiritur etiam ista, ut vult Diana, Illsung, P. Kugler *de Matrim. n. 1982.* quamvis plurimi negent. Acceptatio autem, sicut & ipsa promissio, debet manifestari signô externô, quia Jura Humana non puniunt actum merè internum: quare interna acceptatio, vel sola taciturnitas, non sufficit. Pars 8. ex *c. 4. 5. 7. h. t.* item *c. fin. eod.* ibi: *si priùs, vel postea, dum vixerit uxor illius, illam adulteriô polluisset.*

Oppones 1. Plures *canones in caus. 31. q. 1.* faciunt 4
mentionem solius adulterii, non verò promissi vel attentati Matrimonii cum complice, quos approbat *c. 1. h. t.* dicens: *ut nullus copulet Matrimoniô, quam priùs polluerat adulteriô, & illam maximè, cui fidem dederat uxore sua vivente.* Notetur tò *maximè*, quod videtur etiam illos casus includere, ubi solum adulterium præcessit: ergo præter hoc non requiritur promissio

Matrimonii, aut illius attentatio cum adultera. 2. Promissio Matrimonii (à fortiori si contrahatur de præsenti) vivente priori conjuge est irrita & nulla. *arg. c. 2. de concess. præb. & l. fin. C. de pactis*, ubi promissio beneficii nondum vacantis, & pactum super hæreditate viventis annullatur, quia est contra bonos mores, & præbet ansam captandi mortem alienam; quæ ratio etiam pugnat in promissione Matrimonii vivente priori conjuge: sed quod nullum est, nullum producit effectum, & nihil operatur, consequenter nec irritat Matrimonium cum promissaria contrahendum. 3. Si promissio nulla inducit impedimentum Criminis, etiam inducet promissio ficta, non seria: sed hoc est contra dicta: ergo. 4. Promissio ficta Matrimonii æquè inducit ad adulterium, vel ad conjugicidium, quam vera & seria: ergo etiam ficta sufficit ad inducendum hoc impedimentum; cùm debeat esse eadem Juris dispositio, ubi reperitur eadem Juris ita disponentis ratio. §. Jus tantùm requirit, ut vir adulteræ *fidem dederit de Matrimonio contrahendo. c. 6. cit.* sed fides censetur esse data, etsi promissio non sit acceptata: ergò non est necesse, ut sit acceptata. 6. In *can. 4. caus. 31. q. 1. & c. 7. h. t.* fit mentio solius fidei datæ, non verò repromissionis: ergo saltem repromissio non est necessaria.

R. ad 1. Canones ibi relatos communis ferè omnium intelligit ità, ut concordent cum *cc. h. t.* ubi promissio vel attentatio præter adulterium requiritur. Illud *c. 1.* respicit *canonem 3. & 5. caus. & q. cit.* & per tò *maximè* vult indicare, quòd adulter non debeat contrahere Matrimonium, præsertim cùm adultera, post mariti adulteræ obitum, nisi *peractâ priùs pœnitentiâ*. Abb. Barb. Palao &c. & impetratâ dispensatione, quæ utique necessariò præcedere debet. Ad 2. *C. Ma. dist. Min.* Sed quod nullum est, nihil operatur, h. e. illum effectum, v. g. obligationem, ad quam per se tendit, non producit. *C. Min.* nihil aliud operatur, quod tamen ope-

operari vult Jus. *N. Min.* Jus promiſſioni Matrimonii etiam invalidæ, quando concurrit cum adulterio, tribuit effectum & vim Matrimonium dirimendi, ſicut Matrimonio Rato etiam irrito tribuit vim inducendi impedimentum dirimens publicæ honeſtatis. Vel: *diſt. Ma.* eſt nulla quoad effectum ſibi intrinſecum, ſeu non producit obligationem. *C. Ma.* eſt nulla quoad effectum ſibi extrinſecum, & ex diſpoſitione Juris introductum. *N. Ma.* Ad 3. *N. Ma.* quia Jus non tribuit effectum dirimendi Matrimonium promiſſioni fictæ, & nec ex natura ſua valenti producere obligationem Sponſalitiam; cùm ad Matrimonium intrinſecè ſit inepta: promiſſio autem Matrimonii reſpectu conjugati tantùm ex circumſtantiis & ex diſpoſitione Juris ad id inepta, ac irrita eſt. Ad 4. *N. Ant.* nam ficta promiſſio non per ſe, ſicuti vera promiſſio, ſed tantùm per accidens, & ex errore fictionem non advertentis, inducit ad adulterium, vel conjugicidium. Deinde ſi unus fictè promittit, ſolùm ex parte unius ſperatur Matrimonium, vel oritur occaſio captandi mortem conjugis. Unde non eſt eadem ratio: nec Jus annexuit impedimentum dirimens promiſſioni fictæ, ſicut nec impedimentum publicæ honeſtatis Sponſalibus aut Matrimonio fictè contractis, ſeu invalidis propter defectum conſenſûs. Adde, quòd leges odioſæ non ſint extendendæ ad caſum, ubi eadem reperitur ratio. Ad 5. *fides data* propriè non eſt, ubi non datur pactum, vel jus promiſſario: atqui pactum non eſt, nec jus datur alteri ſine acceptatione promiſſarii, vel promiſſariæ: ergo. Ad 6. Ibi nec fit mentio expreſſa acceptationis, & tamen plerique Adverſarii hanc exigunt, quia ſubjecta materia, nempe promiſſio Matrimonii, de ſe eam exigit: ſed etiam natura Sponſalium ex natura ſua aliàs requirit mutuam promiſſionem, conſequenter & repromiſſionem acceptantis.

Dico 2. Ut conjugicidium inducat impedimentum dirimens cum complice, neceſſe eſt 1. ut vel præcedat 5

adulterium perfectum, & formale ex utraque parte, ut̀ explicavimus, cum animo contrahendi Matrimonium cum adultera: vel abſente adulterio ſaltem accedat intento ex utraque parte, aut promiſſio Matrimonii de futuro vel de præſenti facta determinatæ perſonæ; adeóque ſolum conjugicidium nunquam ſufficit. 2. Ut machinatio in mortem conjugis effectu ſecuto contigerit, ſeu actualis occiſio, phyſicè, vel moraliter. 3. Saltem ab uno ex complicibus delicti, ſi præceſſit adulterium, etiam non communicatô conſiliô cum altero. 4. Ab utroque autem, ſaltem conſentiente (ſi non ab utroque concurrente per illationem manûs, aut mandatum &c.) quando non acceſſit adulterium. Pars 1. ſumitur ex *c.* 1. *de converſ. Infid. & can.* 5. *cauſ.* 31. *q.* 1. *citt.* Quòd verò in caſu, quo accedit adulterium, ſufficiat animus contrahendi Matrimonium, & non requiratur promiſſio, colligitur pariter ex *can.* 5. *cit. & c.* 1. *cit.* qui animus probabiliter non neceſſariò manifeſtatur complici; cùm Jus pro hoc caſu non exigat conſpirationem mutuam. Pars 2. ex *can. cit.* quia in Legibus odioſis & pœnalibus verba ſunt ſtrictè accipienda, & intelligenda de crimine perfecto & conſummato, ſicut de adulterio dictum. Quòd ſufficiat influxus moralis, quando nempe vel mandatô, vel conſiliô &c. efficax cauſa mortis exſtiterunt, pariter ex *c.* 1. *cit.* eruitur, & habet communis conſenſus DD. qui tamen Ratihabitionem occiſionis ab alio jam factæ pro inſufficienti paſſim agnoſcunt. Pars 3. ex *c.* 6. *h.t.* ibi: *niſi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus.* Pars 4. iterũ ex *c.* 1. *cit.* ubi requiritur utriusque cooperatio in mortem, & conſpiratio. Ex prima parte colliges, quòd non incurratur impedimentum Criminis, ſi quis, vel aliqua, conjugem occiderit, non eo animo, ut cum complice ineat Matrimonium, ſed ut liberiùs vacet libidini cum complice adulterii, vel alia perſona, vel ut moleſtô conjugiô ſe liberet: aut ſi animô quidem ineundi Matrimonium, ſed non cum complice adulterii, vel tan-

tantùm cum persona aliqua indeterminata : item si absque adulterio occîderit, ac nulli determinatæ personæ Matrimonium promiserit, vel consilium suum illi non communicaverit.

Dico 3. Probabile est, impedimentum Criminis non incurri ab illis, qui ignorant, illud suo delicto esse annexum à Jure. Ita Palud. Major, Leander a Murcia, P. Anton. Zergoll, Dicastillo, Fernandez apud & cum P. Krimer in *lib. IV. Decretal. n. 1014.* qui præ aliis hanc sententiam strenuè defendit. Favet P. Karchne *eod. lib. 4. art. 4. §. 5.* & P. Wiestner *h. t. n. 17.* ubi oppositum vocat *verius*, consequenter ut probabilem agnoscit nostram sententiam benigniorem : contra Diana, P. Moya, Laym. Gobat, Palao, Haunold. Sporer, Illsung, & communem Recentiorum ; nam Antiquiores præter Palud. Major, & Leandrum, nostros Patronos, quæstionem hanc ferè non tractârunt. Prob. 1. Impedimentum Criminis à Jure statutum est principaliter in pœnam ; quia propter crimen formale est statutum eum in finem, ut per illud tanquam gravem pœnam absterreantur conjuges ab adulteriis & conjugicidiis ; illæ enim Leges censentur principaliter pœnales, quæ statuunt pœnam vel vindicativam, vel medicinalem, ut absterreantur homines a certis delictis : sic Jus statuens nullitatem provisionis Beneficialis Simoniacæ, & inhabilitatem ad beneficium Simoniacè obtentum, censetur principaliter pœnale ; item Jus statuens excommunicationem in violatores immunitatis Ecclesiasticæ &c. quia per has pœnas intendunt absterrere homines à Simonia & violatione immunitatis Ecclesiasticæ. Hujusmodi autem finem, ut nempe conjuges absterreantur ab adulteriis & conjugicidiis, spectant quoque Leges impedimentum Criminis statuentes : *lex pœnalis est*, inquit Palao *p. 1. tr. 3. d. 2. pu. 7. n. 4. quoties in pœnam delicti imponitur, ut contingit in Lege irritante Matrimonium ob uxoricidii, & adulterii crimen cum promissione futuri Matri-*

trimonii. Et: *ex toto titulo* (de eo, qui duxit &c.) *conſtat irritationem eſſe pœnam delicti, ſicuti eſt nullitas Electionis ad beneficium propter Simoniam.* Citat pro hac ſuâ opinione Sanchezium, Suar. & Salas. Atqui pœna, a Jure ſtatuta, non incurritur ab ignorantibus Jus, ſeu pœna ignorata non incurritur, ut tradit Sanch. & alii communiter inſtar regulæ apud Krimer *n. 1012. & 1022.* Idem Sanch. *l. 9. d. 32. n. 18.* expreſsè & univerſaliter docet, *annullationem actûs, quando non eſt ex ſolennitatis defectu, ſed in delinquentis pœnam, non incurri ab ignaro legis.* Ratio hujus rei poteſt eſſe; quia aliàs delicta inæqualia punirentur pœna æquali; graviùs enim peccat, qui agit contra legem, ſciens non tantùm prohibitionem, ſed etiam annexam pœnam, quàm ſciens ſolam prohibitionem. Ergo. 2. Quando lex ſtatuit inhabilitatem *pœnalem*, ſeu quando non præcisè intendit inhabilitare, ſed inhabilitare *pœnaliter* in odium delicti, non infligit inhabilitatem niſi violanti legem *pœnalem quà talem*: ſed lex ſtatuens impedimentum Criminis intendit inhabilitare *pœnaliter*: ergo &c. atqui ignorans, legem eſſe pœnalem, ſeu ſtatuere impedimentum dirimens Matrimonii ob adulterium &c. non violat hanc legem *quà pœnalem*; ut per ſe patet: ergo. 3. Ignorantia facti excuſat ab impedimento Criminis: ſic mulier peccans cum viro ſub promiſſione Matrimonii, quem ignorat eſſe conjugatum, non incurrit, uti fatentur Adverſarii: ergo etiam excuſat ignorantia Juris, per quod ſtatuitur hoc impedimentum, ab incurſione; nam ratio, cur ignorantia facti excuſet, eſt, quia lex ſtatuens impedimentum Criminis eſt principaliter pœnalis, puniens delictum formale tantùm, & non merè materiale: quæ ratio etiam pugnat in ignorantia Juris, cùm laborans hac ignorantia non delinquat formaliter contra legem pœnalem quà talem. 4. Maritus laborans ignorantiâ Juris, quod punit peccantem cum conſanguinea uxoris ſuæ privatione juris petendi

debi-

debitum conjugale, non incurrit pœnam, uti docent rursus Adversarii, nominatim Diana, & probabile censent Haunold, Palao, Sporer, Wex &c. ergo etiam laborans ignorantiâ Juris, quod adulterium mariti &c. punit inhabilitate contrahendi Matrimonium cum complice, hanc inhabilitatis pœnam non incurrit. 5. Excommunicatio, & aliæ censuræ, non incurruntur ab iis, qui ignorant, eas esse à Jure annexas suis delictis, ut habet communis & satis certa sententia: ergo nec impedimentum Criminis ab iis, qui ignorant, illud à Jure esse annexum suis delictis; nam hæc pœna est pariter Medicinalis, intenta à Jure ad præcavenda adulteria & occisiones conjugum. Neque dicas, ideo censuras ab ignorante non incurri, quia essentialiter supponunt contumaciam; quæ in ignorantes non cadit; nam hæc contumacia respectu censurarum, quas ipsum Jus, non Homo, infligit, consistit in hoc, quòd delinquens contemnat *monitionem Legis* pœnam censuræ minitantis, qui contemptus abest, ubi ignoratur lex monens & censuram minitans, atque ideo non incurritur censura ab ignorante hanc pœnam, licèt sciatur prohibitio legis; atqui etiam ignorans, suo delicto esse annexam pœnam inhabilitatis ad Matrimonium, propter hanc ignorantiam non contemnit monitionem legis, dictam inhabilitatis pœnam minitantis: ergo pariter non incurrit. 6. Irregularitates, quæ etiam sunt inhabilitates, & quidem principaliùs, quàm pœnæ, ex delicto ortæ, v. g. ex homicidio injusto, violatione censuræ &c. probabiliter non incurruntur ab iis, qui ignorant, eas esse suis delictis annexas, uti tenent Panorm. Innoc. Navar. Bonac. Sanch. Coninck, Palao *tr. 29. de Censuris. d. 6. pun. 6. n. 1.* P. Schmalzgrueber *ad tit. de Pœnis n. 105.* &c. quibus favet P. Illsung *tr. 7. d. un. a. 4. §. 1. n. 74.* Ergo etiam probabile est, impedimentum Matrimonii ex crimine ortum non contrahi ab ignorante, illud esse annexum suo delicto. 7. Reservatio, saltem pœnalis, peccatorum

non

non incurritur ab iis, qui ignorant, ſua delicta eſſe reſervata, uti paſſim docent Theologi ex ea ratione, quòd lex ſtatuens reſervationem pœnalem, qualis eſſe cenſetur, ſi peccatum ſit reſervatum propter cenſuram, imitetur naturam legis pœnalis: ergo à pari. &c.

7 Oppones 1. Sacri Canones, ubi loquuntur de impedimento Criminis, nullibi requirunt notitiam legis, hoc impedimentum annectentis certis delictis: ergo nec nos debemus requirere. 2. Alia impedimenta Matrimonii, uti conſanguinitatis, affinitatis, clandeſtineitatis &c. incurruntur ab ignorantibus, quia ſunt inhabilitates: ergo etiam impedimentum Criminis. 3. Id quod procedit etiam de impedimentis ex delicto ortis, v.g. affinitatis ex copula illicita cõtractæ, uti fatentur omnes teſte Moya: ergo etiam idem tenendũ de impedimento Criminis, non obſtante, quòd oriatur ex delicto formali. 4. Si ſpeciale quid haberet impedimentum Criminis, tunc ideo, quia habet rationem pœnæ principaliter intentæ à Jure: ſed non ſtatutum eſt principaliter ut pœna, ſed tantùm ſecundariò; nam principaliter eſt inhabilitas ad cavendum periculum optandæ & captandæ mortis conjugum, ad cavenda adulteria. 5. Si excuſaret ignorantia ab impedimento Criminis, etiam excuſaret inculpabilis inadvertentia, oblivio &c. ſiquis nimirum tempore delicti non recordaretur, ſuo delicto eſſe decretum impedimentum Criminis: ſequela eſt contra omnes teſte Moya. 6. Si Impedimentum Criminis non incurritur, quia eſt pœna, etiam nullitas Beneficii, & inhabilitas ad idem, non habebit locm in Simoniacis, qui ignorant, hanc nullitatem, & inhabilitatem à Jure in Simoniam eſſe decretam: ſed hoc fortè nemo dicet. 7. Ignorantia facti quidem excuſat, non item ignorantia Juris. *c.* 13. *de R. J. in* 6. ergo malum fuit noſtrum argumentum ab ignorantia facti ad ignorantiam Juris. 8. Conſuetudo & praxis eſt optima interpres Juris dubii: ſed pro oppoſita ſententia ſtat praxis & conſuetudo tribunalium, maximè Romani.

R. ad 1. Etſi Jura non faciant mentionem notitiæ in loco, ubi ſtatuunt hoc impedimentum, tamen alibi, ubi requirunt notitiam legis pœnalis ad incurſionem pœnæ, ſatis id exprimunt, utì in *c.* 2. *de Conſtit. in 6.* quod DD. paſſim adducunt ad probandam neceſſitatem notitiæ, univerſim docentes, pœnam ab ignorante non incurri, ſaltem ubi lex principaliter intendit pœnam, utì in exemplis pro probanda noſtra aſſertione adductis. Ad 2. *N. Conſ. & parit.* alia impedimenta Matrimonii vel non ut pœna, vel ſaltem non principaliter ut pœna ſtatuuntur à Jure, ſed ut inhabilitates tantùm: econtra impedimentum Criminis principaliter habet rationem pœnæ. Ad 3. Fortè nec impedimentum affinitatis ex copula illicita ortæ habet rationem pœnæ, ſaltem principaliter, eò quòd hæc affinitas ſit ſtatuta propter ſimilem rationem, propter quam affinitas, orta ex copula conjugali & licita, non in pœnam delicti; nam ratione hujus reſtringitur à Tridentino potiùs impedimentum affinitatis ex coitu illicito natæ, nempe ad ſecundum gradum, quàm introducitur. Sed de hoc vide *ad tit. de eo, qui cognovit. n. 6.* Ad 4. *tranſ. Ma.* fortè enim ſufficeret, ſi non principaliter, ſed tantùm ſimpliciter ut pœna eſſet intentum à Jure. *N. Min.* Jus enim ſtatuendo impedimentum Criminis inhabilitatem hanc ad Matrimonium inter complices intendit primariò, ut per eam tanquam pœnam gravem abſterreat conjuges ab adulteriis & conjugicidiis, adeóque principaliter intendit punire per inhabilitatem, quam quà talem intendit ſecundariò, *quà pœnalem* verò, & ut medicinalem ad præcavenda tam gravia delicta primariò: ergo Jus eam ſtatuens eſt principaliter pœnale medicinale. Nec obſtat, quòd inhabilitas hæc pœnalis à Legislatore referatur mediatè ad cavenda memorata delicta tanquam medium; nam Juris immediatus finis primarius eſt per eam punire. Certè ſi lex deſineret eſſe immediatè & principaliter eſſe pœnalis ex eo, quòd Legislator per ſtatutam pœnam in-

Ju-

tendat abſterrere homines à ſceleribus tanquam per medium, nulla amplius daretur lex principaliter pœnalis, ſive *vindicativa* ſit vel *exterminativa*, ſive ordinata ad terrorem & emendationem delinquentium; nam omnes à Legislatore ultimatò aſſumuntur ad eliminanda delicta, vel ad ſatisfaciendum Reipublicæ per delicta læſæ &c. Item à ratione legis principaliter pœnalis deficeret lex irrogans privationem juris ad petendum debitum in peccantem cum conſanguinea vel conſanguineo conjugis, irrogans cenſuras, irregularitates ex delicto, reſervationes caſuum pœnales: quæ nec Adverſariis, ſaltem plerisque probantur. Ad 5. *tranſ. Ma. N. Min.* quam negabunt fortè omnes ſententiæ noſtræ Patroni, imò & Adverſarii in aliis legibus pœnalibus, & in aliis materiis, ex eo capite; quia contra legem *quà pœnalem* non agit, qui non advertit ad pœnam, v. g. cenſuram, irregularitatem ex delicto ſtatutam &c. licèt advertat ad prohibitionem legis, & ideo culpam committat: qui enim advertit ad prohibitionem ſimul & ad pœnam à lege ſtatutam, graviùs peccat, quàm qui ad ſolam prohibitionem, adeóque iſte poſterior, licèt delinquat, non tamen pœnam incurrit; cùm abſurdum ſit, inæqualia delicta puniri æquali pœnâ, ſicut ordinariâ, omni delicto cohærente, ita extraordinaria ſpecialiter ſtatutâ à lege. Ad 6. *Tranſ. Ma. N. Min.* id enim dicent non modò illi, qui hìc nobiſcum ſentiunt, ſed fortè etiam alii, ſi conſequenter ad ſua principia, vi quorum pœna principaliter ſtatuta, & ignorata, etiam juxtà ipſos non incurritur, quales ſunt Sanch. & alii ſupra allegati, loqui velint. Deinde videtur negari poſſe ſequela *Majoris*; quia jus Simoniacos puniens nullitate proviſionis beneficialis, & inhabilitate ad beneficium, non videtur eſſe principaliter pœnale, eò quòd etiam illos faciat nulliter proviſos, & inhabiles ad idem beneficium, qui ignorant, Simoniam in ſui promotione eſſe commiſſam à parentibus v. g. vel amicis. Vel igitur lex dictò modò puniens

ens Simoniacos eſt principaliter pœnalis ? & præfata pœna non incurritur ab ignorantibus : vel non eſt principaliter pœnalis ? & non eſt paritas cum præſenti materia. Ad 7. Illa regula non procedit in ignorantia Juris principaliter pœnalis, ut patet ex noſtris probationibus. Ad 8. Illa praxis tribunalium & conſuetudo nititur ſententiâ probabili communiori (ſi tamen ubique recepta ſit) atque procedit pro foro tantùm externo, pro quo præſumitur ſcientia Juris certi, quamdiu ignorantia non probatur : adeóque ad forum internum ſe non porrigit, in quo ſecurus erit, qui certus de ſua ignorantia cum complice delicti contrahit poſt mortem conjugis Matrimonium absque diſpenſatione obtenta ; cùm pro foro interno non ſtet, vel ſaltem non probetur illa conſuetudo, adeóque nec explicet Jus dubium pro dicto foro. Sed hinc

Quæres, quis diſpenſare poſſit ac ſoleat in impedimento Criminis ? R. Solus Pontifex regulariter poteſt ; cùm in Jure Communi diſpenſatio inferioribus non ſit permiſſa. Cœterùm nec Pontifex in impedimento Criminis publico & pro foro externo diſpenſare ſolet, ſi illud ortum ſit ex conjugicidio, ſeu ex machinatione mortis & occiſione conjugis ; licèt in impedimento tali occulto & pro foro interno diſpenſare ſoleat nomine Pontificis S. Pœnitentiaria, at non niſi difficillimè & ex cauſis urgentiſſimis, ſimul tamen præcipere Confeſſariis, quibus dat poteſtatem diſpenſandi, ut petentibus diſpenſationem, & in necem cooperatis, injungant pœnitentiam gravem & diuturnam cum orationibus, eleemoſynis &c. pro anima occiſi conjugis, aliisque de Jure injungendis. Si verò illud ortum ſit ex adulterio tantùm absque machinatione in mortem, diſpenſat quidem Pontifex, etſi publicum ſit, & pro foro externo, non tamen facilè ; &, quando adulter vivente conjuge cum complice defacto contraxit, non aliter, niſi negotiô priùs in *S. Congregat. de Inquiſitione* plenè diſcuſ-

discussò: si verò occultum sit, dispensat S. Pœnitentiaria pro foro interno, jubens tamen, ut Oratoribus à Confessario ab ijs eligendo injungatur priùs salutaris pœnitentia, & alia de Jure injungenda. Vide Pyrrhum Corradum *in Praxi Dispensat. l. 8. c. 9.* & P. Reiffenstuel *in lib. 4. Decretal. Append. n. 138. seqq. n. 241. n. 464. seqq.* & nos infrà ad *tit. XVI. n. 44.*

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum.

SUMMARIUM

1. *Quid sit lepra, & alii similes morbi.*
2. *Lepra superveniens, vel antecedens ignorata, dat justam causam resiliendi à Sponsalibus de futuro.*
3. 4. *Non tamen dissolvit Matrimonium quoad vinculum. An quoad thorum & cohabitationem?*

1 SCiendum, ab impedimentis Matrimonii, quæ consensum vel tollunt, vel non legitimum efficiunt, & huc usque explicata sunt, utì sunt *ætatis, clandestinitatis, ligaminis, conditionis non impletæ, Ordinis, & voti solennis, criminis*, progressum nunc fieri ad impedimenta, quæ contrahentium personas, qualitatem, & statum respiciunt, utì *conditionis servilis, cognationis spiritualis, & legalis, consanguinitatis, & affinitatis, ac impotentiæ*, de quibus deinceps. In hoc titulo quasi intercalari ponitur dispositio ad ista, scilicet morbus contagiosus & lepra, quæ quidem repugnare videtur Matrimonio, utpote individuam vitæ societatem exigenti, à qua separat; impedimentum tamen *dirimens* non

non est, imò nec *impediens* Matrimonium, cùm validè & licitè contrahant Matrimonium leprosi, vel sanus cum leprosa, uti supponitur *c. 2. h. t.* & nullo Jure prohibentur contrahere : licèt à Sponsalibus resiliendi potestatem tribuat parti sanæ, si superveniat, vel priùs existens postmodum primùm innotescat, uti videbimus. *Lepra* autem, ut eam describit Paulus Zacchias *in qq. Medico-Legalib. lib. 3. tit. 3. q. 5. n. 8.* est cutis asperitas cum pruritu & corporis colliquatione, depascens profundas corporis partes orbiculatim, atque piscium instar squammulas ex sese emittens. Huic similis est *Elephantiasis*, vel omnino indistincta. Lepræ hic æquiparantur alii morbi contagiosi, uti *Pestis : Lues Venerea* seu *morbus Gallicus*, qui est infectio seu contaminatio massæ sanguineæ, ex coitûs præcipuè inquinamentis, vel alio modo per contagium communicata : item *Tabes*, seu *Phthisis*, h. e. ulcus pulmonis, ex quo consumptiva febris, *Hectica* dicta, generatur : item *Febris Hectica* : *Epilepsia* verò, licèt hanc quoque per contagium fuisse communicatam aliquando notatum sit, periculum tamen certum infectionis non habet, nec communicari solet ab uno homine in alium. Paulus Zacchias *q. 6. n. 4.* Igitur quæ afferemus de lepra, pariter quoque intelligenda erunt de aliis morbis contagiosis, sed ferè de Peste, Lue Venerea, & Phthisi tantùm, quæ ultima tamen periculum infectionis solùm habet respectu junioris conjugis à seniori, non vicissim, uti testatur idem Auctor. Maximum autem periculum infectionis oritur ex coitu maris & fœminæ, & adhuc certius viro, qui conjungitur fœminæ leprosæ &c. quàm huic, si conjungatur viro leproso, ut docet Sanch.

Dico 1. Lepra superveniens Sponsalibus, vel præcedens quidem, at ignorata, præbet justam causam resiliendi parti sanæ. *c. fin. h. t.* cùm utique lepra superveniens, vel ignorata, sit habenda pro mutatione notabili. Aliud est, si præcessit, & non fuit ignorata ; qui enim

ſcienter cum leproſa contrahit Sponſalia, ſibi imputare debet periculum infectionis. Quòd autem liceat ſe in periculum hujus infectionis conjicere, indè colligitur, quòd vitam non auferat illico, ſed lentè duntaxat eidem noceat: imò licitum eſt in gratiam alterius vel aliâ juſtâ de cauſa periculo non tantùm morbi, ſed etiam celeris mortis ſe exponere, utì patet in militibus, nautis, & iis, qui peſtiferis inſerviunt.

3 Dico 2. Lepra ſuperveniens, vel præcedens ignorata, non diſſolvit Matrimonium quoad vinculum, ſive illud ſit Conſummatum, ſive Ratum duntaxat. 2. Nec quoad cohabitationem, & thorum, ſeu quoad obligationem reddendi leproſo conjugi debitum conjugale, ſi lepra non ſit confirmata, maligna, & contagioſa, ſeu ex judicio Medicorum vel peritorum non invehens ſatis certum periculum gravis infectionis. 3. Non obſtante, quòd periculum ſit prolis leproſæ naſcituræ. 4. Quoad thorum tamen diſſolvit, quando contagioſa, & gravis infectionis periculum habet ſuperveniens lepra. 5. Aut præceſſit ignorata. 6. Vel quando tantum creat horrorem alteri parti, ut ei difficillimum ſit reddere debitum, utì ſæpe contingit, maximè ſi lepra eſt leonina, ut vocant, & faciens membra computreſcere; non obſtante, quòd ex parte infecta ſit periculum incontinentiæ. Pars 1. & 2. ſumitur ex *c. 1. & 2. h. t.* textus *c. 2. cit.* ſic habet: *quoniam nemini licet (exceptâ cauſâ fornicationis) uxorem dimittere: conſtat, quòd, ſive mulier leprâ percuſſa fuerit, ſeu aliâ gravi infirmitate detenta, non eſt à viro propterea ſeparanda, vel etiam dimittenda. - - - Quòdſi virum, ſive uxorem, leproſum fieri contigerit, & infirmus à ſano carnale debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur, eſt ſolvendum: cui præcepto nulla in hoc caſu exceptio invenitur.* Pars 3. ex eo, quòd proli melius ſit exiſtere leproſam, quam omnino non exiſtere. Sanch. *l. 9. de Matrim. d. 24. n. 25.* cum S. Th. & aliis pluribus.

bus. Pars 4. colligitur ex mente contrahentium, qui non censentur se obligare voluisse ad cohabitandum & debitum reddendum cum periculo gravis infirmitatis contrahendæ; cùm ordo charitatis exigat proprii individui incolumitatem præferri alienis solatiis. Paulus Zacch. *l. 9. tit. 10. q. 4. n. 7. seqq.* Item *Consilio 36. n. 3.* Sanch. *lo. cit. n. 2. & 17.* Barbosa *in c. 2. cit. n. 2,* & alii passim. Pars 5. ex simili ratione; quia nempe non censetur pars sana, præsertim decepta, ad tam grave periculum subeundum se obligâsse. Pars 6. indè suadetur, quòd talis horror reddat moraliter impossibilem redditionem debiti; ad quam utique non datur obligatio. Sanch. *lo. cit. n. 21.* Periculum incontinentiæ aliis mediis a parte infecta tolli potest, ac debet, uti debet à personis extra Matrimonium existentibus. Et iste horror etiam illum deobligare potest à reddendo debito, qui scienter contraxit cum leprosa; quamvis talem non excuset periculum infectionis, uti docet Gobat cum communiori contra Palao.

Oppones 1. In *d. c. 1. & 2.* non fit mentio de Matri- 4
monio præcisè Rato: ergo istud dissolvitur per lepram supervenientem. Confirmatur tum ex *c. fin. h. t.* ubi ad quæstionem, an sponsus compelli debeat *ad consummandam maritalem copulam* cum parte in lepram incidente, respondit Papa, *ad eam accipiendam cogi non debere, cùm nondum inter eos Matrimonium fuerit consummatum:* tum ex *can. 18. caus. 32. q. 7.* ubi Papa de casu, quo uxor infirmitate correpta non voluit debitum reddere conjugale, marito, si se continere non potuerit, potestatem concessit ducendi aliam, modò subsidii opem non subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit: hoc autem de Matrimonio Consummato, utpote Jure Divino insolubili, intelligi non potest: ergo de Matrimonio Rato: ergo hoc dissolvitur per lepram vel infirmitatem aliam supervenientem. 2. Christus *Mat. 5. & 19.* propter solam fornicationem conjugis dedit po-

teſtatem inſtituendi divortium & ſeparationem qu
thorum: ergo, ut ut magnum ſit periculum infecti
vel ingens horror, manet obligatio cohabitandi &
dendi debitum. ℟. ad 1. ſufficit, quòd *citt. cc.* lo
tur de Matrimonio cum præciſione à Conſumma
Rato: modò lepræ nunquam in Jure detur vis diſſo
di Matrimonium Ratum, jam ſufficienter in dic
comprehenditur etiam Ratum; cùm ex natura ſua
diſſolubile, & nunquam ipſo Jure ſolvatur, niſi id
mat Jus: Jus verò unicum caſum exprimit, nempe P
ſionem Religioſam, qua ſolvitur Matrimonium R
c. 2. & 7. *de Converſ. conjug.* Id quidem cor
quòd lepra ſuperveniens, vel ignorata, poſſit eſſe
ens cauſa, ut Papa in tali Matrimonio præcisè Ra
penſet: ipſo autem Jure diſſolvi, aſſerere defectu
prohibet. Ad *c. fin. cit.* dico, ibi ſermonem
Sponſalibus, non de Matrimonio Rato, & *Spon*
citur non compellendus *ad accipiendam* Sponſa
prâ correptam, & ad *conſummandum*, h. e. ad
ctè contrahendum Matrimonium de præſenti, ut
ſio concordet interrogationi. Ad *d. can. 18.* aj
Pontifice fuiſſe diſpenſatum in Matrimonio Ra
pter ſupervenientem conjugis infirmitatem. Si
nem cit. interpretatur cum Gl. Barboſa, &
Vel dic cum Gonzal. *in d. c. fin. n. 9.* & aliis,
loqui de muliere, quæ laboravit antecedenter n
cunque infirmitate, ſed arctitudine, vi cujus ad M
nium erat inhabilis. Neque te terreant verba
quibus vir prohibetur *ab illa ſubtrahere oper*
dii; quia hæc ſubſidia conſiſtebant in reſtitutio
tis, vel per modum conſilii fuerunt ſuaſa à Po
non præcepta. P. Wieſtner *h. t. n. 4. cum Gl.*
Propter ſolam quidem fornicationem conjugis
poteſtas à Chriſto inſtituendi divortium perp
temporaliter tamen etiam ex aliis juſtis cauſis

ſævitia, periculum animæ, moleſta cohabitatio ob rixas. &c. periculum corporis, ad quòd meritò refertur lepra contagioſa, divertere licet, ut habet communis, nempe quamdiu durat talis cauſa, & quamdiu lepra non ſanatur.

TITVLVS IX.

De Conjugio Servorum.

SUMMARIUM.

1. *Servi propriè & impropriè quinam dicantur.*
2. *Cum ſervis impropriè dictis validè contrahitur Matrimonium.*
3. 4. *Item cum ſervo vel ancilla propriè dictis, ſi pars ingenua priùs ſciat conditionem ſervilem alterius.*
5. *Non verò, ſi eam ignoret.*
6. *Impedimentum Conditionis Servilis eſt introductum Jure Eccleſiaſtico, non Naturali.*

SCiendum, Servos in Jure dupliciter accipi. 1. pro illis, qui glebæ vel fundo colendo ſunt adſcripti, ac propterea *Adſcriptitii* vel *Glebarii* nuncupantur, vel *impropriè dicti*, ſuisque dominis ita ſunt adſtricti, ut ſine eorum voluntate, & manumiſſione à cultura fundi recedere nequeant, ſuarúmque poſſeſſionum fructus omnes præter ſumptum & victum iisdem reddere teneantur, cenſentúrque pars fundi: ex iis verò nati appellantur *Originarii.* Quibus valde vicini ſunt, quos vocant *homines proprios*, Leibaigene / licèt durioris nonnihil conditionis ſint. Gail *de Pignorat. Obſerv.* 8. Et hujusmodi exiſtunt plurimi in Weſtphalia, Haſſia,

Holſatia, Bohemia, Polonia, Suevia; pauci in
& vix ulli, ubi plerique ſunt emphyteutæ, ſeuc
loni tantùm. 2. pro illis, qui ex Jure Gentium
li contra naturalem libertatem alieno dominio
cti ſunt, ut inſtar aliarum rerum & patrimonii
vendi, ac alienari poſſint, &, quidquid acquir
minis ſuis acquirant: iſti ſunt *propriè dicti ſer*
que tales vel ex nativitate, ſi nimirum ex *anc*
vox ſtrictè ſumpta denotat fœminam ſervitut
obnoxiam, ut adeò *ancilla* & *ſervus* in ſtricta
ne non differant niſi quoad ſexum) nati; vel in
ſto, cum exteris Nationibus geſto, capti & ſer
hinc etenim, quia ſervati ſunt, cùm potuiſſent
ſervorum, & quia quaſi manu capti, *mancipi*
men originem habet: cujusmodi ſervi propri
facto inter Chriſtianos non ampliùs dantur, ſed
ſtrictè ſumpta ob reverentiam & dignitatem C
libertatis, in quam Chriſtus nos aſſeruit, hodi
eſt: licèt Turcæ, Gentiles, Pagani, & alii non
ſi à Chriſtianis in bello juſto capiantur, verè fia
dum adhuc Chriſtianorum ſervi, quamdiu in i
te manent: quamprimum verò baptizantur, li
hoc ipſo conſequuntur.

2 Dico 1. Matrimonium, quod contrahitur cu
impropriè dicto, nempe adſcriptitio, originario
ne proprio, etiam cum ignorantia hujus qualita
ſiſtit, item quod contrahitur cum famulo vel fa
meſtica, qui pro mercede ſerviunt aliis, & ta
obſequia perſonalia obligantur. Ita omnes, qu
Ratio, quia tale Matrimonium nullibi reperit
tum, & tales homines re ipſa ſunt verè liberi, p
C. de Agricolis & Cenſit. lib. XI. Jus autem,
Matrimonium cum *ſervo* vel *ancilla* ignoranter
perſona ſeu ingenua contractum, in hac materia,
odioſa, ſtrictè accipiendum eſt.

Digitized by Google

Dico 2. Valet quoque Matrimonium, imò & licitum 3.
est, etiam invitô dominô contractum à servo propriè dicto cum ancilla propriè dicta. 2. Contractum à libero & ingenuo cum ancilla propriè dicta, vel viciſſim, ſi liber priùs ſcivit conditionem ſervilem alterius partis. Pars prior habetur *c.* 1. *h. t.* quia Eccleſia conſiderat perſonas in ordine ad Matrimonium ſecundùm naturam ſuam, ſecundùm quam omnes ſunt æqualiter liberi. Poſterior ex *can.* 2. 4. 5. *cauſ.* 29. *q.* 2. *c.* 2. *& fin. h. t.* quia, uti dicemus, conditio ſervilis non eſt impedimentum Matrimonii, niſi ignorata ſit à parte libera, & qui ſcienter contrahit cum ſerva ſtrictè dicta, cenſetur renuntiare juri, quod ipſi à Jure eſt conceſſum.

Oppones 1. Servi propriè dicti non habent proprium 4
velle & nolle. *l.* 4. *ff. de R. J.* ſed ad Matrimonium requiritur veile, ſeu voluntas & conſenſus proprius. 2. Servi non habent poteſtatem ſui corporis: ergo per contractum Matrimonialem dare nequeunt alteri poteſtatem ſui corporis. 3. Servi invitô dominô nec ad Profeſſionem Religioſam, nec ad Ordines Sacros admittuntur: ergo nec ad Matrimonium admittendi ſunt invitô dominô. 4. In *l.* 3. *C. de inceſtis Nupt.* Matrimonia liberorum reprobantur cum ancillis, eò quòd ex hujusmodi *contubernio* (en! contubernium vocatur, non Matrimonium) naſcantur ſervi: ergo, ut contrahatur validè, & licitè Matrimonium cum ancillis, requiritur conſenſus domini, qui manumittat, & à ſervitute liberet. R. ad 1. *diſt. Ma.* non habent proprium velle in iis, quæ ſunt Juris Civilis, & in quibus præjudicatur domino. *C. Ma.* in iis, quæ ſunt Juris Naturalis, uti eſt Matrimonium. *N. Ma.* Ad 2. *diſt. Ant.* non habent poteſtatem ſui corporis in iis, in quibus eam habet dominus, nempe ad ſervitia perſonalia, quæ exigit ſervitus, & in ordine ad lucrum temporale. *C. Ant.* in iis, quæ ſunt juris Naturalis, nempe in ordine ad actus conjugales, ac in ordine ad generationem prolis. *N. Ant. & Conſ.* Interim tamen uſus

Matrimonii ita temperandus est, ut servi non nota
præjudicent domino in exhibendis debitis servitiis
cissim dominus ita occupare debet servos conjuge
suo tempore non impediantur ab usu Matrimonii.
N. *Conf. & parit.* quia per Professionem Religio
Ordines Sacros servi totaliter & per totum vitæ t
Deo divinisque obsequiis mancipati perpetuò exi
à debitis domino servitiis: econtra per Matrim
non ita eximuntur, sed *debita & consueta servit*
minùs debent propriis dominis exhiberi. c. 1. cit
4. In causa Matrimonii non Leges Civiles, sed SS.
nes attendendi sunt. Deinde per *contubernium* i
est intelligi Matrimonium absolutè verum, sed nin
noratum, & proli minùs favorabile; cùm ex anci
nisi servi nascantur. Dixi in Assertione, *si liber*
scivit &c. si autem ignoravit, personam, quacu
traxit, esse *conditionis servilis*, Matrimonium e
lum. Quare

De Impedimento Conditionis

§ Dico 3. Si homo liber seu ingenuus contrahat
monium cum persona conditionis servilis ignor
Matrimonium est nullum. *c. 2. & c. fin. h. t.* A
ad impedimentum dirimens *Conditionis* requ
duo. 1. ut tantùm una pars sit conditionis servilis.
pars libera id ignoret, vel per errorem putet,
quoque esse liberam vel ingenuam. Ratio sic
di fortassis fuit nimia inæqualitas inter contrahe
præjudicium, quod personæ liberæ, imò & ip
Matrimoniali creatur. Oppones 1. Tale Mat
ùm nec propter conditionem servilem unius pa
nullùm; quia alias nec subsisteret, si utraque pa
conditionis servilis: neque propter ignorantiam
rorem; partim quia error circa qualitatem perso

lis est etiam conditio servilis, non irritat Matrimonium, uti dictum de impedimento *Erroris*, partim quia aliàs, si Servus contraheret cum Ancilla, quam per errorem putat esse liberam, pariter foret nullum; quod tamen nullus concedet facilè. 2. Si dominus ipse suum servum vel ancillam tradat personæ liberæ conditionem servilem partis ignoranti, vel si dominus talis dolosè taceat servitutem, Matrimonium valet, ut docet communis cum Sanch. *l. 7. de Matrim. d. 20. n. 15.* ex *Auth. Ad hoc. C. de Latin. libert. toll. & Nov. 22. c. 11.* ergo nec utrumque sufficit, conditio servilis & hujus ignorantia, ad hoc impedimentum introducendum, ꝛ. ad 1. Propter neutrum seorsim, sed propter utrumque in complexo Matimonum fit nullum. Quòd sit error circa qualitatem personæ tantùm, nihil obest, quia Jus erranti circa hanc qualitatem conditionis servilis specialiter voluit consulere, consensum illius non habens pro sufficienter voluntario ob nimiam inæqualitatem statûs ignoratam. Quòd autem valeat Matrimonium servi cum ancilla per errorem habita pro libera, mirum non est; quia servus tali casu non constituitur in statu deteriore, & sic non indiget auxilio Juris. Ad 2. *N. Cons.* & *suppositum*, quòd tali casu contrahatur cum persona conditionis servilis; quia per hoc ipsum, quòd dominus collocet servum suum cum libera ignorante in Matrimonium, vel dolosè non aperiat conditionem servilem, talis persona efficitur libera statim, vel ex præsumpta voluntate domini, vel in ejus pœnam. *Auth. & Nov. citt.*

Dico 4. Impedimentum conditionis servilis est introductum Jure Ecclesiastico, non Jure Naturali. Ita communis cum Sanch. *l. 7. d. 19. n. 13.* contra Sylv. Mastrium, P. Reiffenstuel *h. n. 3.* Quibus patrocinari videtur ipse Scotus *in 4. dist. 30. q. 1.* Ratio est, quia servitus absolutè non repugnat subsistantiæ Matrimonii ex una, uti vidimus, ex altera verò parte datur in ignorante servitutem alterius partis simpliciter liber & voluntarius

conſenſus in talem perſonam; cùm error ſervit
error qualitatis duntaxat & accidentalis, non erro
ſtantialis, ſeu circa ipſum individuum perſonæ.
foret, ſi liber expreſsè adderet conditionem vel i
te, vel etiam exteriùs, *ſi altera pars pariter ſit l*
& ſic ſuum conſenſum alligaret huic conditioni
enim utique conditione non exiſtente non adeſſe
ſenſus Jure Naturali requiſitus. Sed de hoc caſu
quæſtio.

Oppones 1. Conditio ſervilis non parùm of
repugnat bonis Matrimonii: *bono Sacramenti*, ſe
viduæ ſocietati; quia ſervus, vel ancilla, habitare c
vitia debet in ædibus domini, potéſtque ab eorde
di, mitti in remotas terras &c. & ſic impeditur c
tatio: *bono fidei conjugalis*; quia debitum con
non pro libitu, ſed ſolùm quatenus permittunt
domini ſervitia, peti & reddi poteſt: *bono prolis*
tam alimentatio illius, quàm educatio redditur di
alimentatio quidem, quia, quidquid ſervus acquir
mino, non ſibi acquirit; educatio verò, quia pro
mater ſit ſerva, conſtituitur in poteſtate non patri
domini. Atqui conditio repugnans bonis Matr
irritat Matrimonium Jure Naturali, utpote repu
ſubſtantiæ illius. 2. Errans circa conditionem ſe
non habet conſenſum ſufficienter voluntarium, qu
ror hujus qualitatis redundat in ipſam perſonam
ſervitus afficiat ſtatum perſonæ, illámque facia
dammodo aliam: ſed error circa ipſam perſonam
qualitatem redundantem in perſonam, dirimit Ma
nium Jure Naturali, uti *tit. I. de Imped. Erroris*
mus: ergo. 3. Siquis alteri venderet equum, cu
ſus dependet à voluntate tertii, ita ut emens lib
pro libitu uti non poſſet, talis venditio eſſet irrita
tura rei; ergo etiam Matrimonium, cujus uſus de
à voluntate domini, in cujus poteſtate manet p
ſervilis. R. hæc argumenta, ſaltem primum, prob

Digitized by Google

etiam illud Matrimonium, quod duo ſervi, vel quod liber cum ancilla ſcienter contrahit, eſſe nullum; quod eſt nimium, & contra *c.* 1. 2. *fin. h. t.* & contra omnes. Probant igitur, quòd quidem propter has cauſas rectè fuerit à Jure Poſitivo irritatum Matrimonium a libero cum non libera ignoranter contractũ, non verò quòd ex natura rei & Jure Naturali ſit nullum. Ad 1. Conditio ſervilis officit quidem aliquo modo bonis Matrimonii, abſolutè tamen compoſſibilis eſt cum ipſis: uſum Matrimonii reddit quidem difficiliorem, non tamen penitus tollit, cùm relinquat jus & poteſtatem exigendi ac reddendi debitum conjugale pro tempore, quod ſervitia domini faciunt, & facere debent, reliquum: ſi autem ſervus vel ancilla mittatur aliò, per accidens tantùm impeditur uſus Matrimonii, ſicut impediri poteſt per ſupervenientem lepram. Cæterùm ſi ſervus contraxit Matrimonium cum conſenſu domini, ab iſto absque injuſtitia non poteſt mitti vel vendi in remotas regiones, ut perpetuò impediatur ab uſu Matrimonii: ſi verò ſine conſenſu, vendens eum ſine conjuge in remotas terras, ut perpetuò ipſi uſus Matrimonii impediatur, peccat ſaltem contra charitatem, ſi nempe ſine gravi cauſa & propria neceſſitate vendat vel mittat. Ad 2. *N. Ma.* quia ignorans conditionem ſervilem, ſicut ignorans paupertatem ſponſæ, conſentit abſolutè ac ſimpliciter liberè & voluntariè in hanc determinatam perſonam; quamvis non conſentiret, ſi ſciret ſervitutem, vel paupertatem; adeóque iſte error non facit abſolutè involuntarium, ſed ſolùm ſecundùm quid ſpectatâ rei naturâ: neque conditio ſervilis, quamvis afficiat ſtatum, redundat in ſubſtantiam perſonæ, ſicut ignobilitas ſponſæ ignorata, quamvis afficiat ſtatum perſonæ, non redundat in ejus ſubſtantiam. Ad 3. *N. Conſ. & parit.* quia emptio ex natura ſua, & prout de facto eſt inter homines introducta, exigit translationem dominii cum jure pleno utendi independenter & inimpedibiliter à jure alterius, niſi aliter conveniatur inter

Par-

Partes: econtra contractus Matrimonialis non ex
ſua exigit dominium corporum cum pleno jure
ſemper, & pro ſemper independenter, ac nunqua
pedibiliter à Jure alterius, nempe domini reſpe
vorum, ut evidenter conſtat ex *c. 1. 2. fin. citt.* u
vis permittendum dicitur Matrimonium, & pro
habetur, ſi ſciens conditionem ſervilem alterius pe
tamen cum hac illud contrahit.

TITVLVS X.

De Natis ex libero ventre.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Proles quoad conditionem ſervilem & in*
tatem ſequitur Matrem:
4. *Patrem verò quoad nobilitatem.*

1 SCiendum, cùm non tantùm inter ſervum & ſerva
ancillam, ſed etiam inter ſervum & liberam, a
ſim inter liberam & ſervum, poſſit validum ſub
Matrimonium, utì patet ex *Tit. præced.* hinc qu
nem moveri, cujus conditionis, ingenuæ vel ſervi
cenſenda ſit proles nata ex ſervo propriè dicto & l
vel ex ancilla propriè dicta & libero ſeu ingenuo
quam reſpondetur hoc titulo. Quare

2 Dico 1. Proles quoad libertatem & ſervitut
quuntur conditionem & ſtatum matris, ita ut, ſi m
libera, pater autem ſervus, proles pariter ſint libe
viciſſim, ſi mater ſit ſerva ſeu ancilla, pater verò ing
ſeu liber, etiam proles ſint ſervilis conditionis. 2
parentes fuerint in vero conjugio, ſive non. 3
pter favorem tamen prolium ad earum ingenuitat

ficit, modò mater vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel aliquo tempore intermedio fuerit liberæ conditionis. Ita communis & certa tam Theologorum quàm Jurisperitorum cum S. Th. Sanch. Barb. Guttierez &c. propter claros textus in *pr. Inſt. de Ingenuis*: ibi: *ſiquis ex matre naſcitur libera, patre verò ſervo; ingenuus nihilominus naſcitur: quemadmodum qui ex matre libera & incerto patre natus eſt, quoniam vulgo conceptus eſt. Sufficit autem liberam fuiſſe matrem eo tempore, quo naſcitur, licèt ancilla concepe-rit. Et econtrario, ſi libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, placuit, eum, qui naſcitur, liberum naſci: quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre eſt:* ſcilicet propter favorem libertatis, *quæ res inæſtimabilis eſt*, & omnibus rebus favorabilior. *l. 106. & l. 122. ff. de R. J.* Idem in *l. 5. §. 2. ff. de Statu hominum* repetitur, ac in §. 3. additur, *ſufficere ei, qui in ventre eſt, liberam matrem vel medio tempore habuiſſe.* v. g. ſi ancilla concepit, & prægnans manumiſſa, ac poſt breve tempus iterum in ſervitutem redacta peperit, proles erit ingenua ſeu libera. Conſonat §. 4. *Inſt. de Jure perſon. l. 24. ff. de Stat. hom. l. 7. C. de R. V. l. 22. C. de Agricol. & Cenſit. lib. 11. c. fin. de Servis non ordin. c. un. h. t.* Ratio inter alias etiam hæc datur, quia mater ſerva, dum geſtat uterum, & prolem enititur, habet periculum vitæ, dum verò prolem educat, habet impedimentum, quo frequenter abſtrahitur à ſervitiis domino debitis: ergo æquum eſt, ut hoc periculum & impedimentum domino compenſetur: meliùs autem non compenſatur, quàm ſi proles matris ſervæ tranſeat in dominium domini, qui periculum amittendi ſervam, & damna propter prolem ſuſtinet. Ex quibus illud commune Brocardicum, *Partus ſequitur ventrem*, nempe quoad ingenuitatem vel ſervitutem, natum eſt inter DD. qui etiam fictione Juris pro nato jam habent generaliter illum, qui adhuc latet in utero matris,

quan-

quando de ejus favore agitur, juxta *l. 7. ff. de ſ*
ibi: *qui in utero eſt, perinde, ac ſi in rebus*
eſſet, cuſtoditur, quotiens de commodo ipſiu
quæritur.

3 Oppones 1. In *c. 3. de Conjug. Servor.* mil
tre ingenuo natus habetur pro ingenuo, licèt m
rit ancilla: ergo quoad ingenuitatem & ſervitu
tus non ſequitur ventrem. 2. In *l. 19. ff. de ſ*
ſic habetur: *cùm legitimæ nuptiæ factæ ſunt, p*
beri ſequuntur: vulgò quæſitus matrem ſequi
go. 3. Ponamus, quòd mater jam gravida
in bello juſto, & ſic fiat ancilla: in hoc caſu pr
pariter erit ſervilis conditionis, licèt mater
conceptionis fuerit libera: ergo. R. ad 1, ibi p
nuo eſt habitus filius propter patrem ingenuum
ſuetudinem peculiarem loci, quæ utique Juri Co
vi cujus partus ſequitur ventrem, utpote merè H
derogare poteſt. Ad 2. Ibi eſt ſermo de liber
bera natis; quippe de Jure Civili inter ſervos n
Matrimonium *legitimum*, ſed vocatur *contuber*
3. C. de inceſt. Nupt. Ad 3. *C. Ant.* quia æc
les, ac mater, cùm potuiſſet occîdi, *ſervatur*
ſerva efficitur. *N. Conſ.* in aliis enim caſibus, ub
talium inducitur ſervitus, propter favorem pro
bertatis, quæ concipitur à matre libera, licèt nat
ſerva, fingitur eſſe nàta ex libera.

4 Dico 2. Proles quoad familiam, honores,
tem, ſequuntur patrem, ita ut, ſi pater ſit nobili
verò plebeia, etiam proles ſint nobiles, ſi nimir
ſint ex juſtis Nuptiis. Pariter ſi pater eſt civis,
tritius, mater verò peregrina &c. filius quoqu
vis, vel patritius. Text. Gl. & DD. in *l. 19.*
Sanch. Guttier. Perez. ſuffragante praxi. Imò
etiam mater, ſcilicet uxor, ſequitur dignitatem v
pr. ff. de Sanator. l. 13. C. de Dignit. lib. 12.
fin. C. de Nuptiis. Nov. 105. c. 2. pr. Brun

Digitized by Google

Pirh. König *de Sponſal. n.* 119. Ratio autem, vel potiùs congruentia, cur partus quoad dignitatem & nobilitatem ſequatur patrem, matrem quoad ſtatum & conditionem ſervilem vel liberam, redditur hæc; quia partus ſuam ſubſtantiam, & eſſe, recipit a patre tanquam principio efficiente nobiliori, & ſpirituoſiori: à matre verò tanquam à cauſa magis materiali plus corpulentæ materiæ ad nutritionem & augmentationem conferentis: ſervitus verò convenit ſecundùm corpus, & iſtud afficit potiſſimùm: econtra nobilitas, honor &c. magis ad *eſſe* pertinent. Oppones 1. Si filius quoad nobilitatem ſequitur patrem, quoad ſtatum verò matrem, idem ſimul poterit eſſe nobilis, & ſervus, ſi nempe pater ſit nobilis, & mater ancilla: ſed hoc eſt in terminis abſurdum: ergo. 2. Etiam filii Naturales habentur pro nobilibus, ſi pater ſit nobilis: ergo fruſtra addidimus, *ſi natæ ſint ex juſtis nuptiis*. 3. Videmus, in Germania repelli à Canonicatibus Cathedralibus eos, qui legitimè nati ſunt ex patre licèt valde Nobili & Illuſtri, ſi mater non ſit nobilis: ergo nec filii legitimè nati ſequuntur patrem quoad nobilitatem. R. ad 1. *N. Ma.* vel *diſt.* ſimul eſt nobilis & ſervus, ita tamen ut nobilitatis ſplendor obfuſcetur, & quaſi velô occultata nihil valeat, quamdiu ſervitus non tollitur. *C. Ma.* ita ut ſtante ſervitute nobilitas appareat, & ſplendorem ſuum diffundere poſſit, ac filius dici nobilis. *N. Ma.* Si filius per manumiſſionem conſequitur libertatem, tunc nobilitas primùm quaſi ſublatô velô ſplendeſcere incipit, ſuúmque pretium adipiſcitur. Exemplum habes in filio Naturali, qui habuit patrem nobilem, matrem verò plebeiam; is enim pro nobili non habetur, niſi poſtquam inter parentes contractum fuerit Matrimonium; tunc enim ſimul fit legitimus, & nobilitatis effectum conſequitur. Ad 2. *diſt. Ant.* habentur pro nobilibus de Conſuetudine, *tranſeat:* de Jure Communi. *N. Ant. & Conſ.* Ad 3. Repelluntur tantùm propter ſpecialia ſtatuta, vel propter

ſpe-

ſpecialem voluntatem Fundatorum, non verò qu
Jure non ſint nobiles: ſed qui a non ſunt nobiles ex
que parente, uti Statuta & Fundationes exigunt.

TITVLVS XI.

De Cognatione Spirituali.

SUMMARIUM.

1. *Cognatio eſt triplex.*
2. 3. *Quid Cognatio Spiritualis.*
4. *Inter quas detur perſonas.*
5. *Patrinus, & Patrina ſeu Matrina, quinam.*
6. *Cognatio Spiritualis dirimit Matrimonium, ter quas perſonas hodie.*
7. 8. *An, qui baptizat vel levat propriam ſob privetur jure petendi debitum, vel liberet obligatione reddendi.*
9. *An baptizans privatim & in neceſſitate,*
10. *Vel levans, contrahat impedimentum hujus c tionis.*
11. 12. *Quis licitè & validè agat Patrinum.*
13. *Quid Juris, ſi plures levent per ſe ipſos.*
14. 15. *Aut per Procuratorem.*

1 SCiendum 1. inter impedimenta Matrimonii dir tia, quæ hucusque perſecutus eſt Compilator quoque *triplicem Cognationem*, Spiritualem, lem, Carnalem (quæ Conſanguinitas dicitur) cu *Affinitatem*, de quibus ſequentes quatuor Titu ſtabunt.

2 Sc. 2. Cognationem *Spiritualem* in ordine a trimonium dirimendum ſic deſcribi ſolere: *eſt p*

quitas perſonarum ex collatione & ſuſceptione Sacramentorum Baptiſmi & Confirmationis reſultans, ac Jure Eccleſiaſtico dirimens Matrimonium inter certas perſonas. Sumitur ex *t. t. de Cognat. Spirit. & cauſa 30. q. 1. & 3.* Dicitur 1. *propinquitas perſonarum*; ſicut enim per generationem naturalem quædam perſonæ arctiùs conjunguntur, ita ut reverentiam quandam ſibi invicem debeant, vi cujus indecens reputatur, ut inter ſe Matrimoniô ad actus conjugales copulentur, ita etiam per generationem ſpiritualem, quæ fit per Baptiſmum & Confirmationem, judicavit & voluit Eccleſia conjunctionem ſpiritualem & quaſi parentelam inter certas oriri perſonas, vi cujus ob reverentiam ſibi invicem competentem decenter Matrimoniô ad actus carnales copulari non poſſint. 2. Ex *collatione & ſuſceptione Sacramentorum*; nam conferens, uti & patrinus levans vel tenens, quaſi pater, ſuſcipiens verò Sacramenta quaſi filius, nempe ſpiritualis, efficitur. 3. *Baptiſmi & Confirmationis*; nam ex aliis Sacramentis non reſultat cognatio ſpiritualis; licèt enim & ipſa conferant gratiam Sanctificantem, quæ dat quoddam eſſe ſpirituale animæ, illud tamen dant per modum reconciliationis, alimentationis, ſanationis &c. non verò per modum generationis, uti Baptiſmus & Confirmatio: ſiquidem ſicut duplex generatio carnalis conſideratur à S. Thoma 3. *p. in ſupplem. q. 56. a 2. ad 1.* & aliis, nempe una *in utero* per conceptionem & primam animationem per infuſionem animæ rationalis, ac altera *ex utero*, quæ fit per editionem fœtûs in lucem; ita ab Eccleſia rectè conſideratur duplex generatio ſpiritualis, nempe Baptiſmus, per quem homo ſpiritualiter naſcitur primò in utero Eccleſiæ, concipitur, & animatur; atque Confirmatio, per quam in aciem quaſi & in conſpectum educitur. 4. *Jure Eccleſiaſtico dirimens Matrimonium inter certas perſonas*, ſcilicet ob reverentiam erga ſe ortam ex ſimili vinculo, quod repetitur & oritur inter quasdam perſonas ex generatione

carnali. Quòd autem Jure Ecclesiastico dirimat, patet ex *t. h. t.* & quidem tantùm ex Jure Ecclesiastico, indè fit manifestũ, quòd Baptismus & Confirmatio non ex Jure Naturali proveniant, Jus verò Divinum nec scriptum nec traditum de hoc impedimento Cognationis spiritualis quidquam doceat.

8 Oppones. Ex administratione Sacramenti Pœnitentiæ etiam oritur quædam spiritualis cognatio, quia datur generatio spiritualis, & conferens Sacramentum Pœnitentiæ pater, suscipiens verò filius vel filia spiritualis nuncupatur. *can. 8. caus. 30. q. 1.* Et hinc *can. 9. seq.* peccatum luxuriæ cum filia Confessionis commissum vocatur adulterium: ergo non ex Baptismo & Confirmatione tantùm oritur impedimentum cognationis spiritualis. R. Oritur quædam spiritualis cognatio tantùm Metaphorica & similitudinaria, quæ à Jure non habetur pro impedimento dirimente, cùm Sacramentum Pœnitentiæ non conferat gratiam per modum generationis, sed per modum sanationis, vel revocationis ad vitam. Circumstantia filiæ confessionis valde quidem auget peccatum luxuriæ propter irreverentiam, quæ Sacramento infertur, atque probabiliter exprimenda in Confessione, ut docent multi cum S. Thoma 2. 2. *q. 154. a. 10. ad 2.* propriè tamen nec incestus nec adulterium est.

4 Sc. 3. Circa personas, quas impedimentum Cognationis Spiritualis afficit, discrimen esse inter Jus Antiquum & Novum. De Jure Antiquo oriebatur 1. inter baptizantem & baptizatum, confirmantem & confirmatum; item inter patrinos & baptizatum, vel confirmatum; & ista cognatio dicitur *paternitas*, quia baptizans, confirmans, patrini, quasi parentum loco, baptizatus verò, & confirmatus, filiorum loco habentur. 2. Inter baptizantem, confirmantem, patrinos ex una, & ex altera parte inter baptizati, vel confirmati parentes naturales; & hæc appellatur *compaternitas;* quia dictæ personæ sunt quasi cómpatres vel commatres respectu baptizati vel con-

confirmati. 3. Inter uxorem baptizantis, & patrini, ac inter baptizatum; quæ eſt *paternitas indirecta:* item inter uxorem priùs carnaliter cognitam baptizantis, & patrini ex una, & ex altera parte inter baptizati parentes naturales, quæ eſt *compaternitas indirecta.* 4. Inter baptizatum, vel confirmatum, tanquam filios ſpirituales, & inter filios naturales ſeu carnales baptizantis, vel confirmantis, ſiquos habuit; qui cùm quaſi fratres efficiantur, cognatio hæc nuncupatur *fraternitas.* Habentur hæc *can. 5. cauſ. 30. q. 1. can. 1. ſeqq. q. 3. can. 1. 3. q. 4. c. 4. 6. 7. h. t. c. 1. eod. in 6.* De Jure Novo autem, ſcilicet Tridentini *ſ. 24. c. 2. de Ref. Matrim.* impedimentum Cognationis Spiritualis ſolùm contrahitur inter baptizantem & baptizatum, confirmantem & confirmatum, baptizatíque, vel confirmati, patrem ac matrem: item inter patrinos, & baptizatum, vel confirmatum, baptizatíque, vel confirmati, patrem & matrem: non verò ſe extendit ad uxorem, vel liberos carnales baptizantis: adeóque ſublata eſt *paternitas, & compaternitas indirecta*, atque *fraternitas*; licèt manſerit paternitas, & compaternitas *directa.* Unde nec Patrini inter ſe, neque cum baptizante contrahunt, impedimentum iſtud; cùm neque de Jure Antiquo cognatio ulla inter hos fuerit contracta: nec filius baptizantis aut patrini cum baptizata &c. quia hæc foret fraternitas, quæ eſt ſublata.

Sc. 4. *Patrinum* (& patrinam, vel potiùs *Matrinam*) dici, qui tenet, levat, ſuſcipit, vel ſaltem tangit eum, qui baptizatur, vel confirmatur, atque ſpondet (tacitè ſaltem) ſuſcipiendo, ſe habiturum paternam illius curam ſpiritualem, inſtruendo in rebus fidei, & Chriſtiana vita. *can. 105. d. 4. de Conſecr.* Unde etiam vocatur pater ſpiritualis, vel pædagogus hominis baptizandi, aut fidejuſſor. In baptiſmo ſolenni non poteſt omitti absque gravi peccato patrinus, tum propter præceptum Eccleſiæ, tum propter receptiſſimam totius Eccleſiæ conſue-

tudinem, atque communem ſenſum DD. contr
vin. & Archang. De Jure Antiquo poterat adh
nus tantùm, ſive vir, ſive mulier. *can. 100. ſeq. c*
fin. b. t. in 6. Utrùm verò vir, & non fœmina, i
mo vel confirmatione maris, ac ſola fœmina in b
fœmellæ &c. adhiberi debeat, vel promiſcuè e
apud fœminam, & viciſſim, rectè adhibeatur, d
DD. in utramque partem probabiliter; ſuade
Gobat, ut Parochus ſe accommodet conſuetu
diœceſis. In Baptiſmo ex conceſſione Tridenti
licet adhibere unum & unam: in Confirmation
tantùm unus vel una, non unus & una, adhiberi
ut tenet probabilior cum Suar. Palao, Barb. *de C*
piſc. alleg. 30. n. 43. quia Tridentinum, ubi *lo.c*
rexit Jus Antiquum admittendo unum & unam,
Baptiſmo loquitur: lex autem correctoria Juris
extendenda. Et licèt Trid. *v. ea quoque* exten
um decretum etiam ad Confirmationem; ibi tan
lùm de perſonis cognationem ſpiritualem contr
bus agit, non de numero Patrinorum. Ut autem
ritè ac validè obeat munus Patrini, requiritur 1.
ptiſmus, vel Confirmatio, adminiſtretur revera ac
unde ſi infans propter periculum fuit baptizatu
privatim, poſtea verò in Eccleſia ſupplentur c
niæ, & inter has etiam adhibetur, qui teneat infa
non contrahit iſte cognationem ſpiritualem; qu
ſolas ceremonias non regeneratur ſpiritualiter
Probabiliùs etiam non contrahit, qui tenet baptiz
&c. ſi baptiſmus ſub conditione tantùm confertur
que dubium eſt, utrùm revera conferatur. 2. U
ac phyſicè vel levet, teneat, & quaſi ſuccollet, a
mediatè ſuſcipiat de manu baptiſtæ eum, qui bapt
vel ſaltém tangat propriis manibus baptizandum au
firmandum, non obiter & momentaneè digitô v.
ita, ut tactus poſſit vocari *tentio, apprehenſio, ſuſt*
levatio ex ſacro fonte &c. licèt baptizetur, ad

Digitized by Google

id enim ſignificant verba, *ſuſcipit, accipit, tenet, levat, tangit*, quibus utuntur *citt.* Jura. non tamen eſt neceſſe, ut tactus fiat immediatè in corpore nudo, modò fiat ſuper veſtes, vel in quodam linteo, vel diſco. 3. Ut patrinus, vel matrina (vel uterque in Baptiſmo, ſi duo adhibentur) priùs deſignetur, nempe à parentibus, vel illis, qui baptiſmum procurant: in horum defectu à Parocho (in Confirmatione ab Epiſcopo) Trid. *lo. cit.* quamvis hæc deſignatio multis videatur non eſſe abſolutè neceſſaria: utrùm verò, ſi plures, quàm unus, vel unus & una, deſignarentur a parentibus, ij omnes contrahant cognationem ſpiritualem, item an, ſi nullus ſit deſignatus, unus tamen nihilominus vel plures tangerent, iſti eandem contrahant, dicemus infrà. Cœterùm non legitur prohibitum, quò minùs duo invicem poſſint eſſe patrini, & ſibi mutuò proles levare ex ſacro fonte; imò id praxis habet; in his tamen oritur duplex compaternitas ratione utriusque prolis. 4. Ut patrinus habeat intentionem faciendi, quod inſtituit Eccleſia, vel ſuſtinendi munus patrini ſeu patris ſpiritualis, ut docet communis & probabilior cum Sanch. *l. 7. d. 58. n. 4.* quia ſine hac non formaliter agit patrinum: unde tenens eum, qui baptizatur, ne cadat in terram, vel ut commodiùs poſſit peragi baptiſmus, non contrahit cognationem ſpiritualem. 5. Ut ipſe ſit priùs baptizatus, vel, ſi teneat confirmandum, ſit priùs confirmatus, ut habet communis; cùm ſit abſurdum, ut aliquis ſit pater ſpiritualis, qui tamen ipſe necdum eſt natus ſpiritualiter. His præmiſſis ulteriùs

De Impedimento Cognationis Spiritualis.

Dico 1. Cognatio Spiritualis dirimit Matrimonium contrahendum hodie tantùm inter baptizantem, confirmantem, & patrinos ex una, ac inter baptizatum & con- 6

firmatum, hujúsque patrem & matrem, ex alter
Trid. *ſ.* 24. *c.* 2. *de Ref. Matr.* ubi reſtrictum
Antiquum, utì notavimus *n.* 4. Dixi, *contrah*
nam ſemel contractum non dirimit, ut ſi maritu
zet vel levet propriam prolem, ex ſua uxore nat
tamen alias inter baptizantem vel patrinum, ac in
tizati matrem oriatur hoc impedimentum. Sed

7 Quæres, an, ſi maritus baptizet propriam ſobo
levet, non ſaltem contrahat cognationem ſpi
cum ſua uxore ita, ut privetur jure petendi debitu
jugale, vel liberetur obligatione reddendi? Ide
viciſſim uxor baptizet vel levet propriam ſobole
1. Si id faciat in caſu neceſſitatis, quo alius bap
vel patrinus commodè haberi nequit, certò non
hit, ut habet communis ex *can.* 7. *cauſ.* 30. *q.* 1.
lis laudabiliter agit. Idem eſſe ajunt, ſi ex pr
ignorantia Juris vel facti faciat. Ratio; quia qu
privaretur jure petendi, eſſet pœna, quæ, præſ
privet jure jam quæſito, ab ignorante non incu
quatenus verò liberaretur ab obligatione redden
bitum, id cederet in præjudicium conjugis inno
Si verò non ex propria uxore, ſed ex perſona ſolu
concubina natam ſobolem baptizaret vel teneret
contraheret certò impedimentum dirimens Matr
cum tali fœmina, baptizatæ prolis matre, juxta Tr
cit. n. 2. Etſi extra caſum neceſſitatis baptizet,
vet, prolem ex propria conjuge natam, ſive ſcient
ignoranter, probabiliùs tamen nec privatur jure p
debitũ conjugale, nec liberatur ab obligatione red
Ita Suar. Amadæus Guimenius, Gaſp. Hurtad.
de Matrim. n. 539. Zœſ. *h. t. n.* 9. Corvinus *lib.*
Canon. tit. 13. P. Krimer *lib.* 4. *Decretal. n.* 11
1116. & alii, contra æquè multos, imò plures, inter
eſt S. Thom. Sanch. Tann. Lavm. Barb. Vallenſ.
Gonzal. Engel, Sporer &c. Prob. 1. ex *c.* 2. *h. t.*
nobis videtur, ait Pontifex, *quòd, ſive ex ignora*

ſive ex malitia id fecerint (vir, vel mulier) *non ſunt ab invicem ſeparandi, nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci: quia, ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari vel dolus.* Rubrica autem hujus *c.* ſic habet: *compaternitas ſcienter vel ignoranter ſuperveniens inter conjuges conjugium non diſſolvit*, ſcilicet quoad petitionem & redditionem debiti. Conſonat *c. 5. eod.* & *can. 5. cauſ. 30. q. 1.* ibi: *ſi autem conjuges legitimi, unus, aut ambo, ex induſtria fecerint, ut filium ſuum de fonte ſuſciperent, ſi innupti permanere voluerint, bonum eſt; ſin autem, gravis pœnitentia inſidiatori injungatur, & ſimul maneant:* ergo manet jus petendi debitum, & obligatio reddendi. Prob. 2. privatio juris petendi debitum eſt pœna, & liberatio ab obligatione reddendi illud ſtudioſè quæſita per baptizationem vel levationem propriæ ſobolis cedit in grave præjudicium innocentis conjugis: ſed pœna non debet aſſeri ſine claro & expreſſo textu Juris, nec præjudicium inferri innocenti absque urgente cauſa, cujusmodi hìc non reperitur: ergo. Prob. 3. Foret periculum incontinentiæ clarum & propinquum inter conjuges, qui cohabitare debent absque jure petendi, & obligatione reddendi debitum: ergo absque claro Jure & urgenti cauſa non debet aſſeri hæc privatio, & deobligatio.

Oppones 1. Ex *can. 1. 2. 3. 4. cit.* eruitur, quòd conjuges levantes vel baptizantes propriam ſobolem ſeparari, & à communi thoro removeri debeant, ſaltem ſi id faciant cum conſenſu mutuo, vel unius ſaltem, & extra neceſſitatem: ergo privantur jure petendi debitum. 2. Qui absque neceſſitate baptizat vel levat ſuæ conjugis prolem ſcienter, peccat graviter: ergo contrahit impedimentum cognationis ſpiritualis, quantùm poteſt: ſed quoad privationem juris petendi debitum contrahere

potest: ergo. 3. Impedimenta, quæ, si ant
dirimunt Matrimonium contrahendum, privant
tendi debitum, si superveniunt jam contracto, u
Affinitate, orta ex copula mariti cum consang
uxoris; & in voto solenni, quod quis edit pos
ctum jam Matrimonium: atqui cognatio spiritu
antecedat Matrimonium, dirimit illud: ergo, si
nit, privat saltem jure petendi debitum. R. ad
Ant. nam ferè solùm à contrario eruitur, qu
mentum non adeò firmum est, præsertim ubi de g
na, & periculo propinquo peccati inducendo ag
Cons. licèt enim de Jure Antiquo fuisset statuta
juris petendi debitum, illud tamen correctum e
2. & *rubr. cit. c.* 5. & *can.* 5. *citt.* ut agn
Sanch. adversarius *l.* 9. *d.* 26. *n.*7. Ad 2. *C.*
& *Cons.* sed *dist. subsumpt.* quoad privationem
tendi debitum contrahere potest, vel potiùs po
Jus in *c.* 2. *cit.* noluisset contrahi. *C.* Si noluit c
utì revera noluit. *N. subsumpt.* Imò, licèt nasc
gnatio spiritualis inter talem maritũ & uxorem, e
de Jure Moderno non habet vim privandi jure
conjugale petendi, minùs dissolvendi Matri
contractum. Ad 3. *dist. Mà.* privant jure pet
bitum, si id Jure claro est expressum, utì de Affin
cta expressum est in *c. 1.* & 4. *de eo, qui cogn*
de Voto solenni in *c.* 3. & 12. *de Convers.*
tunc *C. Mà.* si id claro Jure non est expressum.
Moderno Jure potiùs contrarium videtur statu
Cognatione Spirituali.

9 Dico 2. Etiam privatim & in necessitate baptiz
ve Laicus sit sive Clericus, contrahit impedimentu
nationis spiritualis. Adeóque istud oritur non
ex baptismo solenni, sed etiam privato, respectu
zantis. Communissima contra pauculos apud Sa
7. *d.* 62. *n.*10. Prob. 1. Quia Jura indiscriminat
distinguendo inter baptismum solennem & privat

Digitized by Google

vel extra neceſſitatem collatum, ſtatuunt impedimentum cognationis ſpiritualis. 2. Ratio Juris, quòd nimirum in baptiſmo fiat generatio ſpiritualis, æquè reperitur in baptiſmo non-ſolenni, ac in ſolenni. 3. Si cognatio tantùm ex baptiſmo ſolenni oriretur, fruſtra ferè eſſet hoc impedimentum ſtatutum reſpectu baptizantis; nam ferè ſolus Sacerdos, qui ratione voti ſolemnis jam eſt inhabilis ad omne Matrimonium, eſt miniſter baptiſmi ſolennis. Oppones 1. In *c. fin. h. t.* ubi ſtatuitur impedimentum cognationis ſpiritualis, eſt ſermo de ſacerdote baptizante, qui non aliter quam ſolenniter de via ordinaria baptizare ſolet: ergo laicus, & non-ſolenniter baptizans, illud non contrahit. 2. Pater propriam ſobolem ſuæ uxoris in neceſſitate & privatim baptizans non incurrit impedimentum cognationis, uti paulò antè docuimus: ergo nec alius privatim aut in neceſſitate baptizans. 3. Iniquum videtur, ut quis propter actum laudabilem, & præceptum, qualis eſt collatio baptiſmi in neceſſitate, privetur jure contrahendi Matrimonium cum prole baptizata, vel ejus matre, & ſic quaſi puniatur, per *can. 7. cit.* ergo. R. ad 1. Ibi fit mentio ſacerdotis narrativè tantùm & occaſione facti, non diſpoſitivè, & per modum Juris. Ad 2. Imprimis non negavimus, cognationem ſpiritualem contrahi à tali patre, ſed impedimentum, quo privetur jure petendi debitum, negavimus cum *c. 2. h. t.* Dein *N. Conſ. & parit.* nam privatio debiti eſt pœna, impedimentum cognationis ſpiritualis eſt tantùm inhabilitas, quæ abſque omni culpa, imò ex actu laudabili, incurri poteſt, uti patet in irregularitate, quam incurrit Judex aliquem damnans ad mortem. Dein facilius aliquid futurum, ne acquiratur, impeditur, quàm tollatur jus jam quæſitum certum, quale eſt jus petendi debitum in conjuge. Ad 3. *N. Ant.* pro caſu, quo aliquid à Jure claro ſtatuitur, & quidem ut inhabilitas, non ut pœna, uti conſtat in priori exemplo de Judice: Jus autem clarè ſtatuit ſine ulla diſtinctione in-

ter baptiſmum ſolemnem & non-ſolemnem impedimentum cognationis, nec ut pœnam, ſed ut inhabilitatem præcisè.

40 Quæres, an etiam levans prolem, quæ privatim & in neceſſitate baptizatur, contrahat impedimentum cognationis ſpiritualis, conſequenter an ſit verus patrinus? R. id negari à plurimis, affirmari à multis abſolutè. Rectiùs diſtinguit P. Schmalzgrueber *h. t. n. 55.* cum aliis. Vel enim in privato baptiſmo in neceſſitate collato proles tenetur tantùm materialiter, ut commodiùs adminiſtretur baptiſmus, utì ordinariè contingit? & tunc utique non contrahitur à tenente cognatio ſpiritualis. Vel tenetur formaliter cum intentione obeundi munus patrini? & probabiliùs contrahitur cognatio; quia Jura, & Tridentinum, dum à levantibus & patrinis docet illam contrahi, non diſtinguit inter baptiſmum ſolennem & privatum in neceſſitate collatum; & quia aſſiſtentia patrini eſt aliquod officium ad repræſentandam & perficiendam ſpiritualem generationem ab Eccleſia ordinatum; quod etiam in baptiſmo privato locum habet. Oppones. Aſſiſtentia patrini non eſt de ſubſtantia baptiſmi, ſed eſt mera ſolennitas: atqui ſolennitas nunquam formaliter exercetur, niſi in baptiſmo ſolenni: ergo nec aſſiſtentia patrini fit formaliter unquam, niſi in baptiſmo ſolenni. R. Quamvis non ſit de ſubſtantia baptiſmi, non tamen eſt mera ſolennitas, ſed officium fidejuſſoris, patris ſpiritualis, inſtructoris in fide, quo omnem baptizatum Eccleſia vult eſſe inſtructum; quia per eum repræſentatur & completè perficitur generatio ſpiritualis.

41 Dico 3. Patrinum (vel Matrinam) agere regulariter poteſt omnis Catholicus, rationis uſu præditus; nec ulla ætas eſt determinata. Sanch. *l. 7. d. 61. n. 3.* Gobat *in Theol. Experim. tr. 2. n. 555. & tr. 9. n. 173.* Barb. Pignat. &c. Ratio, quia Jus nihil aliud requirit; nec ætatem determinat. Addit tamen Gobat, in Germania, pueros

pueros octennes, & puellas novennes, non habendos esse pro doli capacibus, & aptis ad munus patrini, si dubium sit de sufficienti usu rationis. Dixi 1. *regulariter*; nam sine peccato munus patrini suscipere non posse Monachos, & probabiliter etiam alios Religiosos, nisi justa causa id exigat, censet cum communiori Laym. & Pirhing *h. n. 34.* propter *can. 103. seq. d. 4. de consecr.* ne illis detur occasio dissolvendæ disciplinæ Religiosæ per crebra colloquia cum compatribus & commatribus. Nec admittendi sunt infames & criminosi, consequenter nec excommunicati, & interdicti. Krimer *h. n. 1108.* cum Laym. Dixi 2. *Catholicus:* unde hæretici validè quidem, quia baptizati sunt, adhibentur in baptismo, sed regulariter illicitè. Dian. Gob. Tanner. Laym. quia indecens videtur ad hanc sacram ceremoniam adhibere hæreticum, & inconveniens ex eo etam capite, quòd officium patrini sit instruere baptizandum in Fide Catholica, ac pro eo sponsionem facere. Si tamen gravis causa seu necessitas postularet, posset hæreticus, qui à parentibus est designatus pro patrino, admitti licitè. Dian. Laym. Gob. Palao, Pirh. *n. 42.* ut si alias gravis offensa, & dissensio inter familias timeretur, vel infans aliàs domi absque patrino baptizari deberet cum aliorum scandalo &c. præsertim ubi praxis habet, ut tam hæretici in baptismo Catholicorum, quàm Catholici in baptismo hæreticorum adhiberi soleant, utì fit quandoque, ubi utriusque Religionis homines in eadem civitate immixti commorantur. Nec obstat, quòd patrini aliàs sit instruere baptizatum in fide, & id spondeat; quia hæc instructio non ampliùs à patrinis, sed à parentibus, pædagogis, Catechistis fieri consuevit. Nec solent ab istis hæreticis ita immixtis rideri ceremoniæ Baptismi Catholici. Adhuc faciliùs potest permitti, ut Catholicus patrinum agat in baptismo ab hæreticis collato, maximè ubi usus sic habet, utì v. g. Augustæ Vindelicorum, & in Germania, ubi hæretici sunt tolerati, cum qui-

carnali. Quòd autem Jure Ecclesiastico dirimat, patet ex *t. h. t.* & quidem tantùm ex Jure Ecclesiastico, indè fit manifestũ, quòd Baptismus & Confirmatio non ex Jure Naturali proveniant, Jus verò Divinum nec scriptum nec traditum de hoc impedimento Cognationis spiritualis quidquam doceat.

6 Oppones. Ex administratione Sacramenti Pœnitentiæ etiam oritur quædam spiritualis cognatio, quia datur generatio spiritualis, & conferens Sacramentum Pœnitentiæ pater, suscipiens verò filius vel filia spiritualis nuncupatur. *can. 8. caus. 30. q. 1.* Et hinc *can. 9. seq.* peccatum luxuriæ cum filia Confessionis commissum vocatur adulterium: ergo non ex Baptismo & Confirmatione tantùm oritur impedimentum cognationis spiritualis. R. Oritur quædam spiritualis cognatio tantùm Metaphorica & similitudinaria, quæ à Jure non habetur pro impedimento dirimente, cùm Sacramentum Pœnitentiæ non conferat gratiam per modum generationis, sed per modum sanationis, vel revocationis ad vitam. Circumstantia filiæ confessionis valde quidem auget peccatum luxuriæ propter irreverentiam, quæ Sacramento infertur, atque probabiliter exprimenda in Confessione, ut docent multi cum S. Thoma 2. 2. *q. 154. a. 10. ad 2.* propriè tamen nec incestus nec adulterium est.

4 Sc. 3. Circa personas, quas impedimentum Cognationis Spiritualis afficit, discrimen esse inter Jus Antiquum & Novum. De Jure Antiquo oriebatur 1. inter baptizantem & baptizatum, confirmantem & confirmatum; item inter patrinos & baptizatum, vel confirmatum; & ista cognatio dicitur *paternitas*, quia baptizans, confirmans, patrini, quasi parentum loco, baptizatus verò, & confirmatus, filiorum loco habentur. 2. Inter baptizantem, confirmantem, patrinos ex una, & ex altera parte inter baptizati, vel confirmati parentes naturales; & hæc appellatur *compaternitas;* quia dictæ personæ sunt quasi cómpatres vel commatres respectu baptizati vel

com-

confirmati. 3. Inter uxorem baptizantis, & patrini, ac inter baptizatum; quæ eſt *paternitas indirecta:* item inter uxorem priùs carnaliter cognitam baptizantis, & patrini ex una, & ex altera parte inter baptizati parentes naturales, quæ eſt *compaternitas indirecta.* 4. Inter baptizatum, vel confirmatum, tanquam filios ſpirituales, & inter filios naturales ſeu carnales baptizantis, vel confirmantis, ſiquos habuit; qui cùm quaſi fratres efficiantur, cognatio hæc nuncupatur *fraternitas.* Habentur hæc *can. 5. cauſ. 30. q. 1. can. 1. ſeqq. q. 3. can. 1. 3. q. 4. c. 4. 6. 7. h. t. c. 1. eod. in 6.* De Jure Novo autem, ſcilicet Tridentini *ſ. 24. c. 2. de Ref. Matrim.* impedimentum Cognationis Spiritualis ſolùm contrahitur inter baptizantem & baptizatum, confirmantem & confirmatum, baptizatique, vel confirmati, patrem ac matrem: item inter patrinos, & baptizatum, vel confirmatum, baptizatique, vel confirmati, patrem & matrem: non verò ſe extendit ad uxorem, vel liberos carnales baptizantis: adeóque ſublata eſt *paternitas, & compaternitas indirecta*, atque *fraternitas*; licèt manſerit paternitas, & compaternitas *directa.* Unde nec Patrini inter ſe, neque cum baptizante contrahunt, impedimentum iſtud; cùm neque de Jure Antiquo cognatio ulla inter hos fuerit contracta: nec filius baptizantis aut patrini cum baptizata &c. quia hæc foret fraternitas, quæ eſt ſublata.

Sc. 4. *Patrinum* (& patrinam, vel potiùs *Matrinam*) dici, qui tenet, levat, ſuſcipit, vel ſaltem tangit eum, qui baptizatur, vel confirmatur, atque ſpondet (tacitè ſaltem) ſuſcipiendo, ſe habiturum paternam illius curam ſpiritualem, inſtruendo in rebus fidei, & Chriſtiana vita. *can. 105. d. 4. de Conſecr.* Unde etiam vocatur pater ſpiritualis, vel pædagogus hominis baptizandi, aut fidejuſſor. In baptiſmo ſolenni non poteſt omitti absque gravi peccato patrinus, tum propter præceptum Eccleſiæ, tum propter receptiſſimam totius Eccleſiæ conſue-

tudinem, atque communem ſenſum DD. contra Poſſevin. & Archang. De Jure Antiquo poterat adhiberi unus tantùm, ſive vir, ſive mulier. *can. 100. ſeq. d. cit. c. fin. h. t. in 6.* Utrùm verò vir, & non fœmina, in baptiſmo vel confirmatione maris, ac ſola fœmina in baptiſmo fœmellæ &c. adhiberi debeat, vel promiſcuè etiam vir apud fœminam, & viciſſim, rectè adhibeatur, diſputant DD. in utramque partem probabiliter; ſuadet tamen Gobat, ut Parochus ſe accommodet conſuetudini ſuæ diœceſis. In Baptiſmo ex conceſſione Tridentini *lo. cit.* licet adhibere unum & unam: in Confirmatione tamen tantùm unus vel una, non unus & una, adhiberi debet, ut tenet probabilior cum Suar. Palao, Barb. *de Offic. Epiſc. alleg. 30. n. 43.* quia Tridentinum, ubi *lo. cit.* correxit Jus Antiquum admittendo unum & unam, de ſolo Baptiſmo loquitur: lex autem correctoria Juris non eſt extendenda. Et licèt Trid. *v. ea quoque* extendat ſuum decretum etiam ad Confirmationem; ibi tamen ſolùm de perſonis cognationem ſpiritualem contrahentibus agit, non de numero Patrinorum. Ut autem aliquis ritè ac validè obeat munus Patrini, requiritur 1. ut Baptiſmus, vel Confirmatio, adminiſtretur revera ac validè: unde ſi infans propter periculum fuit baptizatus domi privatim, poſtea verò in Eccleſia ſupplentur ceremoniæ, & inter has etiam adhibetur, qui teneat infantem, non contrahit iſte cognationem ſpiritualem; quia per ſolas ceremonias non regeneratur ſpiritualiter infans. Probabiliùs etiam non contrahit, qui tenet baptizandum &c. ſi baptiſmus ſub conditione tantùm confertur, adeóque dubium eſt, utrùm revera conferatur. 2. Ut verè ac phyſicè vel levet, teneat, & quaſi ſuccollet, aut immediatè ſuſcipiat de manu baptiſtæ eum, qui baptizatur, vel ſaltem tangat propriis manibus baptizandum aut confirmandum, non obiter & momentaneè digitô v. g. ſed ita, ut tactus poſſit vocari *tentio, apprehenſio, ſuſceptio, levatio* ex ſacro fonte &c. licèt baptizetur, adultus:

id

id enim ſignificant verba, *ſuſcipit, accipit, tenet, levat, tangit*, quibus utuntur *citt.* Jura. non tamen eſt neceſſe, ut tactus fiat immediatè in corpore nudo, modò fiat ſuper veſtes, vel in quodam linteo, vel diſco. 3. Ut patrinus, vel matrina (vel uterque in Baptiſmo, ſi duo adhibentur) priùs deſignetur, nempe à parentibus, vel illis, qui baptiſmum procurant: in horum defectu à Parocho (in Confirmatione ab Epiſcopo) Trid. *lo. cit.* quamvis hæc deſignatio multis videatur non eſſe abſolutè neceſſaria: utrùm verò, ſi plures, quàm unus, vel unus & una, deſignarentur a parentibus, ij omnes contrahant cognationem ſpiritualem, item an, ſi nullus ſit deſignatus, unus tamen nihilominus vel plures tangerent, iſti eandem contrahant, dicemus infrà. Cœterùm non legitur prohibitum, quò minùs duo invicem poſſint eſſe patrini, & ſibi mutuò proles levare ex ſacro fonte; imò id praxis habet; in his tamen oritur duplex compaternitas ratione utriusque prolis. 4. Ut patrinus habeat intentionem faciendi, quod inſtituit Eccleſia, vel ſuſtinendi munus patrini ſeu patris ſpiritualis, ut docet communis & probabilior cum Sanch. *l. 7. d. 58. n. 4.* quia ſine hac non formaliter agit patrinum: unde tenens eum, qui baptizatur, ne cadat in terram, vel ut commodiùs poſſit peragi baptiſmus, non contrahit cognationem ſpiritualem. 5. Ut ipſe ſit priùs baptizatus, vel, ſi teneat confirmandum, ſit priùs confirmatus, ut habet communis; cùm ſit abſurdum, ut aliquis ſit pater ſpiritualis, qui tamen ipſe necdum eſt natus ſpiritualiter. His præmiſſis ulteriùs

De Impedimento Cognationis Spiritualis.

Dico 1. Cognatio Spiritualis dirimit Matrimonium 6
contrahendum hodie tantùm inter baptizantem, confirmantem, & patrinos ex una, ac inter baptizatum & con-

firmatum, hujúsque patrem & matrem, ex altera parte. Trid. *ſ. 24. c. 2. de Ref. Matr.* ubi reſtrictum eſt Jus Antiquum, utì notavimus *n. 4.* Dixi, *contrahendum*; nam ſemel contractum non dirimit, ut ſi maritus baptizet vel levet propriam prolem, ex ſua uxore natam; cùm tamen alias inter baptizantem vel patrinum, ac inter baptizati matrem oriatur hoc impedimentum. Sed hinc

7 Quæres, an, ſi maritus baptizet propriam ſobolem, vel levet, non ſaltem contrahat cognationem ſpiritualem cum ſua uxore ita, ut privetur jure petendi debitum conjugale, vel liberetur obligatione reddendi? Idem eſt, ſi viciſſim uxor baptizet vel levet propriam ſobolem. R. 1. Si id faciat in caſu neceſſitatis, quo alius baptizans, vel patrinus commodè haberi nequit, certò non contrahit, ut habet communis ex *can. 7. cauſ. 30. q. 1.* quia talis laudabiliter agit. Idem eſſe ajunt, ſi ex probabili ignorantia Juris vel facti faciat. Ratio; quia quatenus privaretur jure petendi, eſſet pœna, quæ, præſertim ſi privet jure jam quæſito, ab ignorante non incurritur: quatenus verò liberaretur ab obligatione reddendi debitum, id cederet in præjudicium conjugis innocentis. Si verò non ex propria uxore, ſed ex perſona ſoluta, vel concubina natam ſobolem baptizaret vel teneret pater, contraheret certò impedimentum dirimens Matrimonii cum tali fœmina, baptizatæ prolis matre, juxta Trid. *loc. cit.* R. 2. Etſi extra caſum neceſſitatis baptizet, vel levet, prolem ex propria conjuge natam, ſive ſcienter ſive ignoranter, probabiliùs tamen nec privatur jure petendi debitũ conjugale, nec liberatur ab obligatione reddendi. Ita Suar. Amadæus Guimenius, Gaſp. Hurtad. Maſtr. *de Matrim. n. 539.* Zœſ. *h. t. n. 9.* Corvinus *lib. 2. Jur. Canon. tit. 13.* P. Krimer *lib. 4. Decretal. n. 1110. & 1116.* & alii, contra æquè multos, imò plures, inter quos eſt S. Thom. Sanch. Tann. Laym. Barb. Vallenſ. Pirh. Gonzal. Engel, Sporer &c. Prob. 1. ex *c. 2. h. t.* ibi: *nobis videtur*, ait Pontifex, *quòd, ſive ex ignorantia, ſive*

ſive ex malitia id fecerint (vir, vel mulier) *non ſunt ab invicem ſeparandi, nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci: quia, ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari vel dolus.* Rubrica autem hujus *c.* ſic habet: *compaternitas ſcienter vel ignoranter ſuperveniens inter conjuges conjugium non diſſolvit*, ſcilicet quoad petitionem & redditionem debiti. Conſonat *c. 5. eod.* & *can. 5. cauſ. 30. q. 1.* ibi: *ſi autem conjuges legitimi, unus, aut ambo, ex induſtria fecerint, ut filium ſuum de fonte ſuſciperent, ſi innupti permanere voluerint, bonum eſt; ſin autem, gravis pœnitentia inſidiatori injungatur, & ſimul maneant:* ergo manet jus petendi debitum, & obligatio reddendi. Prob. 2. privatio juris petendi debitum eſt pœna, & liberatio ab obligatione reddendi illud ſtudiosè quæſita per baptizationem vel levationem propriæ ſobolis cedit in grave præjudicium innocentis conjugis: ſed pœna non debet aſſeri ſine claro & expreſſo textu juris, nec præjudicium inferri innocenti absque urgente cauſa, cujusmodi hìc non reperitur: ergo. Prob. 3. Foret periculum incontinentiæ clarum & propinquum inter conjuges, qui cohabitare debent absque jure petendi, & obligatione reddendi debitum: ergo absque claro jure & urgenti cauſa non debet aſſeri hæc privatio, & deobligatio.

Oppones 1. Ex *can. 1. 2. 3. q. cit.* eruitur, quòd conjuges levantes vel baptizantes propriam ſobolem ſeparari, & à communi thoro removeri debeant, ſaltem ſi id faciant cum conſenſu mutuo, vel unius ſaltem, & extra neceſſitatem: ergo privantur jure petendi debitum. 2. Qui absque neceſſitate baptizat vel levat ſuæ conjugis prolem ſcienter, peccat graviter: ergo contrahit impedimentum cognationis ſpiritualis, quantùm poteſt: ſed quoad privationem juris petendi debitum contrahere

potest: ergo. 3. Impedimenta, quæ, si antecedunt, dirimunt Matrimonium contrahendum, privant jure petendi debitum, si superveniunt jam contracto, uti patet in Affinitate, orta ex copula mariti cum consanguinea suæ uxoris; & in voto solenni, quod quis edit post contractum jam Matrimonium: atqui cognatio spiritualis, si antecedat Matrimonium, dirimit illud: ergo, si supervenit, privat saltem jure petendi debitum. R. ad 1. *transf. Ant.* nam ferè solùm à contrario eruitur, quod argumentum non adeò firmum est, præsertim ubi de gravi pœna, & periculo propinquo peccati inducendo agitur. N. *Cons.* licèt enim de Jure Antiquo fuisset statuta privatio juris petendi debitum, illud tamen correctum est per *c.* 2. & *rubr. cit. c.* 5. & *can.* 5. *citt.* ut agnoscit ipse Sanch. adversarius *l.* 9. *d.* 26. *n.* 7. Ad 2. *C. Ant.* imò & *Cons.* sed *dist. subsumpt.* quoad privationem juris petendi debitum contrahere potest, vel potiùs posset, nisi Jus in *c.* 2. *cit.* noluisset contrahi. *C.* Si noluit contrahi, uti revera noluit. *N. subsumpt.* Imò, licèt nascatur cognatio spiritualis inter talem maritũ & uxorem, eâ tamen de Jure Moderno non habet vim privandi jure debitum conjugale petendi, minùs dissolvendi Matrimonium contractum. Ad 3. *dist. Ma.* privant jure petendi debitum, si id Jure claro est expressum, uti de Affinitate dicta expressum est in *c.* 1. & 4. *de eo, qui cognovit.* & de Voto solenni in *c.* 3. & 12. *de Convers. conjug.* tunc *C. Ma.* si id claro Jure non est expressum. *N. Ma.* Moderno Jure potiùs contrarium videtur statutum de Cognatione Spirituali.

9 Dico 2. Etiam privatim & in necessitate baptizans, sive Laicus sit sive Clericus, contrahit impedimentum cognationis spiritualis. Adeoque istud oritur non tantùm ex baptismo solenni, sed etiam privato, respectu baptizantis. Communissima contra pauculos apud Sanch. *l.* 7. *d.* 62. *n.* 10. Prob. 1. Quia Jura indiscriminatim, non distinguendo inter baptismum solennem & privatum, in-

vel

Digitized by Google

vel extra necessitatem collatum, statuunt impedimentum cognationis spiritualis. 2. Ratio Juris, quòd nimirum in baptismo fiat generatio spiritualis, æquè reperitur in baptismo non-solenni, ac in solenni. 3. Si cognatio tantùm ex baptismo solenni oriretur, frustra ferè esset hoc impedimentum statutum respectu baptizantis; nam ferè solus Sacerdos, qui ratione voti solennis jam est inhabilis ad omne Matrimonium, est minister baptismi solennis. Oppones 1. In *c. fin. h. t.* ubi statuitur impedimentum cognationis spiritualis, est sermo de sacerdote baptizante, qui non aliter quam solenniter de via ordinaria baptizare solet: ergo laicus, & non-solenniter baptizans, illud non contrahit. 2. Pater propriam sobolem suæ uxoris in necessitate & privatim baptizans non incurrit impedimentum cognationis, uti paulò antè docuimus: ergo nec alius privatim aut in necessitate baptizans. 3. Iniquum videtur, ut quis propter actum laudabilem, & præceptum, qualis est collatio baptismi in necessitate, privetur jure contrahendi Matrimonium cum prole baptizata, vel ejus matre, & sic quasi puniatur, per *can. 7. cit.* ergo. R. ad 1. Ibi fit mentio sacerdotis narrativè tantùm & occasione facti, non dispositivè, & per modum Juris. Ad 2. Imprimis non negavimus, cognationem spiritualem contrahi à tali patre, sed impedimentum, quo privetur jure petendi debitum, negavimus cum *c. 2. h. t.* Dein *N. Cons. & parit.* nam privatio debiti est pœna, impedimentum cognationis spiritualis est tantùm inhabilitas, quæ absque omni culpa, imò ex actu laudabili, incurri potest, uti patet in irregularitate, quam incurrit Judex aliquem damnans ad mortem. Dein facilius aliquid futurum, ne acquiratur, impeditur, quam tollatur jus jam quæsitum certum, quale est jus petendi debitum in conjuge. Ad 3. *N. Ant.* pro casu, quo aliquid à Jure claro statuitur, & quidem ut inhabilitas, non ut pœna, uti constat in priori exemplo de Judice: Jus autem clarè statuit sine ulla distinctione in-

pueros octennes, & puellas novennes, non habendos esse pro doli capacibus, & aptis ad munus patrini, si dubium sit de sufficienti usu rationis. Dixi 1. *regulariter*; nam sine peccato munus patrini suscipere non posse Monachos, & probabiliter etiam alios Religiosos, nisi justa causa id exigat, censet cum communiori Laym. & Pirhing *h. n. 34.* propter *can. 103. seq. d. 4. de consecr.* ne illis detur occasio dissolvendæ disciplinæ Religiosæ per crebra colloquia cum compatribus & commatribus. Nec admittendi sunt infames & criminosi, consequenter nec excommunicati, & interdicti. Krimer *h. n. 1108.* cum Laym. Dixi 2. *Catholicus:* unde hæretici validè quidem, quia baptizati sunt, adhibentur in baptismo, sed regulariter illicitè. Dian. Gob. Tanner. Laym. quia indecens videtur ad hanc sacram ceremoniam adhibere hæreticum, & inconveniens ex eo etam capite, quòd officium patrini sit instruere baptizandum in Fide Catholica, ac pro eo sponsionem facere. Si tamen gravis causa seu necessitas postularet, posset hæreticus, qui à parentibus est designatus pro patrino, admitti licitè. Dian. Laym. Gob. Palao, Pirh. *n. 42.* ut si alias gravis offensa, & dissensio inter familias timeretur, vel infans aliàs domi absque patrino baptizari deberet cum aliorum scandalo &c. præsertim ubi praxis habet, ut tam hæretici in baptismo Catholicorum, quàm Catholici in baptismo hæreticorum adhiberi soleant, utì fit quandoque, ubi utriusque Religionis homines in eadem civitate immixti commorantur. Nec obstat, quòd patrini aliàs sit instruere baptizatum in fide, & id spondeat; quia hæc instructio non ampliùs à patrinis, sed à parentibus, pædagogis, Catechistis fieri consuevit. Nec solent ab istis hæreticis ita immixtis rideri ceremoniæ Baptismi Catholici. Adhuc facilius potest permitti, ut Catholicus patrinum agat in baptismo ab hæreticis collato, maximè ubi usus sic habet, utì v. g. Augustæ Vindelicorum, & in Germania, ubi hæretici sunt tolerati, cum qui-

quibus communicare licet. Gob. *tr.* 2. *n.* 565. Arsdekin &c. Nec talis actus est professio alterius fidei, cùm baptismus quoad substantiam sit Catholicus, & assistentia per se sit opus pium. Hucusque locuti sumus de patrino baptismi; nam in Confirmatione nec validè patrinos agunt hæretici, quando ipsi non sunt confirmati, uti ordinariè non sunt. per *can.* 102. *d.* 4. *cit.*

82 Quæres, an infideles non-baptizati, uti Judæi, Turcæ, Gentiles &c. validè agant patrinos in baptismo, & cognationem spiritualem contrahant, si baptizatum levent? R. cum S. Th. & communi contra *gl. in can. cit.* Sot. & Henriq. negativè. Sumitur ex *can. cit.* ibi: *in baptismate, vel chrismate* (Confirmatione) *non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus vel confirmatus.* Ratio est, quia sicut non habens vitam carnalem nequit esse cognatus carnaliter, ita nec habens vitam spiritualem Christianitatis potest esse cognatus spiritualiter & Christianè. Accedit, quòd tales infideles legibus Ecclesiæ non subsint. Oppones 1. Si infidelis baptizet ritè prolem sive Catholici sive Ethnici, valet baptismus, & contrahit cum baptizata cognationem spiritualem: ergo etiam si illam levet ritè & cum debita intentione. 2. Baptizatus ab infideli verè accipit esse spirituale: ergo verè fit filius spiritualis baptizantis: ergo & levantis. R. ad 1. Baptismus quidem valet; at cognatio spiritualis non contrahitur; quia in subjecto baptizante non est capacitas contrahendi cognationem spiritualem, licèt adsit capacitas conferendi baptismum: quia verò in levante etiam deest capacitas levandi debitè, nec validè agit patrinum, nec spiritualem cognationem consequenter contrahit, cujus nec alibi est capax. Ad 2. Non satis est ad cognationem accipere esse ab alio, sed oportet accipere à principio vivente simili in natura. Cæterùm baptizans, vel levans prolem infidelis parentis, nec ipse contrahit cognationem cùm parente; quia cognatio est relatio mutua, consequen-

ſequenter ſi in uno non oriatur, nec in altero orietur. Neque contrahetur, ſi poſtmodum & parens baptizetur, quia baptiſmus tanquam cauſa non ampliùs exiſtit tunc, adeóque nihil operari valet.

Dico 4. Si plures, quàm unus & una, à parentibus vel parocho deſignati, tangant vel levent baptizatum, illi non contrahunt cognationem ſpiritualem. 2. Si verò nullus per errorem fuit deſignatus, probabiliter omnes, quotquot tangunt, vel levant, eandem contrahunt, præſertim ſi non conſtet, quis eorum primus tetigerit. Pars prior habetur expreſsè in Trid. *ſ. 24. c. 2. de Ref. Matrim.* ubi correctum eſt Jus Antiquum *c. fin. h. t. in 6.* vi cujus, licèt unus vel una tantùm, tam in Baptiſmo quàm in Confirmatione, debuerit eſſe patrinus vel matrina, omnes tamen, ſi plures acceſſerint & tetigerint, cognationem ſpiritualem contraxerunt. Si tamen plures fuiſſent deſignati, pariter omnes contraherent vi Trident. ut docet Barb. Sanch. Reiffenſtuel *h. n. 20. 21.* contra multos: quamvis enim Trid. vetuerit plures deſignari quàm unum & unam in baptiſmo, tamen non irritavit factum plurium, ſi plures fuiſſent deſignati, ſaltem ſi ſimul ſuſcipiant ſeu levent. Poſterior colligitur ex *c. fin. cit.* quod à Tridentino correctum videtur tantùm pro caſu, quo patrini & matrinæ deſignatio aliqua facta eſt. Navar. Tanner. Palao, Barb. Laym. Pignat. *to. 7. Conſult. 93. n. 6. 7.* Oppoſita tamen ſententia, quòd tali caſu nullus contrahat cognationem, quam tenent Sanch. Conink, Gobat, Maſtrius, Gonzal. *in c. fin. cit. n. 7.* ferè eſt æquè probabilis; quia Tridentinum videtur tanquam formam ad hoc, ut quis validè agat patrinum, requirere deſignationem, & intendit vitare multiplicationem patrinorum, ac indè conſequentium cognationum. Oppones contra prioris partis appendicem, ubi diximus, caſu quo plures eſſent deſignati, omnes cognatione ſpirituali affici: Tridentinum voluit reſtringere multitudinem patrinorum, & ideo voluit tantùm deſignari unum, 12

ri unum,

ri unum, & ad ſummum unum & unam : ergo deſignationem unius, vel ad ſummum duorum ; voluit valere : ergo deſignatio plurium eſt irrita. R. prohibuit quidem deſignari plures , plurium tamen deſignationem non irritavit, quia per clauſulam irritantem affecit ſolùm illos, qui non deſignati ultra deſignatos accedunt & pro patrinis ſe intrudunt; ſic enim habet : *quodſi alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint , cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant.* En! clauſula irritans tantùm cadit ſuper illos, qui non ſunt deſignati, & *ultra* deſignatos accedunt.

14 Dico 5. Siquis levet baptizatum vel confirmatum per Procuratorem (quod fieri poſſe hodierna praxis tolerata apud Magnates demonſtrat) non procurator, ſed ſolus conſtituens procuratorem, ſeu principalis contrahit cognationem ſpiritualem. Ita verior cum Abb. *in c. 6. h. t. n. 4.* Nav. Laym. Leſſ. Gob. Barb. Clericat. *de Matrim. deciſ.* 23. *n. 8.* qui refert, ſic eſſe reſolutum à S. Congreg. ann. 1582. contra Francum , qui eam à ſolo Procuratore, & contra Joan. Andr. aliósque à Sanch. *l. 7. d. 59. n. 10.* citatos, qui ab utroque, procuratore & principali; putant contrahi. Prob. 1. Quando quis per Procuratorem contrahit Matrimonium , ſolus ipſe, & non procurator, fit conjunx, & contrahit indè ortum impedimentum publicæ honeſtatis : ergo etiam ſolus principalis, non procurator, verè fit patrinus, & contrahit cognationem ſpiritualem. 2. Si principalis non fieret verè patrinus, nullus in tali Baptiſmo, vel Confirmatione, adeſſet Patrinus ; quia procurator nec levat aut tangit ſuo , ſed alieno nomine , nec actus operantur ultra intentionem agentium : atqui non eſt credibile , quòd Eccleſia in caſu, quo quis per procuratorem levat baptizatum &c. permittat Baptiſmum ſolennem adminiſtrari ſine omni vero patrino : ergo. 3. Quod quis facit per alium, facere cenſetur per ſe ipſum. *c. 68. c. 72. de R J.*

in

in 6. ergo principalis censetur re ipsa & in æstimatione morali levare, si sibi substituit procuratorem.

Oppones 1. Jura requirunt contactum physicum baptizati vel confirmati, ut censeatur officium patrini ritè peractum. *can. 7. caus. 30. q. 1.* ibi: *propriis manibus retinendo suscepisset.* item *c. 1. h. t. in 6.* &c. at principalis, per procuratorem levans, non tangit baptizatum, vel confirmatum, physicè, sed moraliter tantùm & per alium. 2. Procurator substitutus à parocho baptizans aliquem contrahit cognationem spiritualem, & non parochus substituens: ergo etiam non contrahit substituens procuratorem ad levandum. 3. Si cognationem non contraheret procurator, sed principalis eum constituens, tunc si aliqua communitas substitueret procuratorem, vel tota communitas eam deberet contrahere; quod dici nequit, cùm sit persona ficta: vel singuli de communitate; quod est contra Tridentinum, plures quàm unum & unam non admittens, imò licèt plures designarentur, non tamen contraherent, nisi actu tenerent & levarent: vel nullus; quod videtur contrarium menti Ecclesiæ, non permittentis solennem celebrari baptismum sine patrino: ergo non principalis, sed procurator contrahit cognationem spiritualem. R. ad 1. *dist. Ma.* requirunt contactum physicum, vel à principali vel ab ejus procuratore exercendum. *C. Ma.* necessariò ab ipso principali. *N. Ma.* sicut v. g. si emptor ædium constituat procuratorem ad capiendam illarum possessionem per physicum ingressum, vel physicam receptionem clavium, ipse fit possessor, non procurator, licèt actionem physicam pro transferenda possessione necessariam per alium posuerit. Cur ergo patrinus fieri, & cognationem spiritualem contrahere per procuratoris ministerium non possit principalis, cùm id nullo Jure prohibeatur? Aliud est de cognatione legali, utpote quam Jus per procuratorem contrahi expressè vetat. Ad 2. *N. Cons. & parit.* quia qui substitutus ab alio baptizat, licentiam quidem & commis-

sio-

sionem accipit ab alio, baptismum tamen non illius nomine ministrat, & ut ejus procurator, sed nomine & auctoritate Christi, cujus agit Ministrum nomine proprio: econtra procurator, ad tenendum vel levandum ab alio constitutus, constituentis tantùm nomine & auctoritate agit. Breviter: Minister Sacramenti semper illud conficit nomine Christi, non alicujus hominis: at verò patrinus agit nomine proprio, & hinc ejus nomine agit quoque procurator, siquem substituit. Ad 3. rectè probatur, quòd neque communitas quà talis, neque singula illius membra contrahant cognationem in dicto casu. Igitur ne nullus adsit patrinus contra SS. Canones, vel nunquam eligenda in patrinum est integra communitas, vel, si eligatur, constitui ab illa debet unus aliquis determinatus, qui nomine suo teneat vel levet baptizatum, licèt jussu communitatis.

TITULUS XII.

De Cognatione Legali.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid & quotuplex sit Adoptio, ex qua oritur Cognatio Legalis.*
3. *Quid sit Cognatio Legalis, & quotuplex.*
4. *Non solùm Paternitas & Fraternitas Legalis, sed etiam Affinitas Legalis dirimit Matrimonium.*
5. 6. *At non nisi orta sit ex Adoptione perfecta, seu ex Arrogatione.*
7. *Quousque duret impedimentum Cognationis Legalis.*

SCiendum 1. Sicut per collationem & susceptionem Sacramentorum Baptismi & Confirmationis fundatur

tur ex disposítione Juris Canonici aliqua cognatio, quæ *Spiritualis* dicitur, inter certas personas dirimens Matrimonium, ita per *Adoptionem*, saltem perfectam, ex dispositione Juris Civilis originaliter, approbati postea à SS. Canonibus, fundari aliquam cognationem, quæ *Legalis* appellatur; utpote primitus inducta à Legibus. Porro *Adoptio*, in qua fundatur cognatio hæc, in genere sic definitur: est *actus legitimus, quo persona extranea in filium vel filiam, nepotem vel neptem assumitur.* Quoad rem communis cum S. Thoma *in Supplem. q. 57. a. 1. in C. & in 4. d. 42. q. 2. a. 1.* Sumitúrque ex *l. 1. l. 11. &c. ff. de Adoption.* vi quarum assúmpti taliter habentur perinde, ac si ex propria uxore essent procreati. Per *extraneam personam* intelligitur, quæ in adoptantis patria potestate, seu filius aut filia, nepos aut neptis, non est. Per tò *legitimus* verò, quòd adoptio fieri debeat secundùm Leges, & à Legibus inventa sit. Forma à Legibus præscripta, sine qua adoptio non valet, requirit sequentia. 1. Ut adoptans sit sui juris (nempe non constitutus ipse in patria potestate) & major 25. annis; quia alias non haberet administrationem suorum bonorum, ut notant DD. passim. 2. Ut adoptatum excedat ætate ita, ut ejus pater naturalis esse posset, scilicet plena pubertate, h. e. 18. annis. 3. Ut ex natura sua sit potens ad generandum: quo pacto non excluditur Clericus voto solenni castitatis ligatus; quia is tantùm per accidens & moraliter, non physicè, est inhabilis ad generandum. 4. Ut sit mas; nisi fœmina, in cujus potestate Juridica nec naturales sunt liberi, specialiter ad id habilitetur à Principe. 5. Ut persona adoptata sit præsens adoptanti, & in adoptionem consentiens; nec enim per procuratorem fieri potest. 6. Ut accedat authoritas Principis, vel Magistratûs inferioris, præcedátque cognitio causæ &c. Vid. §. 3. 4. 9. 10. *Instit. l. 2. 24. 25. ff. l. 1. & fin. C. de Adoption.* Unde pro adoptato; consequenter pro legaliter cognato, habendus non est, qui

ab aliquo ſine authoritate Principis vel Magiſtratûs, aut absque prædicta forma, tanquam filius ex miſericordia aſſumitur in ædes, & alitur, qui propriis parentibus deſtitutus eſt.

2 Sc. 2. Adoptionem dividi in perfectam, & imperfectam. *Perfecta*, quæ *Arrogatio* dicitur, eſt actus legitimus, quo paterfamilias, ſeu qui ſui juris eſt, authoritate vel Reſcriptô Principis ita aſſumitur in filium, nepotem &c. ut tranſeat in poteſtatem & familiam adoptantis, illiúsque etiã in teſtamento hæres neceſſarius efficiatur, non minùs ac filii naturales. §. 3. *cit. & l.* 2. *C. eod.* *Imperfecta*, quæ etiam *Simplex* appellatur, aut *Adoptio in ſpecie*, eſt actus legitimus, quo filius familias, ſeu qui ſui juris non eſt, ſed patriæ poteſtati ſubjectus, authoritate inferioris Judicis in filium &c. aſſumitur ita, ut non tranſeat in poteſtatem familiámque adoptantis, ſed maneat quidem adhuc in patris ſui poteſtate, jus tamen ſuccedendi ab inteſtato acquirat. §. 1. 2. *Inſt. eod.* Differunt inter ſe 1. quòd arrogatio fiat ſolius Principis, adoptio verò ſpecifica cujusque Judicis imperium ſaltem mixtum habentis authoritate. 2. Quòd arrogari nequeat, niſi qui eſt ſui juris, adoptari verò poſſit, qui non eſt ſui juris. 3. Quòd arrogatus tranſeat in poteſtatem arrogantis inſtar filii naturalis, ſimpliciter adoptatus non tranſeat, niſi adoptetur ab avo paterno vel materno &c. Adoptioni in Germania non multùm abſimilis eſt *Unio* prolium, Einkhindtſchafft/Erb-Verbrüderung / quô ex pacto parentum liberi ex diverſo Matrimonio nati ita parificantur, ut æqualiter ac ſimul ſuccedant in bonis paternis ac maternis, v. g. ſi viduus & vidua, ambo liberis prædiți, contrahant Matrimonium, & dicto modo parificent utriusque Matrimonii liberos. Non eſt vera adoptio, à Jure approbata, nec tam conjunctio perſonarum quàm bonorum. Cœterùm Adoptio ſolvitur 1. Morte naturali, imò & civili adoptantis. 2. Per ſententiam. 3. Per emancipationem

rem &c. Raræ quidem hoc tempore ſunt adoptiones, tam imperfectæ, quam perfectæ, conſequenter rarò contrahitur impedimentum cognationis Legalis; nihilominus tamen illud ſcire oportet. Unde

Sc. 3. Cognationem Legalem ſic deſcribi: *eſt propinquitas perſonarum ex adoptione proveniens.* Dividitur in tres ſpecies, per quas deſignantur perſonæ, inter quas contrahitur. *Prima* eſt quaſi in linea recta, & vocatur *paternitas*, afficitque adoptantem & adoptatum, ac deſcendentes ex adoptato filio (non filia) in ejus poteſtate exiſtentes. *Secunda* eſt quaſi in linea laterali ſeu transverſa, dicitúrque *fraternitas*, & reſpicit adoptatum, atque liberos (ac deſcendentes) naturales & legitimos adoptantis, ejúſque poteſtati patriæ ſubjectos. *Tertia* eſt quaſi *affinitas*, ac intercedit inter adoptantem, uxorémque adoptati, & viciſſim inter adoptatum, uxorémque adoptantis. Habentur hæc §. 1. 2. *Inſt. de Nupt. l.* 14. 17. 55. *ff. de Ritu Nupt.* Ultra has ſpecies, & lineas ſe non extendit cognatio Legalis. Porro ſicut adoptio, ita ex ea reſultans cognatio Legalis, non eſt Jure Naturali introducta, ſed primitus Legibus & Jure Civili, poſtmodum verò à SS. Canonibus recepta *can. 1. 5. cauſ.* 30. *q.* 3. *Rubr. & c. unic. t.* ita ut impedimentum dirimens Matrimonii conſtituat inter dictas perſonas, ut videbimus. His proin notatis

De Impedimento Cognationis Legalis

Dico 1. Non tantùm paternitas & fraternitas Legalis, ſed etiam affinitas Legalis dirimit Matrimonium contrahendum inter dictas perſonas. De paternitate & fraternitate conſtat ex apertis textibus in *can.* 1. 5. & *c. unic. citt.* De affinitate autem communiter DD. affirmant cum Hoſtienſ. *in c. cit. n.* 3. Sanch. *l.* 7. *d.* 63. *n.* 12.

seqq. (contra paucos ab Hoſt. allegatos) id deſumentes ex generalitate *canon. 1. cit.* omnem cognationem ex adoptione provenientem à Jure Civili introductam approbantis ſine diſtinctione inter affinitatem Legalem, & paternitatem ac fraternitatem.

5 Dico 2. Sola illa cognatio Legalis, quæ oritur ex Arrogatione, ſeu adoptione perfecta, non verò quæ oritur ex imperfecta, ſeu adoptione ſpecifica, probabiliùs inducit impedimentum dirimens Matrimonii. Ita Sanch. *n. 9.* Henriq. Tanner. Laym. Conink. Perez, Pirhing, Wieſtner &c. contra *gl. in c. un. cit.* Panormit. Pont. Barb. Guttierez, Maſtrium (& hoc teſte omnes Scotiſtas) *de Matr. n. 471.* Prob. 1. Impedimentum hoc, ſicut alia, non debet aſſeri ſine claro textu: ſed textus Juris Civilis, quos approbat Jus Canonicum, loquuntur clarè tantùm de Arrogatione, cognationem Legalem fundante. *l. 14. 17. & 55. citt.* non verò clarè de Adoptione ſimplici: ergo. Confirm. ſecundùm Leges non contrahitur cognatio Legalis ab adoptato cum filiis naturalibus illegitimis adoptantis: ſed hujus rei ratio alia dari non poteſt, quàm quòd proles illegitimæ non ſint ſub patria poteſtate: ergo cognatio Legalis non contrahitur, niſi adoptatus tranſeat in poteſtatem adoptantis, qui tranſitus fit per ſolam arrogationem, non per adoptionem ſimplicem. 2. Sola arrogatio, non verò adoptio ſimplex, eſt ſtrictè & propriè dicta adoptio, ut docet S. Th. *Supplem. q. 57. a. 1. ad 1.* & ſumitur ex *pr. Inſt. de adopt.* quia per adoptionem ſimplicem adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, nec fit ejus hæres neceſſarius, adeóque non niſi umbram filiationis habet: ſed impedimentum Matrimonii, valde favorabilis in Jure, utpote odioſum non debet extendi ad impropriè dictam adoptionem: ergo. 3. Impedimentum cognationis Legalis ideo eſt introductũ, ut impediantur fornicationes inter in eadem familia & domo cohabitantes, & quia filii adoptivi gerunt ſimilitudinem cum naturalibus legitimè na-

Digitized by Google

natis : ſed utraque ratio ceſſat in adoptione ſimplici ; quia ſimpliciter adoptati non traducuntur in familiam & domum adoptantis ; nec ſimilitudinem propriè habent cum liberis adoptantis naturalibus legitimè natis, cùm in patriam ejus poteſtatem non redigantur , nec fiant hæredes neceſſarii : ergo.

Oppones 1. Leges non diſtinguunt inter adoptionem perfectam & imperfectam , quando cognationem Legalem ſtatuunt : ergo nec nos debemus diſtinguere. 2. Adoptio ſimplex, quamvis ſit imperfectior arrogatione ; tamen adhuc propriè dicta adoptio eſt , quia adoptio in genere, & propriè dicta, in §. 1. *Inſt. de Adopt.* dividitur in arrogationem & adoptionem ſimplicem : ergo. 3. Conſanguinitas lineæ transverſæ eſt vera conſanguinitas, & dirimens Matrimonium , licèt ſit minùs perfecta, quàm conſanguinitas & cognatio lineæ rectæ : ergo etiam cognatio ex adoptione ſimplici orta dirimit Matrimonium, licèt ſit minùs perfecta, quàm quæ oritur ex arrogatione. 6

R. ad 1. Licèt Leges explicitè non diſtinguant , ratio tamen Legum, ob quam hoc impedimentum ſtatutum eſt, ſatis diſtinguit , utì & praxis, de qua teſtantur DD. ac horum communis ſenſus. Ad 2. *N. Ant.* ex illa diviſione adoptionis in arrogationem & adoptionem ſimplicem non probatur, quòd utraque ſit propriè dicta ; nam non omnis diviſio eſt neceſſariò univoca , ſed ſæpe datur analoga. Dein etſi permitteretur , quòd ſit propriè dicta ; de ea tamen non ſunt intelligendæ Leges, hoc impedimentum ſtatuentes. Ad 3. *N. Conſ. & parit.* pro conſanguinitate lineæ collateralis pugnant clari textus Juris, non item pro cognatione orta ex adoptione ſimplici.

Dico 3. Cognatio Legalis in linea recta, ſeu *paternitas*, dirimit Matrimonium probabiliter in infinitum. 2. In linea transverſa autem , ſeu *fraternitas* ſolùm quamdiu durat arrogatio , ſeu adoptio : eâ autem diſſolutâ ceſſat. 3. *Affinitas* verò non quidem ceſſat per ſolu- 7

tionem adoptionis, adeóque est perpetua, sicut paternitas, per *l.* 14. §. 1. *ff. de Ritu Nupt.* tamen probabiliter solùm usque ad 4. gradum dirimit. Pars 1. quam tenet Sanch. & alii, sumitur ex §. *Ergo non omnes. Inst. de Nupt.* ubi cognatio carnalis in linea recta dicitur dirimere Matrimonium in infinitum, ad cujus similitudinem introducta est cognatio Legalis, & a Jure ipsi limites & gradus non sunt positi. Pars 2. ex *l.* 17. *ff. de Rit. nupt. & c. un. h. t.* ubi clarè exprimitur. Pars 3. ex *c.* 8. *de Consang.* ubi pro consanguinitate (collaterali, uti suo loco dicemus) & affinitate carnali determinatur quartus gradus: de affinitate autem Legali nullus reperitur gradus determinatus: ergo. Alii tamen aliter sentiunt, & non eò usque extendunt. Non facilè occurret hujus rei usus.

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris sua, vel Sponsæ.

SUMMARIUM

1. 2. 3. *Affinitas tam illicita, de qua hic agitur, quàm licita non contrahitur nisi ex copula carnali perfecta. Et quid hæc sit.*

4. *Cognoscens carnaliter consanguineam Sponsæ, vel Sponsi, contrahit impedimentum Affinitatis dirimens cum consanguineis personæ cognitæ usque ad secundum gradum.*

5. *Cognoscens pariter consanguineam Uxoris, vel Mariti. Si id faciat scienter & liberè, etiam privatur jure petendi debitum conjugale.*

6. *Licèt ipsum probabilius excuset non tantùm ignoran-*

rantia Juris id prohibentis, sed etiam Juris hanc pœnam huic delicto annectentis.

7. *An satis probetur Affinitas orta ex copula illicita per confessionem complicum.*

SCiendum 1. Tertiam cognationis speciem, & propriis- 1
simam, esse *cognationem Carnalem*, seu *Naturalem*, quæ involvit *Consanguinitatem* & *Affinitatem*, in sequenti Titulo explicandas. In præsenti præmittitur *Affinitas ex copula illicita*, quam contrahit, qui carnaliter cognoscit consanguineam sponsæ suæ, vel uxoris. Siquis cognoscat consanguineam suæ uxoris, jam semel carnaliter cognitæ, committit verum incestum, & aliquo modo *affinis* efficitur suæ conjugis, ac ideo, licèt Matrimonium indè non dissolvatur, jure tamen petendi debitum conjugale propterea privatur, uti videbimus. Si verò tantùm sponsæ de futuro consanguineam cognoscat per copulam, non quidem propriè incestum committit, *affinis* tamen sponsæ ita efficitur, ut cum ea Matrimonium haud ampliùs absque dispensatione valeat contrahere, uti pariter explicabimus. Cœterùm quod in *Rubrica & textibus* hujus tituli dicitur, ac deinceps dicetur de viro consanguineam sponsæ suæ vel uxoris cognoscente, vice versa intelligendum quoque venit de fœmina, copulam habente cum consanguineo sponsi, vel mariti sui, ut habet communis cum Sylv. & Sanch. quamvis enim dicta Rubrica & textus loquantur de solo viro, quia tamen vir & uxor, sponsus & sponsa, sunt correlativa, & utrobique reperitur eadem Juris ratio, nimirum injuria per incestum cum consanguineo mariti illata Matrimonio, & violatio fidei per Sponsalia datæ sponso, ac insuper conjunctio carnis per copulam cum consanguineo mariti vel sponsi, ideo tota Juris dispositio, licèt odiosa, rectè extenditur ad fœminam quoque.

Sc. 2. Nullam *Affinitatem* Schwagerschafft / Ver- 4

Digitized by Google

ſchwägerung / oriri niſi ex copula carnali perfecta & conſummata, per quam vir & fœmina fiunt una caro, & unum corpus. *Mat. 19. v. 5. 1. Cor. 6. v. 16.* & per quam una cognatio ad alterius fines accedit. *l. 4. §. 3. ff. de Gradib. & affinib.* quo pacto propter communicationem ſanguinis duæ cognationes uniuntur, copulantur, & ſic *affines* efficiuntur, eò quòd ſanguis unius tangat ſanguinem alterius; quod fit non ſolùm per copulam conjugalem, ſed etiam fornicariam & illicitam, uti docent communiter cum *gl. in Arborem Affinit. cauſ. 35. q. 5.* ex *can. 11. q. 2. & 3. can. 1. q. 10. cauſ. cit. can. 18. cauſ. 27. q. 2. c. 3. de Sponſal. c. 5. de Digamis. c. 24. de teſtib. c. 6. h.t. Trid. ſ. 24. c. 4. de Ref. Matrim. l. 4. cit. et l. 4. C. de Nupt.* Et hinc plerique omnes, ſaltem quoad ſenſum, ſic definiunt Affinitatem; *eſt propinquitas perſonarum ex copula carnali proveniens*, ac proin ſatis indicant, eam non provenire ex ſolo Matrimonio Rato, aut juſtis Nuptiis; uti tamen inſinuare videtur *l. 4. de Grad. cit.* ſed ex copula, ſive illa in- ſive extra Matrimonium habeatur. Cùm itaque Affinitas nulla oriatur, niſi ex copula perfecta; ideo neceſſe eſt, ut tum ad hanc affinitatis; tùm ad alias materias adulterii, impotentiæ, conſummationis Matrimonii &c. ritè intelligendas aliquando explicetur, quid ſit copula perfecta, non obſtante, quòd verecundæ mentes vel cogitare, ne dum loqui vel ſcribere, de ea cohorreſcant. Igitur *copula perfecta* eſt illa, quæ de ſe apta eſt ad generationem prolis; licèt fortè per accidens, uti in ſterilibus, ſenibus &c. impediatur actualis generatio; in quo conveniunt facilè omnes: apta autem ad generationem eſt illa tantùm, in qua membrum virile penetrat vas muliebre, ac intra uterum effundit verum ſemen. Paulus Zacchias peritiſſimus Medicus in *Q. Q. Medico-Legalib. lib. 9. tit. 10. q. 1. à n. 7.* Videri etiam poteſt Sauch. *lib. 2. diſp. 21.* & Gobat *tr. 9. n. 390.* Utrùm verò neceſſe quoque ſit, ut & fœmina ſeminet, diſputant

DD.

DD. Negat S. Thomas, Aristoteles, & teste Gobat *tr. 9. n. 390. cit.* plerique Theologi: affirmant Medici, & inter hos Paulus Zacch. *l. 7. tit. 3. q. 1. à n. 16.* ex principiis Medicinæ fusè probat ac demonstrat, oppositam opinionem vocans hæresim Medicam. Perez, Præposit. Hurtad. Clericatus *de Sacram. Matrim. decis. 31. n. 6.* allegans quoque S. Thomam *3. p. q. 55. a. 4. ad 2.* qui etiam in *supplem. q. 56. a. 2. in C.* sic loquitur: *affinitas non contrahitur, nisi facta commixtione seminum, ex qua potest sequi generatio carnalis.* & alii Canonistæ, quibus & ego accedo propter textum in *can. 18. cit.* ubi non tantùm requiritur, ut talis sit copula, per quam vir & fœmina sint duo in *carne una*; sed etiam fiat *sanguinis commistio*, scilicet seminis utriusque, cùm *commixtio* non fiat seminante tantùm uno. Atque hæc sententia quandoque poterit prodesse Confessariis, qui interrogantur, utrùm Affinitas sit contracta, Matrimonium verè consummatum &c. Vid Gobat *n. 265. 391.*

Ex tradita doctrina, quam hìc ex necessitate breviter & distinctè posui, alibi non repetiturus, cùm hæc res castis animis sit admodum gravis, aliis autem periculosa, deduces, Affinitatem non oriri 1. per tactus quoscunque impudicos. 2. Ex pollutione seu effusione seminis extra vas mulieris naturale. 3. Ex copula attentata cum impubere &c. 4. Ex copula, in qua penetratur quidem vas, non tamen immittitur aut recipitur in utero semen à viro. 5. Ex copula spadonis, vel castrati, utroque testiculo carentis, quia hujùsmodi non habent verum semen. Ratio horum omnium est, quia talis actus vel copula non est apta ad generationem prolis. Nec obstat, quòd in *c. 3. de Sponsal.* insinuetur, per copulam attentatam productum fuisse impedimentum Matrimonii; quia non est sermo de impedimento affinitatis, sed publicæ honestatis, eò quòd attentatio contigerit inter Sponsos; cùm Sponsalia præsumantur fuisse ratificata per talem attentationem. Econtra oritur affini- 3

tas ex copula, quam pro perfecta & sufficiente ad generandum descripsimus, licèt occulta sit, vel habita cum fœmina dormiente, non advertente, invita, coacta, ebria, insana vel amente; quia sufficere de se posset ad generationem; licèt non sufficeret habita cum mortua. His præmissis

De Impedimento Affinitatis ex copula illicita.

Dico 1. Qui cognoscit consanguineam suæ sponsæ de futuro, contrahit impedimentum dirimens Matrimonii contrahendi cum consanguineis cognitæ de Jure Canonico. 2. Sed de hodierno solùm usque ad secundum gradum inclusivè. 3. Ùtì & qui copulam aliam illicitam exercet, v. g. incestuosam, adulterinam, sacrilegam. Ita Catholici omnes. Pars 1. habetur *c. 2. 8. & 9. h. t.* Pars 2. in Trident. *s. 24. c. 4. de Ref. Matrim.* ubi *impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione* (copulâ illicitâ) *contractam inducitur, & Matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit: in ulterioribus verò gradibus statuit, hujusmodi affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimere.* Ratio restringendi fuit, quia affinitas, quam parit copula fornicaria, seu illicita, plerumque occulta est, adeóque nimis frequenter contingeret Matrimonia invalida ob ignorantiam talis impedimenti, si tam procul se extenderet, contrahi. Pars 3. sumitur ex *can. 12. cauf. 32. q. 4. can. 5. cauf. 35. q. 2. 3. c. 10. h. t.* & Trident. *lo. cit.* Dixi in Assertione. 1. *Qui cognoscit*, h. e. copulam perfectam exercet. 2. *Consanguineam*, nempe veram carnaliter; si enim spiritualiter vel legaliter tantùm foret cognata, affinitatem cum sua sponsa non contraheret. 3. *Suæ sponsæ de futuro*; quippe si

Spon-

sponsa de præsenti jam foret, contractum cum hac Matrimonium non dirimeretur. *c. 6. h. t.* quamvis induceretur inhabilitas ad contrahendum Matrimonium cum ejus, si fortè moreretur, consanguineis usque ad 2. gradum, & privatio juris à sponsa de præsenti ducta exigendi debitum conjugale, uti dicemus Assertione seq. 4. *Impedimentum dirimens*: hodie siquidem non ampliùs inducitur impedimentum impediens, vi cujus cum nulla alia quacunque persona licitè poterat de Jure Matrimonium contrahere. *c. 2. 4. eod.* quia impedimenta Criminis impedientia per contrariam consuetudinem abrogata esse jam alibi monuimus, nempe in *tit. I. n. 92. 3. Matrimonii contrahendi*; jam enim contractum non dissolvi diximus. 6. *Cum consanguineis cognitæ*: ut adeò neque cum sua sponsa ampliùs validè possit contrahere, consequenter Sponsalia de futuro cum ipsa cessent. Sed neque cum cognita contrahit validè, utpote quacum habet impedimentum publicæ honestatis, si fuit in primo gradu consanguinea sponsæ, juxta dicta *tit. I. n. 45. seq.* 7. *De Jure Canonico*; nam de Jure Civili *l. 4. §. 8. de Gradib. & Affin.* neque cognatio, neque affinitas, nisi ex justis nuptiis, adeóque ex copula maritali, oritur; quod tamen intelligere potes de effectibus Juris Civilis, uti est successio hæreditaria, administratio tutelæ, nobilitas familiæ &c. non de ipsa affinitate. 8. *Usque ad secundum gradum inclusivè*; quamvis de Jure Antiquo *arg. c. 8. de Consang.* usque ad quartum diremerit Matrimonium, sicut affinitas orta ex copula licita seu Matrimoniali. *Gradus* cognosces ex *tit. seq.* 9. *Utì & qui copulam aliam illicitam exercet*; nam Trid. per tò *ex fornicatione* intelligit juxta communem Interpretum quemcunque illicitum concubitum.

Dico 2. Qui cognoscit consanguineam suæ uxoris, § contrahit impedimentum affinitatis dirimens Matrimonii contrahendi cum hujus consanguineis usque ad 2. gradum inclusivè. 2. Si id faciat scienter & liberè, habben-

bendo copulam cum consanguinea uxoris in primo vel secundo gradu, privatur etiam ipso facto jure petendi debitum conjugale à sua uxore. Ita rursus Catholici DD. Pars 1. sumitur ex *c.* 2. *& Trid. citt.* nam per copulam perfectam illicitam oritur affinitas, quæ à Tridentino restricta est ad 2. gradum. Pars 2. ex *c.* 1. *h. t.* Dixi 1. *Consanguineam uxoris suæ*, consequenter Affinem suam, scilicet in 1. vel 2. gradu. propter *cit. Trid.* quia copula hæc est incestuosa, & hinc utique illicita. 2. *Impedimentum dirimens:* nam impediens cum quacunque, statutum in *c.* 1. *cit. c.* 2. 4. *eod.* est abrogatum. 3. *Matrimonii contrahendi;* nam contractum non dissolvitur. *c.* 6. 10. 11. *eod.* licèt propter contractam indè cum sua conjuge affinitatem privetur jure petendi debitum. Siquidem dixi 4. *Privatur jure petendi debitum*, ita ut absque peccato mortali petere non possit. Scilicet propter incestum ratione affinitatis cum uxore sua contractæ: non tamen uxor privatur jure petendi debitum, neque peccans liberatur obligatione reddendi. *d. c.* 6. *&* 10. cùm conjugis incestus alteri parti innocenti obesse non debeat. *c.* 10. *cit.* 5. *Si id faciat scienter.* per *c.* 1. *cit.* Undè qui ignorat, fœminam, quacum peccat, esse in primo vel secundo gradu consanguineam suæ uxori, quamvis affinitatem contrahat cum aliis cognitæ consanguineis, eam tamen non contrahit respectu uxoris suæ quoad privationem juris petendi debitum, in cujus possessione antecedenter jam exstitit. 6. *Et liberè:* unde uxor violentè oppressa, seu per vim cognita à consanguineo mariti sui, non privatur jure petendi debitum ab ipso. *arg. c.* 6. *cit.* cùm nullam committat culpam, illa autem privatio statuta sit per modum pœnæ. Sanch. Pirh. *h. n.* 6. & alii. Idem multi docent de conjuge ex gravi metu in incestum cum consanguineis alterius conjugis consentiente, ut Laym. Tambur. Sporer, Illsung &c. non obstante, quòd ex metu consentiens peccet mortaliter.

Quæ-

Quæres, an incestuosum conjugem ab incursione affinitatis cum consanguineis uxoris excuset ignorantia Juris, quando scilicet peccans cum consanguinea uxoris ignorat, à Jure Ecclesiastico esse inductum impedimentũ affinitatis propter hunc incestum? 2. An excusetur à dicta privatione, qui ignorat, privationem juris petendi debitum esse annexam à Jure huic affinitati? R. ad 1. Ignorantia Juris non excusat ab affinitate incurrenda, quam Jus Ecclesiasticum statuit in peccantes cum consanguinea uxoris suæ, ut adeò verè fiat affinis cum consanguineis cognitæ usque ad secundum gradum. Ita receptior cum Sanchez & verior; quia affinitas, ex hoc incestu orta, est quædam inhabilitas ad Matrimonium, similis illi, quæ oritur ex copula Matrimoniali, quæ afficit etiam laborantes ignorantiâ tam Juris quàm facti: & universim inhabilitates incurruntur etiam ab ignorantibus legem. R. ad 2. Probabile est, privationem juris ad petendum debitum non incurri à cognoscente consanguineam uxoris, & ignorante, hanc privationem esse à Jure annexam huic delicto, adeóque impedimentum affinitatis respectu propriæ uxoris, quatenus est privativum juris jam quæsiti ad petendum debitum, non afficit ignorantem. Tambur. Bonac. Perez, Sporer apud P. Kugler *de Matrim. n.* 1329. contra communiorem. Prob. 1. Privatio juris debitum petendi est pœna Juris Ecclesiastici propter delictum incestûs statuta, cùm inhabilitas esse non possit in ordine ad Matrimonium, quod jam est contractum: sed pœna ab ignorante Jus Ecclesiasticum quà pœnale non incurritur; qui enim ignorat Jus Ecclesiasticum quà pœnale, in illud non delinquit, licèt delinquat contra Jus Naturale & Divinum, à quo tamen neutro hæc privatio est inducta, item licèt delinquat contra Jus Ecclesiasticum quà prohibens, saltem si prohibitionem sciat. Prob. 2. qui ignorat hoc Jus Ecclesiasticum, quo inducitur privatio juris petendi debitum, illud non transgreditur *scienter*, quatenus est inductivum privationis & pœnæ, prout

tamen

tamen videtur requirere. *c. 1. cit.* ergo. Et hinc ignorantia facti etiam juxta Adversarios excusat. Prob. 3. Constitutionibus Ordinariorum (consequenter & Pontificis) quoad pœnas in iis statutas non ligantur illi, qui has ignorant. *c. 2. de Constit. in 6.* quia æquum non est æquali pœna puuire transgressorem Legis ex ignorantia, quâ punitur transgressor ejus malitiosus, & sciens pœnam à Lege sancitam. Et ideo Conink. Palao, alii apud & cum P. Schmalzgrueber ad *Tit. de Pœnis n. 105.* tanquam probabilius docent, irregularitatem ex delicto (non obstante, quòd sit inhabilitas, & fortè principaliter) utpote pœnam non incurri ab ignorante Legem Ecclesiasticam, qua delictum suum sub speciali pœna prohibitum est. Vid. dicta superiùs ad *tit. De eo, qui duxit &c. n. 6. & 7.*

7 Dubitabis, an impedimentum affinitatis, ex copula illicita ortæ, sufficienter probetur per assertionem vel confessionem unius, vel etiam utriusque complicis? R. cum distinctione: si agitur de Matrimonio primùm contrahendo, sufficit unius confessio; quia agitur de peccato vitando, ut habet communis. Si verò agitur de Matrimonio jam contracto rursus dissolvendo, nec utriusque confessioni vel assertioni creditur, sed requiruntur idonei testes, vel impedimenti existentia debet esse notoria. *c. 3. & 5. h. t.* Ratio, quia Matrimonii dissolutio non pendet à potestate conjugum, & proli aliisque Matrimonii bonis præjudicat, ac insuper periculum est, ne conjuges se mutuò fastidientes colluderent, séque hac ratione liberare intenderent difficili jugo.

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, & Affinitate.

SUMMARIUM.

1. 2. Cognatio Naturalis includit Consanguinitatem & Affinitatem. Quid sit Consanguinitas.

3. Quid

3. *Quid & quotuplex sit Linea, & quid Gradus in Consanguinitate.*
4. *Nomina & Gradus consanguineorum.*
5. *Regulæ discernendi gradus, quibus distant consanguinei inter se, de utroque Jure.*
6. 7. 8. *Notanda circa Arborem Consanguinitatis, & dignoscendos gradus.*
9. *Quando gradus sint computandi secundùm Jus Canonicum, & quando secundùm Civile.*
10. 11. *Consanguinitas in linea Transversa usque ad quartum gradum; in linea Recta autem in infinitum dirimit Matrimonium Jure Positivo.*
12. *Quam pœnam incurrant contrahentes Matrimonium in gradu prohibito.*
13. 14. *In primo tantùm gradu consanguinitas lineæ Rectæ dirimit Matrimonium Jure Naturali.*
15. 16. 17. *Lineæ Transversæ autem nec in primo.*
18. *Affinitas in quo consistat.*
19. *Ejus triplex genus.*
20. *Lineæ & Gradus Affinitatis.*
21. *Nomina & Gradus Affinium.*
22. *Quomodo dignoscendi gradus, maximè ex Arbore Affinitatis.*
23. *Advertenda circa hanc Arborem.*
24. *Regulæ pro dignoscendis gradibus Affinitatis.*
25. *Affinitas ex copula licita ortum trahens dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum.*
26. 27. *De Jure Naturali nec in primo Lineæ Rectæ.*

POst Impedimenta *Cognationis Spiritualis & Legalis*, item post Impedimentum *Affinitatis ex copula illicita*, subjungitur in hoc Titulo duplex impedimentum dirimens Matrimonii, unum *Cognationis Naturalis*,

lis, seu *Consanguinitatis*, alterum verò *Affinitatis ex copula licita* seu conjugali ortæ. Utrumque, quia admodum frequens est, & multis, licèt non ita sit, arduum valde & intricatum videtur decernere illius gradus Matrimonio obstantes, accuratam exigit discussionem. Sequemur autem ordinem Rubricæ, quæ duas habet partes, in §. 1. acturi de *Consanguinitate*, ejúsque impedimento, in §. 2. autem de *Affinitate*, ejúsque impedimento.

§. I.

De Consanguinitate.

1 SCiendum 1. Consanguinitatem cum S. Thoma *in 4. dist. 40. q. un. a. 1.* communiter sic definiri: est *vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum.* Seu, est propinquitas personarum ex eo proveniens, quòd aliquæ personæ descendant per generationem carnalem ab uno quodam progenitore, vel genarchò, qui *stipes* appellatur vel *radix* aut *origo*, debitè propinquo. Sive, est vinculum, quo personæ quædam naturali nexu ejusdem sanguinis junguntur. Unde consanguinitas idem sonat, ac *sanguinis unitas*, vel *una sanguinitas*, &, qui eodem propinquo sanguine sunt geniti, vocantur *consanguinei*, Bluts-Freundt. *l. 1. §. 10. ff. de suis & legit. hæred.* item *propinqui. l. 47. ff. de hæred. petit.* aut *proximi. l. dudum 14. C. de contrab. empt.* vel *cognati*, quasi una communitérve nati, vel ab eadem persona progeniti. *l. 1. ff. de inoff. testam.* Sive dein illa persona, seu communis stipes, unde eandem carnem vel sanguinem participant, & ubi tanquam in radice vel principio conveniunt, sit mas sive fœmina; non enim in hac materia & in ordine ad Matrimonium attenditur discri-

discrimen inter cognatos & agnatos, strictè acceptos. *c. 7. & 8. h.t.* sicut tamen sit discrimen in ordine ad successionem in feudis &c. strictè autem *cognati* dicuntur, qui ex eadem fœmina tanquam communi stipite descendunt, *agnati* verò, qui ex eodem mare vel viro. Siquidem tota consanguineorum series dicitur *Arbor*, ac proin sicut ex arboris *stipite* seu *trunco* nascuntur rami, alii in eadem serie & gradu, alii in diverso & altiore, ita ex eodem communi genitore, vel genitrice, prodeunt filii, nepotes &c. velut rami diversi ordinis & gradûs. Stipes igitur specialiter attendi debet, à quo communem habent originem proximam personæ, de quarum consanguinitate quæritur; nam *stipes* dicitur persona, à qua originem ducunt illæ, quarum cognatio inquiritur, & in qua coincidunt, seu conveniunt proximè. Rursus in ordine ad Matrimonii impedimentum constituendum non fit distinctio inter *cognationem merè Naturalem*, quæ datur inter descendentes ab uno stipite per propagationem carnalem illicitam, v. g. fornicariam, adulterinam &c. & inter *cognationem Naturalem & Civilem simul*, quæ reperitur inter descendentes ex legitimis nuptiis ab eodem stipite. *l. 14. §. 2. ff. de Rit. Nupt. & c. 10. de Probat.*

Oppones 1. Angeli & homines habent communem originem, Deum: ergo sunt consanguinei inter se; quod dicere absurdum est. 2. Bruta etiam per carnalem propagationem descendunt a communi generante, & stipite: ergo & ipsa vocari possunt consanguinea. 3. Omnes homines descendunt a protoparente Adamo, velut communi omnium genarcho, & stipite; ergo omnes homines sunt consanguinei. 4. Adamus & Abel utique sunt consanguinei: sed Adamus & Abel non descendunt ex communi & eodem stipite; cùm Abel quidem ab Adamo, Adamus verò a solo Deo productus sit: ergo. 5. Duo filii adoptivi habent communem stipitem, &

patrem adoptantem, & tamen non ſunt conſanguinei: ergo. R. ad 1. & ultimum, Angeli ac homines habent quidem pro communi principio Deum, item duo filii adoptivi eundem patrem, ab iis tamen non deſcendunt per *carnalem propagationem*, & ejusdem ſanguinis communicationem. Ad 2. N. *Conſ.* quia bruta ſicut rationis, ita & veri amoris, benevolentiæ, reverentiæ, & amicitiæ, cujus fons eſſe ſolet propagatio ejusdem ſanguinis, non ſunt capacia, adeóque nec propriæ conſanguinitatis: quapropter in definitione conſanguinitas dicta eſt *perſonarum* vinculum. Ad 3. Quamvis Adamus reſpectu omnium hominum, utpote qui in linea recta ab ipſo deſcendunt, poſſit adhuc dici conſanguineus, non tamen reliqui homines, ex lineis collateralibus deſcendentes, inter ſe conſanguinei dicuntur, quia non participant eundem ſanguinem. Propter hanc objectionem multi addunt in definitione vocem *propinquo* conformiter *l. dudum cit.* ita ut ſenſus ſit, quæ deſcendunt *ab eodem ſtipite propinquo;* quæ vox propterea ſubintelligi debet, ſi non addatur; cùm ex communi hominum perſuaſione pro conſanguineis habeantur ſolùm illi, qui non nimiô intervallô diſtant à communi ſtipite, & eundem moraliter ſanguinem adhuc participare putantur, ac quousque ſe extendit ſingularis aliquis affectus. Sed quanta hæc eſſe debeat propinquitas, Natura non determinavit: quantam verò in ordine ad Matrimonium determinaverit Jus Poſitivum, infrà dicemus. Ad 4. propter hanc inſtantiam addere quidam in definitione ſolent hæc verba, *vel quarum una ab alia deſcendit*, & planè, ſi definitio complecti debeat omnem omnino conſanguinitatem, addi omnino vel ſubintelligi debent; quia tamen alii exiſtimant, ſufficere, quòd definitio comprehendat conſanguinitatem ordinariam, quæ de facto datur inter Adami poſteros, neceſſe non videtur illa addere vel ſubintelligere, ut illa conſanguinitas extraordinaria includatur in definitione.

Sc.

§. 2. In omni consanguinitate reperiri, & attendi debere lineam, & gradus, per quos distinguuntur consanguinei. *Linea* est ordinata series vel collectio personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes, diversos continens gradus. Dinstinguitur duplex: *Recta*, quæ complectitur illas personas, quarum una est ab altera, & gradus directos, per quos rectà & sine declinatione ad alterutrum latus vel ascenditur ad progenitores, & tunc vocatur *Ascendens*, aut *Superior*, vel descenditur ad progenitos, & tunc dicitur *Descendens*, aut *Inferior*: & *Obliqua*, sive *Collateralis*, aut *Transversa*, quæ complectitur personas, quarum nulla ab altera ducit originem, stirpem tamen communem & radicem habent eandem. Hæc subdividitur in *Æqualem*, in qua dictæ personæ distant æqualiter à communi stipite, uti duo fratres, vel frater & soror, aut istorum liberi &c. & *Inæqualem*, in qua distant inæqualiter, uti frater à fratris filia; nam frater à communi stipite, qui est pater ipsius, distat uno, filia fratris autem duobus gradibus. *Gradus* nihil est aliud, quàm distantia unius personæ ab altera in eadem linea consanguinitatis, quâ cognoscitur, quanta sit illarum inter se propinquitas; sicut enim in scala ab uno gradu in alium proximum ascendimus, vel descendimus, vel transimus, ita ab una persona fit ascensus, vel descensus, vel transitus ad alteram proximam in eadem consanguinitatis linea. *l. 10. §. 10. ff. de Gradib. & Affinib.*

Schema Lineæ Rectæ cum suis gradibus & nominibus.

	Majores.	Vor-Eltern.
Ascendentis. 4.	Abavus.	Urâns Vatter. Gug-Aehn.
	Abavia.	Urâns Mutter. Gug-Aehnl.
3.	Proavus.	Uranherr. Uhr-Aehn.
	Proavia.	Uranfrau. Uhr-Aehnl.

Ascendentis.

2.

Avus. Anherr. Groß-Vatter. Ahn.
Avia. Anfrau. Groß-Mutter. Aehnl.

1.

Pater. Vatter.
Mater. Mutter.

	Titius.	Titia.

Descendentis.

1.

Filius. Sohn.
Filia. Tochter.

2.

Nepos. Enkhel. Sohnssohn. Tochterſohn. Nef
Neptis. Enkhlin Sohnstochter/ Tochtertoch-
ter. Nefe.

3.

Pronepos. Urenkhel. Enkhels Sohn.
Proneptis. Urenkhlin. Enkhels Tochter.

4.

Abnepos. Gug-Enkhel. Enkhels Enkhel.
Abneptis. Gug-Enkhlin. Enkhels Enkhlin.

Posteri Nachkömling.

Schema Lineæ Obliquæ.

1.

Frater. Bruder.
Soror. Schweſter.

2.

Patruus. Vatters Bruder.
Amita. Vatters Schweſter. Maimb. Muhm.
Avunculus. Mutters Bruder.
Matertera. Mutters Schweſter.
Nepos] ex fratre, Bruders / oder
Neptis] vel sorore. Schweſter Kind.

3. Magnus

3.

Magnus Patruus. Groß-Vatters Bruder.
Magna Amita. Groß-Vatters Schwester.
Magnus Avunculus. Groß-Mutters Bruder. Oheimb.
Magna Matertera. Groß-Mutters Schwester. Groß-Mumb.
Pronepotes] ex fratre, Bruders/ oder
Proneptes] vel sorore. Schwester Enkhel.

4.

Magnus Propatruus. Deß Uranherrn Bruder.
Magna Proamita. Deß Uranherrn Schwester.
Magnus Proavunculus. Der Uranfrau Bruder.
Magna Promatertera. Der Uranfrau Schwester.
Abnepotes] ex fratre, Bruders/oder
Abneptes] vel sorore, Schwester/Enkhels-Kinder.

Schema aliud ejusdem lineæ.

1.

Fratres Germani. Vollbürtige Brüder von beyden Banden.
Sorores Germanæ. Vollbürtige Schwestern.
Fratres consanguinei. Halb-Brüder vom Vatter: einbändig.
Sorores consanguineæ. Halb-Schwester vom Vatter.
Fratres Uterini. Halb-Brüder von der Mutter: einbändig.
Sorores uterinæ. Halb-Schwester von der Mutter.

2.

Patrueles, seu fratrum liberi. Brüders Kinder.
Consobrini, seu sororum liberi. Schwestern Kinder.
Amitini, seu fratris & sororis liberi. Bruders und Schwester Kinder.

3.

Patruelium liberi. Brüderen Kinds-Kinder.
Conſobrinorum liberi. Schweſteren Kinds-Kinder.
Amitinorum liberi. Bruders und Schweſter Kinds-Kinder.

NB. Iſti omnes uno nomine vocari ſolent *Sobrini.*

4.

Patruelium nepotes, neptes. Brüders Kinds-Enkhlen.
Conſobrinorum nepotes, neptes. Schweſtern Kinds-Enkhlen.
Amitinorum nepotes, neptes. Bruders und Schweſter Kinds-Enkhlen.

5 Sc. 3. Ut dignoſci queat, quo gradu unus diſtet ab altero conſanguineo, applicandæ ſunt certæ regulæ, quas communiter tradunt DD. ſed notandum, quòd gradus aliter computentur de Jure Canonico, aliter de Jure Civili. De *Jure Canonico* pro ratione diverſarum linearum (Rectæ nimirum, & Obliquæ, tam Æqualis quàm Inæqualis) ſtatuuntur tres Regulæ. *Prima* reſpectu *lineæ Rectæ* tam Aſcendentiũ quàm Deſcendentium deſumitur ex *can. 6. cauſ. 35. q. 5. poſt Arb. conſang. §. 1.* & eſt hæc: *tot ſunt gradus, quot perſonæ unâ demptâ*, ſcilicet coñuni ſtipite. Vel, quod in idem recidit: *tot ſunt gradus, quot generationes intercedunt.* Itaque in linea deſcendente filius à parente diſtat uno gradu, nepos duobus, prõnepos tribus, abnepos quatuor: & vice verſa in linea aſcendente a filio diſtat pater uno, avus duobus, proavus tribus, & abavus quatuor, atavus quinque, tritavus ſex gradibus; quia nimirũ tot generationes intercedunt. Vel ſi numerare velis perſonas (aut generationes) in linea deſcendente, & coñunem ſtipitem demere, qui eſt pater, in filio reperies unam, in nepote duas, & ſic deinceps. *Secunda* regula reſpectu *lineæ Transverſæ Æqualis* ſumitur ex §. 2. *cauſ. & q. cit.* & eſt hæc: *quo gradu diſtant*

stant personæ (de quarum consanguinitate quæritur) *à communi stipite, eodem distant inter se.* v. g. cùm duo fratres, vel frater & soror, sint in linea collaterali, & à communi stipite, à quo procedunt, qui est pater, singuli distent uno gradu, etiam uno distant inter se; & cùm patrueles, seu fratueles, h. e. duorum fratrum liberi, & consobrini seu matrueles, h. e. duarum sororum liberi, distent ab eodem communi stipite, qui respectu ipsorum est avus, seu parentis pater, singuli duobus gradibus, pariter inter se distant duobus. *Tertia* respectu *lineæ Transversæ Inæqualis* habetur in §. 3. *q. cit. & c. fin. h. t.* & est hæc: *quo gradu remotior distat à communi stipite, eodem distant inter se:* sic, licèt ego distem uno tantùm gradu, filia autem fratris mei duobus gradibus distet à communi stipite, qui est pater meus, & respectu ipsius avus, ideo distamus inter nos duobus gradibus.

De *Jure Civili* sine ulla distinctione inter lineas statuitur unica regula, nimirum illa, quam nos pro linea Recta statuimus: *tot sunt gradus, quot generationes.* Vel: *tot sunt gradus, quot personæ unâ demptâ. t. t. Inst. de Grad. Cognat. l. 10. §. 9. seqq. ff. de Gradib.* Unde de Jure Civili non datur gradus primus in linea Transversa, & fratres, ac sorores, jam distant duobus gradibus, quia saltem duæ generationes intercesserunt, vel duæ saltem personæ reperiuntur dempto patre, communi stipite: patruus à filio fratris distat tribus: patrueles, consobrini, & amitini quatuor gradibus, & sic deinceps. Proinde secundùm Jus Civile in linea Collaterali Æquali numeratio graduum incipit à secundo, & continuatur semper de gradu ad gradum æqualis numeri, scilicet ad quartum, sextum, octavum &c. in Inæquali autem incipit à tertio, & continuatur de gradu ad gradum tam æqualis quàm inæqualis numeri: sic filia sororis meæ est mihi conjuncta in tertio gradu, & neptis meæ sororis in quarto &c. Ut autem hæc omnia pla-

niùs objiciantur etiam oculis, placet ſubjungere Schema, ſeu *Arborem Conſanguinitatis*, prout reperitur in Jure Canonico poſt *cauſ. 35. q. 5. cit.*

NB. Huc pertinet Arbor Conſanguinitatis.

6 Circa hanc Arborem nota 1. lineam, per medium deductam, eſſe *Rectam*, ex utraque verò derivari *Transverſas* ſeu *Collaterales*, & quidem ex parte dextera, in qua ponitur frater, collocari conſanguineos mares, & per ſexum Maſculinum conjunctas fœminas; ex ſiniſtra autem, in qua ponitur ſoror, conſanguineas fœminas, & per fœmineum ſexum conjunctos mares. 2. In medio lineæ Rectæ conſpici cellulam, quam quidem aliqui relinquunt vacuam, alii verò in ea ponunt certum individuum, quod Joan. Andr. à nomine ſui Pedelli vocavit *Petrucium*, nos autem appellamus *Proteum*, eò quòd diverſas gerat perſonas, jam maris, jam fœminæ, jam patris, jam filii, jam nepotis &c. ſi enim inveſtiges duarum perſonarum propinquitatem, unam in hac cellula ponere debes, ac dein videre, in qua cellula reperiatur altera perſona, reſpectu cujus vel erit pater aut avus, vel frater aut patruelis, filia aut neptis &c. Protei, qui etiam à quibusdam dicitur homo *Hypotheticus*, eò, quòd pro exemplo ponatur. Neutiquam verò ad hanc cellulam pertinet communis ſtipes; nam *ſtipes* eſt illius cellulæ perſona, in qua Proteus, & altera perſona, de qua quæritur, conveniunt, ſi in lineis aſcendatur, ſeu ubi coincidunt, & quidem proximè; quamvis enim proximum generationis principium reſpectu Protei ſolius ſit pater & mater ipſius, hoc tamen principium non eſt ipſi commune cum altera perſona, v. g. cum matertera Protei, ſed reſpectu utriusque, tam Protei quàm materteræ, ſtipes communis, in quo proximè conveniunt, eſt avus; & quamvis etiam proavus ſit commune utriusque principium,

Ad pag. 360.

ARBOR CONSANGUINITATIS.

Ascendentes.



Descendentes.

pium, à quo uterque descendit, tamen non est *proximum*, seu stipes proximus. 3. Si alteram personam, de qua dubitas, an & in quo gradu sit conjuncta cum Proteo, non reperias in una ex cellulis præfixæ Arboris, cogitandũ, eam non esse consanguineam Proteo intra quartum gradum juxta computationem graduum Canonicam in ordine ad contrahendum Matrimonium, cùm nulla omnino reperiatur persona cum ipso intra quartum gradum conjuncta, quæ non existat in una ex cellulis prædictis: solæ enim (& omnes) personæ in quarto gradu cum Proteo conjunctæ ibi inveniuntur. 4. Per numerum superiorem, seu in cellulis superiùs positum exprimi gradum Canonicum, per inferiorem verò, seu inferiùs adjectum denotari gradum Civilem.

Si igitur scire cupias, in quo consanguinitatis gradu 7
distent inter se duæ personæ, colloca unam ex iis in cellula vacua, in qua posuimus Proteum, ac dein attende, an sint in linea Recta vel Transversa: si deprehendas, eas esse in linea Recta, regulam pro linea *Recta* datam applica, & numera generationes, vel personas unâ demptâ, & habebis gradum: si existant in linea *Transversa*, tunc ex cellula, in qua nos posuimus Proteum, tu autem unam ex iis, de quarum cognatione dubitas, & simul ex cellula, in qua reperitur altera persona, ascende usque ad cellulam, in qua reperitur stipes, seu commune utriusque principium proximum, seu in qua conveniunt ambæ personæ: si æqualiter ab hoc principio distent, applica regulam pro *linea Transversa Æquali* datam, & numerando invenies gradum, in quo distant inter se: si verò inæqualiter a communi stipite proximo distent, applica tertiam regulam de linea *Transversa Inæquali*, & prodibit distantia. Pone ergo te in cellula Protei, & vide, in quo gradu distes à pronepte ex fratre tuo: igitur ex cellula, ubi deprehendis proneptem ex fratre tuo (seu neptem fratris tui) & simul ex cellula, ubi te posuisti, ascende usque ad cellulam, ubi ambo conveni-

tis; ibi enim est communis stipes proximus, nempe pater tuus; à quo licèt tu distes unico tantùm gradu, proneptis tamen distat tribus: consequenter tu & proneptis ex fratre duo distabitis tribus gradibus juxta Regulam de linea Collaterali Inæquali.

8 Breviùs & fortè meliùs sic poterit practicè procedere Parochus, vel Confessarius, quem sponsi, Matrimoniũ contrahere volentes, fortè consulunt ratione consanguinitatis: scribat in charta vel tabula nomen sponsi ad latus sinistrum, & nomen sponsæ ad latus dexterum, sed infra medium tabulæ vel chartæ: tum supra sponsum describat nomina cognatorum ipsius, qui ex hac parte dedisse causam cognationis dicuntur, sed à proximioribus ascendendo ad remotiores: similiter supra Sponsam describat nomina eorum, qui ex parte hujus dicuntur dedisse causam cognationis: postquam hos omnes annotavit, ascendat ex utraque parte, & videat, utrùm conveniant in aliquo communi principio seu stipite: si reperiatur talis stipes, consideret, in qua linea sint sponsi, recta, vel (quod ordinariè continget) transversa, æquali vel inæquali, & applicet regulas secundùm priùs dicta: si non reperiatur, signum est, quòd non sint consanguinei. Nec pudeat Parochum ista describere; cùm facilè alias confundi possit & decipi, turbatâ memoriâ. His notatis

De Impedimento Consanguinitatis

9 Dico 1. Gradus Consanguinitatis in ordine ad Matrimonium dirimendum computandi sunt secundùm Jus Canonicum, non secundùm Civile. *c. fin. h. t.* & *can.* 2. *caus.* 35. *q.* 5. ubi simul redditur ratio, cur Jus Canonicum discrepet à Jure Civili in computatione graduum, nimirum hæc; quia Jus Civile dimensionem graduum fecit propter successiones hæreditarias, quæ non deferuntur nisi de una persona ad alteram, & ideo singulis

gulis personis singuli gradus assignati sunt ab Imperatoribus: econtra quia Matrimonium, in ordine ad quod SS. Canones distinguunt gradus, non in una, sed in duabus personis necessariò consistit, idcirco *duas in uno gradu personas constituerunt.* Conspirat communis non modò Catholicorum, verùm etiam Heterodoxorum. In ordine verò ad successiones ab intestato computus graduum faciendus est secundùm Jus Civile, uti plerique omnes iterum conspirant, & quidem non tantùm in *Foro Civili*, sed etiam, uti cum Sanch. *d. 50. n. 8. l. 7.* & Covar. *de Matr. p. 2. c. 6. §. 6. n. 8.* verius esse puto, in *Foro Canonico* & *Ecclesiastico*, scilicet in rebus & inter personas Ecclesiasticas, atque in terris Pontificiis & tribunalibus Ecclesiasticis. Licèt in Contractibus quodlibet Jus in suo foro observandum esse, iidem duo DD. notent. Ratio est, quia Alexander II. in *can. sit.* approbavit computationem graduum Juris Civilis generaliter, & solum Matrimonium excepit: cùm igitur Jus Canonicum pro aliis causis, extra Matrimoniales, nihil statuerit peculiare circa computationem graduum, sequi censendum est Constitutiones Juris Civilis in hac re profana. *arg. c. 1. de N. O. N.* Oppones illud Brocardicum: quodlibet Jus est observandum in suo foro, Civile in Civili, Canonicum in Canonico foro: ergo. R. *dist. Ant.* quando diversas ponunt Leges. *C. Ant.* quando unum duntaxat aliquid statuit, alterum verò nihil, uti hìc. *N. Ant. & Conf.*

Dico 2. Consanguinitas in linea Transversa Jure Ec- 10
clesiastico dirimit Matrimonium contrahendum hodie usque ad quartum gradum inclusivè. 2. In linea autem Recta probabiliùs in infinitum. 3. Sine distinctione, utrùm consanguinitas ortum habeat ex generatione licita vel illicita. Pars 1. est decisa in Generali Concilio Lateranensi sub Innoc. III. relato in *c. non debet 8. h. t.* ibi: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat:*

cedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. Quaternarius verò numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis - - - quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis. Adeóque correctum est ibi Jus Antiquum, quo *can. 1. 7. 16. 19. q. 2. & can. 2. q. 5. cauſ. 35.* usque ad septimum gradum extendebatur. Pars 2. quam tenet communior cum Hostiens. Abb. aliisque Antiquis, contra Sanch. Pont. Palao &c. probatur ex *c. 1. de N. O. N.* ubi dicitur, quòd SS. Canones, quando in aliqua materia nihil statuunt, sequantur Jus Civile: sed Jus Civile in §. 1. *Inst. de Nupt. & l. 53. ff. de Rit. Nupt.* clarè extendit impedimentum consanguinitatis in linea recta *usque in infinitum.* Imò Nicolaus I. *in Responsis ad consulta Bulgarorum c. 39.* & Calixtus I. *in can. 2. cauſ. 35. q. 2. cit.* expresse receperunt constitutionē Juris Civilis. Si proin Adam hodie resurgeret, de Jure Positivo Humano non posset validum Matrimonium contrahere sine dispensatione. Pars 3. patet indè, quòd, ubi Jus non distinguit, neque nos debeamus distinguere; præsertim cùm per generationem illicitam æquè communicetur idem sanguis, quàm per licitam, & sic rationes irritandi Matrimonium inter consanguineos in certis gradibus æqualiter reperiantur, nimirum reverentia, quam sibi mutuò debent ex eodem sanguine geniti, periculum turpium amorum, & immoderati usûs Matrimonii, si istud consistere posset inter eos, qui familiariter ferè in iisdem ædibus cohabitant, & à naturali consanguinitatis amore inflammantur erga se &c.

11 Oppones 1. Quando *c. 8. cit.* restrinxit impedimentum consanguinitatis usque ad 4. gradum, non fecit distinctionem inter lineam Transversam & Rectam: ergo pro utraque linea restrinxit: ergo in linea Recta non in infinitum, sed solùm usque ad 4. gradum, sicut in linea Transversa dirimit Matrimonium consanguinitas. 2. Ra-

tio

tio de quatuor humoribus, propter quam reductum est Jus Antiquum à 7. usque ad 4. gradum, est inanis & ridicula: ergo. 3. Deus utique melius novit, quàm Pontifex, inter quas personas conveniat vel non conveniat Matrimonium contrahi: sed Deus in Antiquo Testamento prohibuit Matrimonia solùm usque ad secundum gradum in linea Transversa æquali inter consanguineos. Ita Lutherus & Assectæ. 4. Tridentinum *s. 24. c. 4. de Reform. Matr.* fecit distinctionẽ inter affinitatem ex copula licita & illicita ortã, atque illam, quæ oritur ex illicita, restrinxit ad 2. gradum: sed consanguinitas in ordine ad Matrimonium dirimendum æquiparatur affinitati in Jure, nominatim in *c. 8. cit.* ergo Tridentinum pariter consanguinitatem ex generatione illicita ~~ortam~~ restrinxisse ad 2. gradum censendum est. 5. Neque cognatio, neque affinitas, oritur nisi ex justis Nuptiis. *l. non facilè 4. §. 5. 8. ff. de Grad. & Affin.* ergo quoque de Jure Canonico, vi cujus oritur cognatio & affinitas etiam extra Matrimonium, æquiparabitur utraque quoad gradus Matrimonio obstantes: ergo cognatio absque justis nuptiis orta dirimet Matrimonium usque ad 2. gradum, sicut affinitas taliter orta.

R. ad 1. *dist. Ant.* non fecit distinctionem verbis claris & explicitis. *C.* verbis æquivalentibus, per rationem adjectam, & alias circumstantias. *N. Ant. & Conf.* Ratio restringendi fuit dispendium animarum, & difficilis observantia prohibitionis ultra 4. gradum: utraque autem ratio tantùm Transversali quadrat lineæ, non Rectæ; nam periculum moraliter nunquam erit, ut quis consanguineam in linea recta ultra quartum gradum ducat in Matrimonium, v. g. filiam abnepotis sui, quia nemo tamdiu vivit; neque tam difficile est scire, vel deprehendere gradus in linea recta, quàm difficile est recordari, vel deprehendere gradus lineæ transversæ quartum excedentes. Deinde Jura se accomodant casibus facilè & frequenter contingentibus, non verò respiciunt casus rarissimè

vel

vel nunquam evenientes, aut moraliter impossibiles. *l. 4. §. ff. de LL.* nunquam verò, aut non nisi rarissimè poterit contingere, ut quis ultra 4. gradum possit ducere consanguineam lineæ Rectæ. Accedit, quòd dispositio correctoria Juris sit strictæ interpretationis, & non extendenda ultra mentem & rationem Legis, Juri Antiquo derogantis. Ad 2. Ita quidem cavillantur Hæretici, sed immeritò; quia illa ratio non fuit principalis, sed quia deprehensum erat successu temporis, difficile & periculosum esse, si consanguinitas lineæ Transversæ ultra 4. gradum obstaret Matrimoniis, ut patet ex contextu. Sed fuit aliqua convenientia ratione numeri quaternarii, imò & causa physica; quia in generatione solet fieri nova sanguinis mistio cum sanguine alieno: post quatuor autem generationes evanuisse videtur illa mistio ex primo sanguine quatuor elementorum qualitatibus vel corpusculis constante; & hinc in ulterioribus post 4. gradum non notatur ampliùs tam specialis affectio, benevolentia, & amicitia. Ad 3. Sicut ex eo, quòd Deus Hebræis olim permiserit polygamiam, & libellum repudii, non sequitur, quòd Ecclesia possit aut debeat etiam Christianis permittere; ita ex eo, quòd DEus conjugia illis non ultra 2. gradum prohibuerit, non sequitur, quòd Ecclesiæ non liceat prohibere Christianis ultra eundem gradum. Christiani sunt *gens sancta & populus acquisitionis*, Judæi fuerunt *populus duræ cervicis*, atque ideo plura fuerunt ipsis indulta. Ad 4. Illa dispositio Tridentini fuit correctoria Juris Antiqui, ideo tanquam odiosa à casu expresso affinitatis non extendenda ad casum consanguinitatis non expressum, præsertim cùm utriusque sit dispar ratio; partim quia major in æstimatione morali censetur esse connexio personarum consanguinearum quàm affinium, partim quia major est frequentia affinitatis illicitè contractæ quam consanguinitatis; cùm illa oriatur ex sola copula, licèt generatio non sequatur, non item consanguinitas; imò, licèt nascatur proles, pec-

cans

cans tamen non facilè vivit tamdiu, ut consanguinitas indè orta ipsi in Matrimonio obstare possit, sicut tamen in affinitate id facilè contingit: mens autem Tridentini fuit relaxare libertatem Matrimonii, nimis constrictam, si ex copula illicita, quæ passim solet esse occulta, oriretur impedimentum dirimens Matrimonii usque ad 4. gradum. Ad 5. Imprimis Jus Civile non absolutè negat, affinitatem vel cognationem oriri per copulam vel generationem extra legitimum Matrimonium (quia filium illegitimum verè esse consanguineum in *tit. de Natural. lib. in C.* satis clarè asserit, & filium prohibet ducere concubinam patris propter affinitatem. *l. 4. C. de Nupt.*) sed solùm in ordine ad successionem ab intestato, nobilitatem familiæ, & alios civiles effectus. Deinde *N. Conf.* quia Jus Canonicum inter affinitatem & consanguinitatem illicitam in ordine ad Matrimonium clarè facit discrimen.

Quæres, quam pœnam incurrant, qui in gradu con- 12
sanguinitatis prohibito attentant contrahere Matrimonium scienter? R. De Jure Canonico incurrunt ipso facto excommunicationem. *Clem. un. h.t.* ubi pariter eâdem pœnâ fulminantur, qui in gradu affinitatis prohibito, vel voto solenni castitatis adstricti idem attentant. De Jure Civili Antiquo erat statuta publicatio bonorum: exilium; & verberatio, si persona fuit vilis. *Auth. Incestas C. de Incestis Nupt.* licèt nuptiæ non essent consummatæ. Zœs. *h. t. n. 16.* cum Julio Claro. De Jure Novo Josephi I. *in Ordinat. Crimin. art. 19. §. 21.* incestus inter parentes & proles, inter cognatos in primo ac secundo gradu, & inter affines in primo lineæ Rectæ, adeóque etiam inter fratrem & sororem, inter privignum & novercam, inter privignam & vitricum, inter socerum & nurum commissus, gladiô puniendus est.

Dico 2. Consanguinitas in primo gradu lineæ Rectæ, 13
nempe inter patrem & filiam, inter matrem & filium, dirimit

mit Matrimonium ipſo etiam Jure Naturali. 2. Sed utique conditionato tantùm, ſcilicet niſi Deus det facultatem, in cujus pleno dominio ſunt corpora humana. 3. Non item in gradu ſecundo, minùs in ulterioribus ejusdem lineæ Rectæ. Pars 1. eſt omnium teſte Sanch. & P. Friderich *in Tract. de Conſang. & Affin. q. 3. n. 22.* ita ut contradicere aſſuetus Caramuel dicat, ſe ſubſcribere omnibus, ſubſcripturus aliis, ſi aliquos reperiret diſſentientes. Unde optima probatio petitur ex communi ſenſu omnium DD. nam *pro certis habemus ea, in quæ communi opinione conſenſum eſt*, ait Quintil. Ex ratione autem intrinſeca, quamvis facilè probetur, tale Matrimonium Jure Naturali eſſe illicitum, difficulter tamen probatur invalidum; cùm ſubſtantiæ Matrimonii, ſeu generationi prolis, non repugnet conjunctio patris & filiæ, matris & filii. Omiſſis igitur variis, quas afferunt, rationibus, adduco hanc unicam: incredibile eſt, quòd DEus & Natura dederit hominibus poteſtatem transferendi jus & dominium corporum in alios in ordine ad uſum, qui perpetuò eſt turpis, rectæ rationi, verecundiæ, reverentiæ, parentibus debitæ, & communi ſenſui omnium gentium honeſtatis & bonæ educationis laude florentium contrarius: ſed talis eſt uſus Matrimonii inter parentes & liberos; quis enim ratione præditus non horret talem coitum inter illas perſonas, quarum una alteri debet ſummã reverentiam, verecundiam, ſubjectionem &c. & quis credat, DEum (extra caſum extremæ neceſſitatis publicæ) dare poteſtatem ad eum? ergo. Pars 2. quam tenent communiter cum Sanch. contra Perez, ex quibus Bellarminus *l. 1. de Matrim. c. 28. v. tertiò notand.* dicit, ſe nullum legiſſe, qui expreſsè negaret, ſuadetur indè, quia non apparet intrinſeca turpitudo in tali Matrimonio, ſicut v. g. in blaſphemia, ſed tantùm ſimilis illi, quæ reperitur in occiſione innocentis, in qua DEus propter plenum dominium in corpora & vitas hominum diſpenſare poteſt. Quòd autem hujusmodi Matrimo-

nium

lium repugnet reverentiæ, parentibus debitæ à liberis, non facit, quò minùs jus parentum cedere debeat juri Divino, quod DEus habet in corpora humana; sicut eidem cedere debet jus innocentis ad vitam. Quare si totum genus humanum periret usque ad unum patrem & filiam, non modò non invalidum, sed neque illicitum videretur inter eos Matrimonium ad propagandum genus humanum; quia reverentia patri debita tanquam bonum privatum deberet cedere bono communi generis humani propter summam illius necessitatem, propter quam Deus meritò censeretur dispensare. Pars 3. habet multos & potentes Adversarios, quorum aliqui cum Lessio *de Matrim. c. 5. n. 160.* & P. Friderich *n. 29. in fine.* cum Goffredo & Gonzal. ad quartum, alii cum Leandro, ad septimum, alii cum Covarruv. ad vigesimum gradum extendunt, alii cum Ledesma nullum gradum determinant, sed durare ajunt, quamdiu durat communicatio proprietatum individualium inter Ascendentes & Descendentes, alii denique & plurimi & præclari DD. extendunt in infinitum, uti Bellarm. Laym. & tum Theologi tum Juristæ facilè 50. apud Sanch. *l. 7. d. 51. n. 12.* quorum aliqui Jure Naturali saltem illicitum, alii invalidum etiam pronuntiant. Conspirant passim Legistæ, ex quibus Harpprecht in §. *1. Inst. de Nupt. n. 4.* arguit inconsiderantiæ eos, qui dissentiunt. Accedunt multi Canonistæ, sed, ut observat Fagn. *in c. ult. h.t. n. 32.* hi asserunt quidem, Matrimonium in linea Recta in infinitum dirimi, at non Jure Naturali, sed Jure Positivo fundato in honestate & decentia naturali. Nobiscum verò sentiunt S. Th. 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. *ad* 3. Sanch. *n.* 19. Pont. Palao, Fagn. Gobat, Clericatus, P. Wiestner &c. Ratio est imprimis negativa, quia non sufficienter probatur nullitas Matrimonii ultra primum gradum Jure Naturali introducta, & quia suppositò, quòd non sit irritum in linea Recta Matrimonium in infinitum, non est ratio sufficiens, cur vigesimus, septimus, quartus, secun-

dus, vel alius gradus determinetur ultra primum: dein positiva, quia ex una parte ascendentes ultra primum gradum sunt tantùm principium descendentium accidentale, non essentiale; cùm per accidens sit, patrem habuisse alium patrem, & sic cum avo, proavo &c. solùm per accidens connectantur; nam Abel filius Adæ non habuit avum &c. ex altera verò parte ratio dictat, Majoribus, & Ascendentibus remotis, non deberi tantam reverentiam & subjectionem, quanta debetur immediatis parentibus. Certè quò major est distantia unius personæ ab altera, eò minor est communicatio sanguinis ejusdem, qui tamen à parentibus immediatè & certò communicatur liberis: unde necesse est, eum tandem omnino extingui, ut cesset consanguinitas seu sanguinis unitas, aut ita diminui, ut modica illa portio remanens fundare non possit specialem reverentiam vel subjectionem, quam descendentes debent ascendentibus: hac verò cessante cessat quoque indecentia, propter quam consangineis sunt interdicta conjugia. Et quis somniet, sanguinem Adami aliquem adhuc supereſſe in omnibus ex eo descendentibus, & sic cum eo consanguinitatem Matrimonio obstantem Jure Naturali existere?

14 Oppones 1. Matrimonium patris cum filia non repugnat fini primario Matrimonii, qui est generatio prolis, neque secundario, qui est remedium concupiscentiæ: ergo Jure Naturali non est irritum. 2. Matrimonium inter voto solenni ligatos, quamvis illicitum sit Jure Naturali, tamen non est invalidum Jure Naturali: ergo & Matrimonium inter parentes & liberos tantùm est illicitum Jure Naturali, non invalidum. 3. Plures Nationes, utì Persæ, Medi, Assyrii, Æthiopes &c. admittebant Matrimonia inter parentes & liberos: ergo non repugnant rationi, & Juri Naturali omnium cordibus insito. 4. Omnes ascendentes, utì avus, proavus &c. habent rationem originis & principii, ac sunt parentum loco: ergo

omni-

omnibus debetur reverentia, & quidem eò major, quò ſunt remotiores & antiquiores : ergo deſcendentes in infinitum arcentur à conjugiis cum aſcendentibus in linea Recta Jure Naturali. 5. Innegabile eſt, quòd ſit aliqua turpitudo & indecentia naturalis, ſi neptis nubat avo: ergo ſaltem ad ſecundum gradum ſe extendit nullitas Matrimonii Jure Naturali inducta. 6. In *l. ult. ff. de Ritu Nupt.* expreſsè dicitur, quòd *Jure Gentium inceſtum committat, qui ex gradu aſcendentium vel deſcendentium uxorem duxerit* : ſed per Jus Gentium intelligunt Jurisperiti Jus Naturæ: ergo. R. ad 1. *N. Conſ.* nam radix invaliditatis non eſt repugnantia cum fine Matrimonii, ſed defectus abſoluti dominii & poteſtatis ad tradendum jus in corpus in ordine ad actus conjugales inter parentes & liberos. Deinde licèt non repugnet tale Matrimonium fini ipſius Matrimonii, tamen repugnat debito ordini & convenientiæ illius finis, ac pudori naturali. Ad 2. *N. paritatem;* quia votum, ſive ſimplex ſive ſolenne; copulam carnalem non facit turpem ſecundùm ſe, ſed ſolùm per accidens ratione actûs ſupervenientis, quo quis liberè ſibi eam interdicit : inter parentes verò & liberos turpis eſt ſecundùm ſe & per ſe, niſi DEus poteſtatem dederit, vel exigentia boni publici hanc turpitudinem tollat. Ad 3. Hac ipſa de cauſa tales gentes inter barbaras, belluinas, & malè educatas meritò cenſentur, cùm ita turpiter commiſceantur, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Aliquæ gentes etiam blasphemias, rapinas, & furta admittunt, vel admiſerunt : an propterea hæc non ſunt per ſe mala & turpia? *quid enim naturale ſit, ſpectandum in his, quæ bene ſecundùm naturam ſe habent, non in depravatis*, ait Ariſtoteles. Ad 4. Omnes aſcendentes habent rationem originis & principii immediati vel mediati, eſſentialis vel accidentalis. *C. Ant.* habent rationem principii immediati, & eſſentialis, qui ſunt ultra primum gradum. *N. Ant. & Conſ.* non enim mediatis principiis &

accidentalibus tanta debetur reverentia naturalis, & ſubjectio, quanta immediatis & eſſentialibus, neque tanti eſt pudoris commiſceri carnaliter illis, atque iſtis: quòd remotioribus, tanquam grandævis, debeatur major reverentia politica, tranſmitti poteſt, negatur autem de naturali. Ad 5. *N. Conſ.* quamvis enim Jus Naturale prohibeat conjunctionem Matrimonialem, ſaltem inter conjunctos ſecundo, & proximis conſanguinitatis gradibus, niſi juſta cauſa hanc indecentiam naturalem tollat, tamen non hoc ipſo illam irritat: unde licèt eam pleræque gentes cultiores deteſtatæ ſemper ſint, non indè ſequitur, invalidam eſſe, ſed illicitam tantùm. Ad 6. Jus Gentium quamvis quandoque confundatur cum Jure Naturali, propriè tamen & ſtrictè ſumptum ab eo diſtinguitur, ut nemo ignorat, qui principia prima Juris callet; præſertim in hac materia odioſa, ubi agitur de Lege Naturali irritante, non debet extendi & confundi cum Jure Naturali. Igitur in hoc ſenſu dicitur committi inceſtus Jure Gentium ab eo, qui ex aſcendentibus vel deſcendentibus propinquis duxerit uxorem, quòd communi Gentium ſenſu id illicitum ſit, non quòd Matrimonium non valeret inter ullos omnino in linea Aſcendentium vel Deſcendentium; præſertim in infinitum: neque iſte textus addit verba, *in infinitum*: licèt Jus Poſitivum Civile, quando pro impedimento dirimente ſtatuit omnem conjunctionem in linea Recta, addat verba, *usque ad infinitum*. utì *l. 53. ff. eod.*

§ 5 Dico 3. Conſanguinitas lineæ Tranſverſæ probabiliùs nec in primo gradu dirimit Matrimonium Jure Naturali, ut adeò inter fratrem & ſororem, niſi obſtaret Jus Eccleſiaſticum, validè contraheretur Matrimonium, quamvis non licitè. Ita S. Thomas 2. 2. *q. 154. a. 9. ad 3.* Scotus, Navar. Gonzal. Pontius, Wieſtner *h. t. n. 28.* & alii multi, contra Bellarm. Sanch. Covarruv. Laym. Clericat. P. Reiffenſtuel, & P. Friderich *n. 31.* aliósque plures. Optima probatio videtur mihi negativa, quia aſſeri-

aſſeri non debet Lex irritans, niſi ſufficienter probetur: ſed exiſtentia Legis Naturalis talia Matrimonia irritantis non ſufficienter probatur, neque ex auctoritate, cùm pro utraque ſententia ferè æqualis, niſi omnino major pro noſtra, ſtet auctoritas, neque ex rationibus intrinſecis, cùm pro neutra parte poſſint afferri convincentes, quæ non patiantur commodam ſolutionem. Nihilominus poſitivè confirmatur noſtra opinio 1. Frater & ſoror inter ſe non habent rationem principii & principati, nec à ſe deſcendunt, ſed ab alio communi principio; ergo reverentia & pudor naturalis, in quo fundatur nullitas Matrimonii Jure Naturali inducta inter patrem & filiam, tantus non eſt, ut irritet Matrimonium, licèt faciat illicitum. 2. In *l. 35. ff. de V. O.* refertur conjugium fratris & ſororis inter ea, quæ *Leges fieri prohibent*, ad diſtinctionem eorum, quæ *Natura fieri non concedit*: ergo. 3. Martinus V. vel potiùs III. dicitur diſpenſaſſe in Matrimonio fratris cum ſorore teſte Cajetano & Sylveſtro *V. Papa q. 17.* referente S. Antonin. & alii Pontifices teſte Gonzal. Sed Papa in Jure Naturali diſpenſare nequit. At ejusmodi diſpenſationes ſunt incertæ, & juxta Lug. *l. 1. Reſponſ. Moral. dub. 40.* & P. Friderich *n.* 34. omnino falſæ. 4. Abraham, utique Juris Naturalis ſciens & obſervans, in uxorem duxit Saram, ſororem ſuam; ſic enim clarus habet textus *Gen. 20. v.* 12. *verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ; & duxi eam in uxorem.* Unde D. Hieron. in *c. 20. cit.* excuſat Abrahamum ex eo, quòd illo tempore tales nuptiæ necdum fuerint prohibitæ Lege. Sed, licèt perſpicuus videatur iſte textus Scripturæ, tamen communior eſt opinio, Saram non Abrahæ, ſed fratris ejus Aram filiam fuiſſe, utì docet Corneł. à Lapid. in *d. lo. Gen.* & fusè probat Bellarm. *de Matrim. c. 28. §. Et quia:* per *ſororem* autem ibi intelligi volunt conſanguineam. 5. Statim initio Generis humani filii & filiæ Adami, adeóque frates & ſorores, inierunt Matrimo-

nium validum: ergo Jure Naturæ non eſt invalidum hujusmodi Matrimonium; cùm non ſit credibile, Deum voluiſſe ſtatim initio naturæ conditæ Legem Naturæ rurſus infringere: potiùs igitur creâſſet plures maſculos & fœminas, quàm permiſiſſet contra Jus Naturæ propagari genus humanum per fratres & ſorores. Sed non malè reſpondet P. Friderich *n. 35.* retorquendo argumentum in nos, qui dicimus Jure Naturali illicitum ſaltem eſſeMatrimonium fratris cum ſorore, niſi Deus diſpenſet: ſi ergo Deo viſum eſt infringere legem faciendo Matrimonium licitum diſpenſativè, quod Jure Naturali (conditionato) eſt illicitum: cur idem dici nequeat de Matrimonio, quod Jure Naturali (conditionato) eſt invalidum, valido diſpenſativè reddito?

16 Oppones 1. Frater & ſoror deſcendunt immediatè ex eodem ſanguine, & Natura eos diviſit, dividendo ſanguinem in duas perſonas: ergo Juri Naturæ repugnat, ut per copulam carnalem fiant una caro, & conjungantur, quos Natura ſeparatos voluit: ſicut, quod DEus conjunxit, homo ſeparare nec debet nec poteſt. 2. Matrimonium inter fratrem & ſororem per ſe eſt ita indecens, ut omnes bene moratæ gentes illud ſemper abhorruerint tanquam turpe & abominandum, ſolo Naturæ lumine inducti, ut inſinuat Ariſtot. 2. *Polit. c.* 2. ergo credibile non eſt, quòd DEus dederit hominibus poteſtatem ad traditionem corporum, à qua ſic abhorret Natura, utì in Aſſertione præcedente ſumus argumentati. 3. In *c. gaudemus 8. de divort.* Innoc. III. decernit, Infideles converſos, ſi in infidelitate contraxerunt Matrimonium in ſecundo vel ulteriori gradu conſanguinitatis, non eſſe ſeparandos: ergo tacitè inſinuavit, ſeparandos eſſe, qui in primo conſanguinitatis gradu (ſive in Recta, ſive in Obliqua linea) contraxiſſent: ergo tale Matrimonium cenſuit eſſe nullum, non Jure Eccleſiaſtico, quo Infideles non ligantur, ſed Naturali. 4. In *Levitico c. 18. v. 9.* prohibetur conjugium fratris cum

Digitized by Google

cum ſorore tanquam turpe; ait enim textus: *turpitudinem ſororis tuæ non revelabis:* ſed impedimenta, quæ ſtatuuntur *d. c. 18.* ſunt Juris Naturalis, vel ſaltem Juris Divini. Unde in *c. 13. de Reſtit. Spoliat.* dicitur, in Eccleſiæ poteſtate non eſſe in gradibus Jure Divino (nempe *c. 18. cit.*) prohibitis diſpenſare.

℟. ad 1. Licèt ex eodem ſanguine deſcendant, tamen 19
unus non eſt principium alterius, fundans ſpecialem reverentiam & ſubjectionem: quòd autem ex eodem ortos ſanguine Natura in generatione ſeparaverit, tam parùm probat, eos Jure Naturali non poſſe conjungi validè Matrimoniô, quàm patruum & neptem, ex communi principio ortos, & à Natura ſeperatos in generatione. Ad 2. Imprimis N. *Ant.* nam Athenienſes (populus utique cultus præ multis aliis) Aſſyrii, Ægyptii, prudentiâ celebres, & aliæ Gentes, de quibus Tirinus in *c. 18. Levit. cit.* Tiraquell. Gonzal. &c. non viderunt hanc tantam indecentiam, cùm permiſerint Matrimonia inter fratres & ſorores: imò illa inierunt liberi Adami, & probabiliter etiam Abraham cum ſorore, utì dictum. Deinde licèt naturalis pudor ejusmodi Matrimonia faciat illicita, non tamen reddit invalida, ita ut DEus abſolutè non dederit poteſtatem his perſonis tradendi jus in corpora ad actus conjugales; cùm nec tanta Auctoritas, utì in priori Aſſertione, neque tam efficax ratio id evincat. Ad 3. N. *Conſ.* qui unum affirmat, non hoc ipſo alterum negat, vel viciſſim, niſi alterum ſit contradictorium: ſed primus gradus non opponitur *contradictoriè* ſecundo; imò nec propriè *contrariè*, adeóque nec argumentum à contrario procedit, præſertim in materia odioſa, utì eſt hæc: Pontifex ibi reſpondit & decîdit, quod ſatìs certum erat, & nihil addidit, ſed abſtraxit à primo gradu lineæ collateralis, de quo acriter in utramque partem adhuc hodiedum diſputant DD. Cape exemplum: Concil. Trid. *ſeſſ. 14. can. 7. de Pœnit.* decîdit, in Confeſſione explicandas neceſſariò eſſe cir-

cumſtantias ſpeciem mutantes: ergo etiam decîdit, circumſtantias purè aggravantes in eadem ſpecie non neceſſariò explicandas eſſe: negabis cum omnibus bonis Theologis utique conſequentiam. Ad 4. *N. Min.* quamvis eam admiſerint quidam Antiqui & Magni Theologi, ac hodie mordicus teneant plerique Sectarii (excepto Bachovio & Grotio) Lutherum, & Bezam Calviniſtam ſecuti. Ratio negandi convincens eſt 1. Anathema à Trident. *in ſ. 24. can. 3. de Matrim.* in eos intortum, qui negant, Eccleſiam in quibusdam gradibus, in Levitico expreſſis, diſpenſare non poſſe: ergo virtualiter docet, non omnes illos gradus eſſe prohibitos Jure Naturæ abſoluto, aut Divino *Morali* & neceſſario, ſed *Ceremoniali* tantùm. Id tamen verum eſt, quòd omnia Matrimonia in *c. 18. Levit. cit.* reprobata contineant aliquam turpitudinem & indecentiam, adeóque illicita forent, ſi paſſim & absque juſta cauſa contraherentur, propter quam Eccleſiæ conceſſum eſt diſpenſare. 2. Quia in *d. c. 18.* recenſentur & prohibentur etiam conjugia inter gradus remotiores lineæ Tranſverſæ, & inter Affines lineæ Tranſverſæ, ſcilicet cum ſorore matris, cum uxore patrui, cum nuru, cum uxore fratris &c. & quis, ſaltem ex Catholicis, dicit, etiam hæc conjugia prohiberi vel irritari Jure Naturali vel Divino Morali, durante adhuc in Novo Teſtamento? Quando DEus in *c. cit.* ejusmodi conjunctiones vocat *abominationes* &c. intelligi debet de extra-Matrimonialibus, Sodomiticis, & beſtialibus: ſi verò de Matrimonialibus, tantùm de illis, quæ fiunt in conjugiis parentum cum liberis. Ad *c. 13. de reſtit. ſpol.* ajo, ſenſum eſſe, quòd Pontifex non poſſit diſpenſare paſſim & ſine gravi cauſa. *arg. can. non liceat 20. cauſ. 12. q. 2.* nec ſoleat facilè in reverentiam Antiquæ Legis, & hinc *in d. c.* præmittitur, *in quo nec etiam conſuevit* Papa diſpenſare, præſertim tempore Innocentii, quo adhuc rigidior erat antiquorum Canonum obſervantia.

§. 2.

Digitized by Google

§. II.

De Affinitate.

SCiendum 1. *Affinitatem*, Schwagerſchafft / quæ 18
eſt quoddam conſanguinitatis ſimulacrum, & ſic dicitur, quia duas cognationes ita copulat, ut una ad alterius *fines* accedat. *l. 4. §. 3. ff. de Gradib. can. 1. cauſ. 35. q. 10.* communiter cum *gl. in Arbor. Affinit. cauſ. 35. q. 5.* ſic definiri: *eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentelâ*, h. e. cognatione, ſeu conſanguinitate. Per tò *propinquitas perſonarum* convenit cum cognatione triplici, Carnali, Spirituali, Legali: per verba *ex copula carnali proveniens*, differt ab impedimento publicæ honeſtatis; imò & conſanguinitatis, quia hæc non præcisè ex copula, ſed actuali ex generatione oritur: intelligitur autem copula *perfecta*, ſeu de ſe ſufficiens ad generationem prolis, quam explicavi *Tit. XIII. n. 2.* ſive proles ſequatur, ſive non: modò ſit talis, per quam vir & mulier fiunt una caro. *Matth. 19. c. 5. de Bigamis.* vel unum corpus. 1. *Cor. 7.* Nec refert, utrùm ſit copula maritalis & licita, vel fornicaria, adulterina &c. & illicita. Trident. *ſ. 24. de Ref. Matr. c. 4. qui enim meretrici adhæret, unum cum illa corpus efficitur.* 1. *Cor. 7. cit.* Nec intereſt, utrùm habita ſit cum volente, & conſcia, vel cum invita, coacta, amente, dormiente, ebria &c. *c. 6. de eo, qui cognovit*; quia etiam per talem copulam vir & fœmina efficiuntur una caro, unum corpus, utriusque ſanguis commiſcetur, & ſanguis unius tangit ſanguinem alterius, & ſic mediatè ſanguinem totius alterius cognationis; in quo conſiſtit Affinitas. Viciſſim autem Affinitas non oritur ex Sponſalibus, nec ex Matrimonio Rato: nec ex copula attentata tantùm, vel ex co-

copula ſpadonis utroque teſticulo carentis &c. Interim, ſi de viri congreſſu cum fœmina conſtet, præſumitur interceſſiſſe copula perfecta pro foro externo. Quapropter dum *c. Juvenis 3. de Sponſal. & c. 7. de eo, qui cognovit.* dicunt, ſufficere copulam imperfectam ſponſorum de præſenti vel futuro ad impediendum Matrimonium, intelligenda ſunt de impedimento publicæ honeſtatis. Per ultima verba, *omni carens parentela*, quæ à multis omnino omittuntur citra diſpendium, indicatur, quòd Affinitas abſolutè poſſit oriri absque generatione actuali, & absque communi ſanguinis participatione, cùm ſanguis in Affinitate non communicetur duabus cognationibus, ſed tantùm attingatur; qua ratione Affinitas differt à Conſanguinitate. Interim tamen non repugnat affinitatem ſtare ſimul cum conſanguinitate (licèt ordinariè ſtet ſine hac) ſic Jacob Patriarcha, quia duxit duas ſorores, Liam & Rachelem, amitinas ſuas, ſimul fuit earum conſanguineus & affinis.

19 Sc. 2. Affinitatis triplex genus ex SS. Canonibus, nempe 3. *& fin. cauſ. 35. q. 3.* à DD. erui. *Primum* fundatur in una tantùm copula, ſeu in una perſona, quæ habuit copulam cum alia: ſic maritus fit affinis cum omnibus conſanguineis uxoris, & viciſſim uxor cum omnibus conſanguineis mariti. *Secundum* in duabus perſonis: in exemplo: Caius frater tuus habuit copulam (ſive conjugalem ſive fornicariam) cum Bertha, & Caius moritur, Bertha verò copulatur Titio, tu factus es affinis Titio, quia priùs eras affinis Berthæ. *Tertium* in tribus perſonis, ut ecce! ponamus, quòd etiam Bertha (in priori exemplo) ſit mortua, & ſuperſtes Titius cognoſcat carnaliter Caiam, etiam cum hac tu, & conſanguinei tui, factus es affinis, quia priùs eras ſecundo genere affinis Titio mediante Berthâ. Ex quo patet, quòd in ſecundo & tertio caſu affinitas pariat affinitatem. Sed juxta communem DD. ſenſum hodie ſecundum & tertium genus affinitatis ſublatum eſt. *c. non debet 8. h. t.*

ita

ita ut affinitas non ampliùs pariat affinitatem, remansítque solum primum genus, seu affinitas primi generis, & vocari solet *Directa*. Quæ duplex distinguitur, *Legitima*, quæ oritur ex copula licita, nempe maritali, seu ex justis Nuptiis: ac *Illegitima*, quæ ex concubitu illicito, & habito inter non-conjuges. Sed de ultima jam satis tractatum est *tit. XIII. de eo, qui cognovit &c.* quamvis regulæ, quas de affinitate hic generaliter trademus, eidem quoque sint applicabiles & applicandæ.

S. 2. Sicut Consanguinei, ita & Affines diversis inter 20
se lineis & gradibus distare; licèt Affinitas non habere gradus dicatur in *l. 4. §. 5. ff. de Grad. & Affin.* id enim intelligendum est de gradibus propriis, qui consistunt in generationibus, quas non requirit Affinitas, utpote originem trahens ex sola copula carnali, nec affinis generat affinem; sed de alienis, scilicet consanguinitatis, ita ut eo gradu Affinitatis quis distet ab aliis, quo gradu Consanguinitatis. Ad dignoscendam itaque affinium inter se distantiam attendi rursus debent stipes, linea, & gradus: *stipes* in affinitate non est unus, sed duplex, scilicet mas & fœmina, inter quos copula carnalis interceßit: hic igitur mas & hæc fœmina fundant affinitatem tanquam principia, inter se autem affines non fiunt per suam copulam. *arg. c. 5. h. t. l. 4. cit. §. 3.* Dein *linea* iterum vel est *Recta*, in qua existunt illi, qui propter consanguinitatem in linea Recta sibi invicem sunt affines, sive hæc linea sit *Ascendens*, sive *Descendens*, atque parentum vel liberorum aut similibus nominibus exprimuntur. Vel est *Obliqua* seu *Transversa*, ant *Collateralis*, in qua veniunt, qui propter consanguinitatem in linea obliqua sibi invicem affines sunt. *Gradus* denique, juxta datam explicationem acceptus, est distantia unius personæ ab altera in ratione affinitatis, sicut de consanguinitate dictum. Gradus autem non minùs in affinitate, quàm in consanguinitate, aliter com-

computantur de Jure Civili, & aliter de Jure Canonico, cùm re ipsa sint gradus consanguinitatis, non proprii affinitatis: in præsenti autem materia in ordine ad dirimendum Matrimonium attenditur computatio graduum Canonica.

---

21 *Schema Affinitatis in Linea Recta.*

In Ascendenti.

Socer (uxoris vel mariti pater.) Schwäher: Schwiger- oder Schwäger-Vatter.
Socrus (uxoris vel mariti mater.) Schwiger: Schwiger- oder Schwäger-Mutter.
Vitricus (vir matris) Stieff-Vatter.
Noverca (uxor patris) Stieff-Mutter.

In Descendenti.

Gener (maritus filiæ.) Tochtermann: Aidam.
Nurus (uxor filii.) Sohns Weib: Schnur:
Privignus (filius ex alio conjuge.) Stieff-Sohn.
Privigna (filia ex alio conjuge.) Stieff-Tochter.

In Linea Obliqua.

Levir (mariti frater.) Deß Manns Bruder: Schwager.
Glos (mariti soror.) Deß Manns Schwester: Geschwey.
Uxorius (uxoris frater.) Deß Weibs-Bruder.
Fratria (fratris uxor.) Deß Bruders Weib.
Sororius (sororis maritus.) Der Schwester Mann.
Congeneri (duarum sororum mariti.) Zweyer Schwestern Männer.
Janitrices (duorum fratrum uxores) Zweyer Brüder Eheweiber.

Notan-

Notandum, quòd hi omnes utriusque lineæ sint affines in primo gradu: reliqui enim in ulterioribus gradibus ferè non habent specialia nomina, sed nomine *Affinium*, vel per consanguineorum mariti, aut uxoris, nomina exprimi solent: excipe in linea Recta *Prosocerum*, deß Manns Anherr: Groß-Schwäher: *Prosocrum*, deß Weibs Anfrau; Groß-Schwiger: *Proprivignum* Stieff-Enkhel: *Proprivignam*, Stieff-Enkhlin: reliqua vocabula Absoceri, Absocrûs: Trisoceri, Trisocrûs &c. non sunt in usu.

Ut autem omnes gradus tam Rectæ quàm Transver- 22
sæ lineæ magis comprehendas, serviet tibi subjecta Arbor Affinitatis. Vel, si hanc arborem non habeas ad manum, ipsas tuas manus adhibe, & in iis duas cognationes, priùs sibi non connexas, dein verò affinitatem contrahentes concipe: per pollicem dexterum intellige virum, per sinistrum fœminam, tanquam principia & stipites affinitatis per copulam carnalem inductæ, per reliquos autem quatuor manûs dexteræ digitos, diversimode distantes à pollice, repræsenta tibi consanguineos viri, quosdam in 1. alios in 2. alios in 3. & demum alios in 4. gradu remotos. Idem tibi finge, nempe consanguineos fœminæ, in quatuor digitis manûs sinistræ. Jam verò sicut in his duabus manibus in plano positis si pollex dexter colligetur vel uniatur cum pollice sinistro, omnibus digitis dextræ manûs pollex sinister fit propinquus, & vicissim dexter digitis sinistræ, cum diversa tamen distantia, eâ nimirum, qua distant à pollice singuli digiti. Pari modo si vir per copulam carnalem jungitur mulieri, appropinquat per hanc conjunctionem omnibus consanguineis mulieris per affinitatem, & vicissim mulier omnibus consanguineis viri, & quidem juxta illam gradûs distantiam, atque lineam, in qua conjuncti sunt viro sui consanguinei, & mulieri vicissim sui.

Hìc ponitur Arbor Affinitatis.

23 Sc. 4. Tria potiſſimùm advertenda eſſe circa Affinitatem, ejúsque gradus dignoſcendos. 1. Quòd conſanguinei uxoris fiant affines mariti, & viciſſim conſanguinei mariti fiant affines uxoris. *can.* 3. *cauſ.* 35. *q.* 5. *c.* 5. 8. *h. t.* quia per copulam carnalem una cognatio ingreditur fines alterius. Idem verò eſt de viri & mulieris, copulam extra-Matrimonialem exercentium, conſanguineis. 2. Quòd in illa linea, & gradu, in quibus aliquis eſt conſanguineus uxori, fiat affinis marito, & viciſſim, in quibus eſt conſanguineus marito, fiat affinis uxori. *can.* 3. *cit.* Quia affinitas indè conſurgit, quòd cognatio unius conjugis trahatur ad cognationem alterius: adeóque juxta menſuram cognationis erit affinitas. 3. Quòd conſanguinei uxoris, & conſanguinei mariti, inter ſe nullam contrahant affinitatem. *c.* 5. *cit.* quia inter utriusque partis conſanguineos deficit nexus & fundamentum affinitatis, quod eſt copula carnalis, quæ tantummodo illum (vel illam) qui habet copulam, connectit cum conſanguineis alterius partis. Et hoc tene menti diligentiſſimè, quòd ille duntaxat, qui cognoſcit carnaliter aliquam, contrahat affinitatem cum conſanguineis cognitæ, non verò pater, frater, vel alius conſanguineus ipſius: ac vice verſa, quòd tantùm illa, quæ cognoſcitur à viro, cum hujus conſanguineis efficiatur affinis, non verò illius mater, ſoror, aut alia vel alius ex conſanguineis. Diligenter (iterum te moneo) hoc nota; quia hujus doctrinæ ignorantia, utì ſæpiùs adverti, plures diſcipulos, imò & Parochos, confundit & in errores inducit. Atque hæc eſt ratio, quòd Matrimonium contrahere poſſint 1. duo fratres cum duabus ſororibus alterius familiæ ſeu cognationis. 2. Quòd pater & filius cum matre & filia alterius cognationis. 3. Quòd filius Titii ex prima uxore cum filia ejusdem Titij

Ad pag. 382.

ARBOR AFFINITATIS.



Digitized by Google

tij privigna, seu nata ex alio marito. Et quòd duo comprivigui, seu liberi conjugum ex alio thoro susceptí; quod contingit, si viduus & vidua (uterque jam habens liberos ex alio Matrimonio) copulentur. §. 8. *Inst. de Nupt. l.* 34. §. 2. *ff. de Rit. Nupt.* 4. Quòd frater vitrici possit ducere hujus privignam. 5. Quòd Caius vitrici sui matrem. 6. Quòd Sempronius viduam, quam reliquit frater uxoris. 7. Quòd Mævius successivè Caiam & Titiam, quarum mariti erant duo fratres. 7. Quòd validè & licitè contrahant Matrimonium inter se fratris & sororis mortuorum superstites conjuges. &c. Quia nempe inter consanguineos ipsos copulam exercentium non oritur affinitas, sed tantùm inter virum cum consanguineis fœminæ, quacum habetur copula, & viciſſim: nec istam personam egreditur affinitas. Unde, licèt consanguinei utriusque partis carnaliter copulatæ communiter vocitare se soleant affines, revera tamen affines non sunt, & iste modus loquendi est popularis tantùm & improprius. Pari modo ducere quis potest privignam, vel novercam suæ uxoris defunctæ; quia hæ sunt tantùm affines uxoris, & ideo est tantùm affinitas secundi generis, quam hodie sublatam esse diximus, ut notat Engel *h. t. §. 2. n. 6.*

Sc. 5. Ex dictis cum communi sensu DD. pro affinitatis gradibus dignoscendis statui posse hanc regulam ex *can. 3. & c. 5. citt.* desumptam: *Vir vel maritus solus fit affinis cum consanguineis mulieris vel uxoris carnaliter cognitæ, ac viciſſim hi consanguinei viro, & quidem in eo gradu, in quo sunt consanguinei mulieri vel uxori.* Et viciſſim: *mulier vel uxor sola fit affinis cum consanguineis viri, ac viciſſim hi consanguinei mulieri vel uxori, & quidem in eo gradu, in quo sunt consanguinei viro.* Hanc regulam constanter habe ante oculos, eámque applica, & facilè deprehendes, quinam, & in quo gradu sint affines. Jam ponendæ sunt Assertiones 24

De Impedimento Affinitatis.

25 Dico 1. Affinitas ortum trahens ex copula licita seu conjugali in linea Obliqua dirimit Matrimonium contrahendum Jure Ecclesiastico hodierno usque ad quartum gradum inclusivè. Communis propter textum in *c. 8. h. t.* ubi correctum est Jus Antiquum. *can.* 1. & 7. *caus.* 35. *q.* 2. & 3. vi cujus ad 7. usque gradum extendebatur tam ex illicita quam ex licita copula ortum trahens affinitas. Dixi 1. *ex copula licita*; nam eam, quæ oritur ex copula illicita, Tridentinum restrinxit ad 2. gradum *Sess.* 24. *c.* 4. *de Ref. Matrim.* ne scilicet nimis frequenter periculo nullitatis exponerentur Matrimonia, cùm fornicatio sit frequens & plerumque occulta. Tollendo autem impedimentum *dirimens* sustulit Tridentinum simul etiam *impediens*, ita ut ultra secundum gradum affinitatis illicitæ neque prohibitum ampliùs sit Matrimonium, sed licitè contrahatur, utì declaravit S. Pius V. motu proprio anno 1566. *in Consit ad Romanum.* 2. *In linea Obliqua*; siquidem in linea *Recta* dirimit Affinitas ex copula conjugali orta probabiliter in infinitum, utì docet P. Friderich *p.* 2. *q.* 3. *a* 2. *n.* 87. *de Conf. & Affin.* cum Hostiens. & utì nos docuimus suprà *n.* 10. de Consanguinitate in linea Recta. Ratio est; quia in Jure Civili Nuptiæ inter Affines in linea Recta prohibitæ sunt in infinitum, utì sumitur, ex *l.* 4. §. 7. *ff. de Gradib. l.* 14. §. 4. *ff. de R. N.* sed hæc Juris Civilis constitutio non est correcta à Jure Canonico; cùm superiùs *n.* 11. ostenderimus, *c.* 8. *cit.* exaudiendum esse de linea Transversa, eò quòd fundetur in ea ratione, quòd difficile visum sit abstinere, & periculosum prohibere Matrimonia cum conjunctis in gradu 5. & ulterioribus: difficile autem non est abstinere à nuptiis Affinium lineæ Rectæ ultra 4. gradum, ut consideranti patebit; cùm non facilè tamdiu vita sit superstes. 3. *Jure Ecclesiastico*;

ſico, quod etiam in *Clem. un. h. t.* pœnam excommunicationis latæ ſententiæ ſtatuit in eos, qui ſcienter in gradu affinitatis prohibito Matrimonium ipſum contrahere attentant. An verò Jure *Naturali* dirimat in aliquo gradu, mox audies. Quare

Dico 2. Affinitas, etiam ex copula conjugali ortum 26
trahens, probabiliùs nec in primo gradu lineæ Rectæ dirimit Matrimonium Jure Naturali, v. g. inter vitricum & privignam, inter novercam & privignum, inter ſocerum & nurum, inter ſocrum & generum. Ita Sanch. *l. 7. de Matr. d. 66. n. 7.* citans etiam S. Thomam 2. 2. *quæſt. 154. a. 9. ad 3.* (licèt eum Adverſarii quoque pro ſe citent *in 1. Cor. 5. v. 1.*) Pontius, Maſtrius, & hoc teſte paſſim Scotiſtæ, Dian. Bonac. Gonzal. Clericat. P. Wieſtner, & plurimi alii; atque communiter Thomiſtæ apud Dian. Contra Sylv. Covarruv. Bellarm. Leſſ. Laym. Lug. Conink, Tanner. Pirhing, & P. Frederich. *n. 72.* plurésque alios. Prob. 1. negativè, quia non ſufficienter probatur nullitas Matrimonii inter affines primi gradûs in linea Recta per Jus Naturale inducta; nam inter has perſonas nec datur ſuperioritas & ſubjectio naturalis, nec ratio principii & principiati, nec ſpecialis reverentia aut amicitia, imò major ſæpe averſio inter novercam v.g. & inter privignum, quàm inter extraneos, nec tantus ardor libidinis, qualis inter cognatos &c. qui à natura deberet refrænari per inductam nullitatem Matrimonii: ergo nullum datur fundamentum de Jure Naturali, in quo fundetur iſta nullitas: ergo non datur. 2. á pari; quia non videtur eſſe major conjunctio inter privignum v. g. & novercam, quàm inter fratrem & ſororem, avum & neptem: ſed inter hos ſpectato præcisè, Jure Naturali poteſt conſiſtere Matrimonium, uti docuimus *n. 13. & 15.* 3. Iterum à pari: ſi affinitas oriatur ex copula illicita, non eſt impedimentum dirimens Jure Naturali, licèt ſit in primo gradu lineæ Rectæ, v. g. ſi aliquis ducceret con-

cubinam ſui patris; uti docent communiter ipſimet Adverſarii, nempe Laym. Lugo *in Reſponſ. Moral. lib. 1. dub. 40. n. 29.* P. Friderich &c. & patet ex diſpenſationibus, quas in hoc gradu largiri non rarò ſolet Pœnitentiaria, præſertim quoad uſum Matrimonii à talibus jàm contracti, quando hoc impedimentum eſt occultum, teſte Rebello *p. 2. de Juſt. l. 3. q. 15. n. 9.* & fatetur Lugo. Ergo neque, ſi affinitas oriatur ex copula conjugali, erit impedimentum dirimens Jurè Naturali; cùm ſtando in Jure Naturali eadem ſit conjunctio per copulam licitam ac illicitam, & hinc æquè ex iſta atque ex illa oriatur affinitas, eò quòd etiam per hanc duo fiant una caro, & una cognatio accedat ad fines alterius.

27 Oppones 1. *Levit. 20. v. 11. 12. ſeqq.* concubitus cum noverca, vel nuru, recenſetur eodem contextu cum præpoſtera libidine & beſtialitate: ergo Jure Naturali æqualiter prohibetur cum beſtialitate &c. quæ utique Jure Naturæ eſt prohibita. 2. 1. *Cor. 5.* dicitur: *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat:* ergo novercam ducere in uxorem omnes gentes horrent, etiam illæ, apud quas aliud Jus non eſt niſi Naturale. 3. In *l. ult. ff. de condict. ſine cauſa.* habetur, quòd noverca nubens privigno Jure Gentium committat inceſtum: ergo. 4. Tale Matrimonium graviſſimam continet indecentiam, & ferè ſimilem, quam conjugium matris cum filio, ita ut ferè omnes gentes illud deteſtentur tanquam nefandum: ergo credibile non eſt, quòd DEus his perſonis dederit poteſtatem tradendi ſibi invicem jus in corpora. 5. Eccleſia in his conjugiis nunquam diſpenſavit: ergo ſignum eſt, quòd non Jure Eccleſiaſtico, ſed Naturali, ſint irrita. 6. Affinitas eſt vinculum naturale, ſeu non dependenter à Jure Eccleſiaſtico vel Civili, ſed ex maritali conjunctione conjugum conſurgens, ut habet communis; quia conjuges per copulam fiunt una caro. *Gen. 2.* ergo Jure Naturali obſtat

stat Matrimoniis, sicut consanguinitas in primo gradu lineæ Rectæ.

℟. ad 1. Ibi non est sermo de concubitu cum noverca in Matrimonio, sed extra istud, quia comparatur cum bestialitate; nam inter hominem & bestiam utique repugnat Matrimonium: talis autem concubitus extra-matrimonialis utique Naturali Jure est prohibitus: per hoc tamen non probatur, quòd Matrimonium contraheretur invalidè de Jure Naturali inter tales personas. Ad 2. Apostolus loquitur de casu, quo quis uxorem patris, adhuc viventis, in uxorem vel pro uxore habere attentavit, uti habet communis Interpretum. Ad 3. Committit incestum de Jure Gentium impropriè dicto, quatenus talia Matrimonia à pluribus gentibus fuerunt prohibita; non verò de Jure Gentium propriè dicto, & universali, minùs autem de Jure Naturali, facta hypothesi, quòd Matrimonium sit inter illos contractum. Dein licèt Jure Gentium propriè tali, vel Jure Naturali tale Matrimonium sit prohibitum, non tamen hoc ipso est irritatum. Ad 4. *N. Ant.* quòd tantam indecentiam contineat, quantam Matrimonium inter patrem & filiam naturalem, ac propriè talem; cùm non detur inter has personas ratio principii & principati. Dein licèt detur gravis indecentia, si passim & sine justa causa contraheretur à personis in primo gradu lineæ Rectæ affinibus, tamen exinde plus non infertur, quàm quòd talia Matrimonia de Jure Naturali ordinariè sint illicita, non tamen, quòd invalida; sicut dictum de gradu secundo consanguinitatis in linea Recta, & de personis in primo ac secundo gradu consanguinitatis in linea Obliqua. Ad 5. Nunquam dispensavit Ecclesia, at non propter defectum potestatis dispensandi, cùm defacto soleat Pontifex dispensare in affinitate orta ex copula illicita, & occulta, licèt sit in primo gradu lineæ Rectæ; sed propter defectum gravioris causæ, quæ debet esse urgentissima. Ad 6. *C. Ant. N. Cons.* vel *dist.* obstat Matrimoniis de Jure

Naturali quoad licentiam, ſecluſa graviſſima cauſa, & diſpenſatione. *C.* quoad valorem. *N. Conſ.* & *retorq. argum.* in gradu ſecundo & ulterioribus, in quibus affinitas etiam eſt vinculum naturale. Item in gradibus, etiam primo, lineæ Tranſverſæ: in quibus nec juxta Adverſarios affinitas dirimit Matrimonium Jure Naturali, ut habet communis Catholicorum; partim quia ſanctiſſimus Patriarcha Jacob duxit duas ſorores, Rachelem & Liam, imò *Deuteron.* 25. non ſolùm permittebatur, ſed etiam præcipiebatur, ut, ſi frater absque liberis deceſſerit, frater ſuperſtes demortui conjugem duceret: partim quia in primo gradu lineæ Tranſverſæ plures Pontifices jam diſpenſârunt, uti Martinus V. Alex. VI. Julius II. Urb. VIII. Innoc. X. ut teſtis eſt Clericat. *de Matr. deciſ.* 31. *n.* 50. Et notoria omnino eſt diſpenſatio Julii II. poſtmodum approbata à Clem. VII. conſultis priùs præcipuis Chriſtiani Orbis Univerſitatibus, per quam Henrico VIII. Regi Angliæ data eſt poteſtas ducendi Catharinam Arragoniam, relictam fratris ſui Arturi conjugem; licèt hanc poſtea vagæ libidinis Rex repudiaverit, ſub prætextu, quòd Pontifex diſpenſare non potuerit: & hæc eſt cauſa, cur hæretici hodiedũ in odium Eccleſiæ Romanæ cum Henrico ſentiant contra univerſalem Eccleſiam, & contra *c. ult. de divort.* ubi Innoc. III. cum iis, qui in infidelitate duxerant fratrum ſuorum defunctorum uxores, diſpenſavit, ut poſtea converſi potuerint manere in Matrimonio priori. Opponunt hæretici dictum S. Joan. Baptiſtæ ad Herodem, *non licet tibi habere uxorem fratris tui. Marc. 6. Mat.* 14. ℞. Rectè reprehendit S. Joannes Herodem, quia duxit uxorem fratris adhuc viventis, uti vult S. Hieron. & S. Thomas &c. vel quia frater Herodis non deceſſit (ſi tamen jam obiiſſet) ſine prole, cùm reliquerit Herodiadem: quod erat contra legem Moſaicam. *Levit.* 18. *v.* 16. quam legem teſte Joſepho *l.* 3. *Antiquit. c.* 17. ſectabatur Herodes, uti notat P. Karchuc.

TITU-

TITULUS XV.

De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coëundi.

SUMMARIUM.

1. 2. *Impotentia in ordine ad Matrimonium (& sterilitas) quid? præsertim naturalis, & accidentalis, absoluta, & respectiva.*
3. *Quænam dicatur perpetua & temporalis, antecedens & superveniens.*
4. 5. *Sola perpetua & antecedens dirimit Matrimonium.*
6. *Si superveniat, quid liceat conjugibus.*
7. *Si constet de perpetua antecedente, quid agendum.*
8. *Quomodo probari certò possit.*
9. 10. *Si verò dubium sit, an detur, quid agendum. Ubi de triennio ad probandum concesso conjugibus.*
11. *Quid agendum, si per errorem dissolvatur Matrimonium propter existimatam impotentiam.*

ULtimum In hoc Titulo traditur Impedimentum dirimens Matrimonii, quod communiter appellari solet *Impotentia*, scilicet ad coëundum, seu ad copulam carnalem perfectam, & aptam ex se ad generationem prolis, quam explicavimus ad *Titulum XIII. de eo, qui duxit, quam polluit. n.* 2. hìc non repetituri, imò totum Titulum præsentem omissuri, eò quòd tractari nequeat sine quibusdam verbis parùm verecundis, ex quibus infirmi, vel incauti, vel vitiosè curiosi, scandalum &

occaſionem peccati vel metuère vel ſumere poſſunt, niſi neceſſitas aliud ſuaderet, ne nimirum ob ignorantiam hujus materiæ Judices Eccleſiaſtici in utroque foro, tam interno quam externo, in varios prolabantur errores, & Matrimonia invalida pro validis, aut viciſſim valida pro invalidis declarent cum gravi animarum periculo. Legenda igitur hæc ſunt cautè, & non niſi neceſſitate poſtulante, intentione pura, & præviâ ad DEum oratione. Porro *impotentia coëundi* differt ab *impotentia generandi*; nam prior eſt inhabilitas ad commixtionem maris & fœminæ, per quam efficiantur una caro, ſeu: eſt inhabilitas ad copulam carnalem perfectam, unde unde orta: poſterior (alio nomine *ſterilitas*) eſt inhabilitas ad actualem generationem prolis etiam præſuppoſitâ copulâ carnali perfectâ, ſeu commixtione maris & fœminæ, prout contingit in ſenibus, & in ſterilibus, ſive ex natura ſive ex accidenti ſteriles ſint. Hæc poſterior impotentia generandi, modò adſit potentia coëundi, non eſt impedimentum Matrimonii, ut habet communis ſenſus DD. praxis Eccleſiæ, exempla S. Scripturæ, ubi *Luc.* 2. Matrimonium S. Eliſabethæ, quæ erat ſterilis naturaliter, cum S. Zacharia habetur pro valido. Neque generatio prolis eſt Matrimonii finis adæquatus; cùm ejus finis, ſaltem ſecundarius; etiam ſit remedium concupiſcentiæ. Adde, quòd ad eſſentiam Matrimonii non ſpectet intendere generationem prolis. Cœterùm per *Frigidos* in Rubrica poſitos intelliguntur maſculi, qui ob defectum caloris nativi vas fœmineum penetrare nequeunt. Per *Maleficiatos* autem, qui ex maleficio vel malitia hominis redduntur inhabiles ad copulam, ſive mas, ſive fœmina, ſive uterque: poteſt autem per malitiam aut artem hominis adhiberi medium, vel medicamentum naturale, quo conjuges redduntur impotentes, vel præternaturale cum pacto tacito aut expreſſo cum dæmone, ut ſi perverſi homines in limine vel alia parte domûs defodiunt certos capillos, ligaturas, nodos

dos &c. quo pacto manent tamdiu impotentes conjuges, quamdiu tale ſignum manet defoſſum: licèt etiam horum máleficiorum vis per remedia ſpiritualia, v. g. per orationes, Sacrificia, exorciſmos &c. quandoque tollatur. His præmiſſis

De Impedimento Impotentiæ

Sciendum 1. Impotentiam, quatenus conſtituit im- 2
pedimentum dirimens, definiri à Sanch. *l. 7. de Matr. d. 92. n. 1.* ſic: eſt *vitium naturale, vel accidentale, impediens coitum*, h. e. perfectam copulam carnalem maris & fœminæ. Unde impotentia 1. dividitur in Naturalem & Accidentalem: *Naturalis* dicitur, quæ ortum habet ex defectu ipſius naturæ, & quaſi congenita eſt homini, ut ſiquis careat membris ad copulam neceſſariis, vel habeat improportionata &c. aut ſi fœmina à viro nullatenus penetrari poſſit, aut ita ſit diſpoſita, ut ſemen viri recipere (ſi retinere nequeat, non cenſetur impotens) nunquam poſſit; vel ſi vir ſit frigidus, uti jam deſcripſimus. *Accidentalis*, quæ provenit ex accidenti, v. g. ex caſtratione, qua quis utroque teſticulo eſt mutilatus (tunc enim verum ſemen non ampliùs habet) ex maleficio dæmonis, arte hominis (unde & *Artificialis* impotentia vocatur) morbo gravi & diuturno, nimia ſanguinis evacuatione &c. Tam Naturalis, quàm Accidentalis, poteſt eſſe vel *Abſoluta*, h. e. reſpectu omnium virorum, aut fœminarum, vel *Reſpectiva*, quæ ſolùm reſpectu unius aut plurium perſonarum datur, non reſpectu omnium: ſic arctitudo fœminæ ſolùm reſpectu unius viri eſſe poteſt, non verò reſpectu alterius: ſic ex maleficio nonnunquam redditur vir impotens ad coëundum cum una, non verò cum alia.

Sc. 2. Impotentiam ulteriùs dividi in Perpetuam & 3

Temporalem. *Perpetua* censetur, quæ per artem, vel media naturalia, vel per spiritualia, puta per Orationes, Benedictiones, Ecclesiæ Exorcismos &c. licitè tolli non potest, vel sine miraculo, aut absque mortis periculo. *Temporalis,* quæ arte vel medio naturali, vel spirituali; citra miraculum, & sine mortis periculo auferibilis est. *Sine mortis periculo,* inquam; utrùm verò pro impotentia perpetua haberi debeat, quæ quidem sine gravi periculo mortis, non verò sine periculo gravis morbi potest auferri, disputant DD. in utramque partem probabiliter: mihi videtur cum Sanch. & P. Wiestner *h. t. n. 7.* non habenda pro perpetua; quia *c. 6. h. t. §. per hæc autem* periculum corporale, cujus priùs meminerat, postea sic explicat: *ut ex ea mortis periculum timeatur.* A fortiori, si per gravem duntaxat cruciatum absque periculo etiam gravis morbi auferri posset impotentia, non foret perpetua, & conjunx post semel contractum Matrimonium, exigente altera parte (saltem si defectus sit ex parte uxoris, a qua petitur, & non ex parte viri petentis) teneretur eum sustinere; quamvis sustinere non teneatur, si probabile periculum mortis, v. g. fœminæ ex incisione imminneret: uti & si Medicis dubium foret, an periculum mortis sequatur ex medicamento ad removendam impotentiam adhibito. Gutierez & alii apud P. Schmalzgrueber. *h. n. 44.* si enim in scissura probabile periculum sit mortis, & sic auferibilis impotentia, planè pro perpetua meritò censetur, quæ irritat Matrimonium, uti dicemus: unde ergo obligatio sustinendi? Adde, quòd nemo censeatur se obligare per contractum Matrimonialem ad subeundum tam grave periculum. Quomodo maleficium diabolicum sit tollendum per destructionem, vel remotionem signi magici, vel per petitionem, ut Magus tollat maleficium, tradit cum Sanch. *d. 96. l. 7.* P. Schmalzgrueber *à n. 21.* & P. Wiestner *eod. tit. à n. 19.* Porro quævis Impotentia tam Naturalis quam Accidentalis, tam Perpetua

petua quàm Temporalis, potest esse vel *Antecedens*, quæ jam datur ante Matrimonialem contractum, vel *Superveniens*, quæ illum subsequitur, & primùm postea oritur. In dubio præsumitur antecedens, si naturalis: superveniens, si accidentalis sit, nisi hoc statim sit notatum. Wieltner *n.* 30.

Dico 1. Impotentia perpetua (sive sit absoluta, sive respectiva, sive naturalis sive accidentalis) dirimit, tam Jure Naturali, & Divino, quàm Positivo, Matrimonium contrahendum, non verò contractum. Text. & DD. in *c. 1. seqq. & c. 6. h. t.* Ratio est, quia ad essentiam Matrimonii spectat tradere jus (saltem remotum) ad usum corporis, & copulam conjugalem, juxta communem omnium sensum, fundatum in illo *Gen.* 2. *erunt duo in carne una:* sed tale jus tradi non potest, ubi, & inter quas personas datur impotentia perpetua, unde unde orta, & antecedens Matrimonialem contractum: ergo. Dixi 1. *Impotentia*, scilicet ad copulam perfectam; nam impotentia præcisè ad generationem actualem, seu sterilitas, unde unde ortum habeat, non dirimit Matrimonium. per *c.* 2. *h. t.* modò adsit potentia coëundi. 2. *Perpetua*, non verò temporalis: quare, si absque miraculo, absque peccato, & absque periculo mortis tolli possit, non dirimit. 3. *Matrimonium contrahendum, non verò contractum*, adeóque impotentia *antecedens*, non verò *superveniens*, reddit inhabiles ad Matrimonium; quia Matrimonium, semèl validè contractum, est indissolubile: de Matrimonio *consummato* certum est apud omnes: de *Rato* tantùm apud plerosque, ex *can.* 18. 25. *caus.* 32. *q.* 7. cùm neque Ratum dissolvi possit quoad vinculum, nisi Professione Religiosa, aut, ut habet communior, dispensatione Pontificis. Unde infertur, validum esse Matrimonium 1. spadonis, & eviuchi seu castrati, uno tantùm testiculo carentis: si utroque careret, nullum foret Matrimonium juxta decisionem Sixti V. & quia verum semen non

habet. 2. Hermaphroditi ſecundùm ſexum, qui præ-valet, contrahentis, imò probabiliùs etiam ſecundùm ſexum debiliorem, modò Medicorum judiciô potens ſit ad copulam perfectam in illo ſexu: ſi uterque ſexus videatur æqualis, & neuter prævalere, ipſe verò quoad utrumque ſexum ſit potens ad copulam (quod rariſſimè continget) in ipſius arbitrio eſt eligere, an ut vir, vel ut fœmina contrahere velit; cùm revera ſit vir & fœmina: electione tamen ſemel facta variare ampliùs non poteſt. *Hermaphroditus* dicitur, qui repræſentat utrumque ſexum, maſculinum & fœmininum, de quo Paulus Zacch. *l. 7. tit. 1. q. 8.* 3. Senis, aut vetulæ in quacunque ætate, modò ille, ſaltem arte Medica adjutus, ſemen, vel ſaltem partem ſeminis (ut ut ſterilis) in vas fœminæ penetratum emittere, illa verò ſemen virile, ſaltem illius partem, recipere valeat, licèt fortè non retinere. Quare Lex Julia & Papia viris poſt 60. fœminis poſt 50. annum prohibentes Matrimonium, eò quòd in tali ætate præſumantur non ampliùs generare, in foro Canonico nihil valent, imò hodie nec in foro Civili propter *l. 27. C. de Nupt.* Adde, quòd ſæpius etiam generent prolem perſonæ dictam ætatem notabiliter egreſſæ. 4. Conſtituti in articulo mortis, modò potentia coëundi per morbum non ſit penitus deſtructa, ſed tantùm impedita, licèt moraliter perpetuò. Sic ſentire de his (uti de ſenibus) nos jubet praxis Eccleſiæ, permittentis, ut concubinarius in articulo mortis ducat concubinam, ſive ut legitimentur proles jam ſuſceptæ, ſive ut periculum conſenſûs in voluptatem carnalem illicitam evitetur. 5. Ignorantis, vel dubitantis, an ſit potens ad coëundum, modò revera ſit potens, & perpetuâ ſaltem impotentiâ non laboret. Licitè tamen non contrahit, qui de ſua potentia practicè dubitat, nec deponit priùs dubium, antequam contrahat. A fortiori peccabit, qui per errorem putat ſe eſſe impotentem, & tamen contrahit Matrimonium.

Oppo-

Digitized by Google

Oppones 1. Matrimonium inter perpetuò impotentes parit aliquam obligationem: ergo valet. *Ant.* prob. tum ex *c. 4. & 5. h. t.* ubi tales impotentes cohabitare jubentur tanquam fratres & sorores: ergo obligantur ad vitam socialem & cohabitationem, mutuaque obsequia: tum ex *can. 2. caus. 33. q. 1.* ubi inter tales dicitur dari *retinaculum conjugale:* ergo verum Matrimonium; cùm ibidem jubeantur *manere innupti, si retinaculum conjugale voluerint rescindere.* 2. Ad valorem & essentiam Matrimonii magis requiritur conjunctio animorum, quàm corporum per copulam carnalem: sed conjunctio animorum stare potest cum impotentia ad copulam: ergo. 3. Juxta nos subsistit Matrimonium inter moraliter impotentes ad commercium carnale, si nempe contrahatur cum pacto de servanda perpetua castitate: ergo etiam subsistet inter physicè impotentes. 4. In *c. 3. h. t.* Alexander III. cuidam viro dedit potestatem ducendi aliam uxorem, cujus prior uxor ante consummationem Matrimonii incidit in impotentiam perpetuam. Simile quid habetur in *can. 18. superiùs cit.* ergo Impotentia superveniens dirimit Matrimonium saltem Ratum. 5. Potentia ad copulam est de substantia Matrimonii: ergo, si impotentia ad copulam superveniat Matrimonio jam contracto, illud perit & dissolvitur. 5

R. Quamvis Pontio cum aliis videatur, Matrimonium, saltem scienter cum impotentia contractum, verum esse Matrimonium: plerique tamen alii, &, ut dicit P. Schmier, omnes, qui consequentiam doctrinæ amant, cum Sanch. id negant propter claros textus in *c. 4. & 6. citt.* & quia traditio corporum cum obligatione reddendi, & facultate exigendi debitum conjugale, saltem radicali, est de essentia Matrimonii, ut alibi docuimus. Ad 1. *N. Ant.* Si enim ignoranter cum impotentia contraxerunt, clarè videtur negari obligatio cohabitandi *c. 5. cit.* licèt ea permittatur dictô modô. Si verò scienter, sive

unus,

unus, sive uterque, probabiliùs neque tunc tenentur cum habitare ut fratres & sorores, ut docent multi cum Sanch. contra Abb. Pirh. & Reiffenstuel; quia contrahentium mens non videtur fuisse se obligare ad talem cohabitationem, sed ad verum Matrimonium; quod tamen est nullum: quamvis in utroque casu possint, si velint, ita cohabitare, modò absit periculum incontinentiæ, tactuum, & delectationum Venerearum; quia Jus *c. 4. & 5. citt.* eam indulget. Dein licèt essent obligati ad cohabitandum dicto modo, non tamen sequeretur Matrimonium valere; quia unum effectum potest Jus concedere actui invalido, quin tribuat effectum principalem & valorem actui. In *can. cit.* per *retinaculum conjugale* non verum, sed putativum intelligitur vinculum, eò quòd in potestate contrahentium esse dicatur illud rescindere vel non: verum autem vinculum Matrimonii dissolvere non est in potestate hominis, vel contrahentium. Ad 2. *N. Ma.* quæ si vera esset, Matrimonium posset consistere inter patrem & filiam: conjunctio animorum non alia est de essentia Matrimonii, quàm quæ consistit in mutuo consensu, dum contrahitur. Ad 3. *N. Conf.* qui enim physicè sunt impotentes ad actum conjugalem, neque jus remotum & radicale in corpus ad actus conjugales dare possunt, neque dominium in corpus, licèt illud separabile sit ab usu. Ad 4. ibi vel est casus de impotentia antecedente, vel Alexander III. dispensavit in Matrimonio Rato propter superveniens impedimentum; quod juxta nos potest Pontifex. Idem respondetur ad *can. 18.* Ad 5. Potentia ad copulam est quidem de substantia Matrimonii in fieri, seu adesse debet, quando illud contrahitur, non verò in facto esse, & quando jam fuit semel validè contractum; aliàs etiam Matrimonium *consummatum* deberet dissolvi per impotentiam supervenientem: quod est erroneum in fide.

§ Quæres, quid liceat conjugibus, si Matrimonio jam validè contracto superveniat impotentia? R. 1. Si est impo-

potentia ad generandum præcisè, v. g. si vir orbaretur utroque teste; licita ipsis est copula, & omnia alia aliis conjugibus concessa; quia obtinetur saltem finis secundarius Matrimonii, nempe remedium concupiscentiæ. ℣. 2. Si est impotentia coëundi, & quidem certa, licita sunt ipsis oscula, tactus non impudici, amplexus &c. si exerceantur in maritalis amoris signum; quia habent jus in corpora: quamvis copula sit impossibilis, & ab illius attentatione abstinere teneantur. Sanch. Laym. Gobat. Filliuc. Sporer, Pirhing, Krimer: modò absit periculum pollutionis, ut notant DD. imò, licèt adsit periculum pollutionis, modò absit periculum consensûs in illam, ut observat Reiffenstuel *h. t. n. 65.* quia generaliter nemo tenetur abstinere ab actu alias sibi licito, etsi prævideat secuturam ex ea pollutionem; modò absit periculum consensûs in illam. Cum communi Sanch. *l. 9. d. 45. n. 4.* ℣. 3. Si est dubia, licitus quoque ipsis est nisus ad copulam, & quidem per triennium (uti de impotentia antecedente dubia dicemus postea *n. 9. 10.*) si tamdiu est probabilis spes, eam posse perfici, licèt præter intentionem pollutio, & totius seminis effusio extra vas contingat. Ita *citt.* Authores *arg. c. 5. h. t.*

Dico 2. Si impotentia perpetua & antecedens conjugibus putatitiis est certa, non tamen publicè notoria, possunt quidem, si velint, & absit periculum incontinentiæ, tactuum &c. (quod rarò abest, maximè si in eodem lecto cubare vellent; quod non est permittendum) cohabitare instar fratris & sororis, absque omni tactu, oscula &c. quia revera sunt personæ solutæ; non tamen tenentur, sed 2. Possunt vel ambo, vel alteruter reclamare, & separationem petere. 3. Quocunque tempore voluerint. 4. Non tamen propria auctoritate separationem instituere, sed opus est auctoritate Judicis Ecclesiastici. 5. Et prævia probatione legitima in foro externo. 6. Facta autem tali probatione, & declaratione nullitatis à Judice Ecclesiastico, licet utrique ad aliud

Mas-

Matrimonium transire, si potentia tantùm fuit respectiva; si autem absoluta, illi, qui non est impotens. Ita communis. Pars 1. est certa ex *c. 5. cit.* Pars 2. patet ex eodem *c. 5.* & ex eo, quia tale Matrimonium est nullum, adeóque nullam parit obligationem; neque intendunt contrahentes se obligare ad cohabitandum, nisi ut conjuges. Limitant tamen DD. cum Sanch. *l. 7. d. 114. n. 3. 4.* & dicunt, quòd non audiatur reclamans, qui impotentiæ propriæ conscius contraxit, nisi periculum incontinentiæ subesset ex consortio; item si vir propriam frigiditatem allegans velit transire ad alias nuptias: aliud foret, si allegaret impotentiam fœminæ, aut maleficium, quod ordinariè est quidem in viro, at inducens tantùm respectivam impotentiam, seu respectu fœminæ, quacum contraxit. Pars 3. sumitur ex *c. 6. & fin. h. t.* quia verò his *cc.* videtur esse contrarium *c. 1. eod.* ubi fœmina post annum & dimidiũ impotentiam viri allegans non ampliùs auditur, eò quòd citiùs scire potuisset prætensam impotentiam; ideo ad evitandam antilogiam videtur dicendum, assertionem procedere de casu, quo uterque conjunx fatetur impotentiam: si verò unus asserat impotentiam, alter neget, tunc non auditur illam allegans, nisi alleget post lapsum triennii ad experientiam impotentiæ à Jure concessi, vel nisi ante lapsum triennij allegans afferat indicia impotentiæ certa, aut valde verisimilia, & non præcisè dubia: imò licèt dubia tantùm afferret, si tamen statim, v. g. post unum vel alterum mensem ab attentata copula proclamaret, audiri deberet. per *c. 1. cit.* P. Schmalzgrueber *h. n. 74.* cum Sanch. Guttierez, Barb. Palao &c. Pars 4. colligitur ex *c. 3. de divort.* quia, si propria auctoritate possent recedere, facilè oriretur scandalum, cùm publicè habeantur pro veris conjugibus; & simul periculum animarum, cùm facilè posset contingere, ut unus, vel uterque, mutuæ cohabitationis pertæsi, prætenderent impotentiam, quæ vel non datur, vel certa non est, & prius Matrimo-

nium dissolverent, novúmque contraherent, atque sic in perpetuis adulteriis viverent. Pars 5. fundatur in *c. 1. cit.* & in adducta ratione; quia alias possent colludere conjuges, & licentiam novi Matrimonii contrahendi obtinere etiam absente impotentia, si hæc legitimè probari non deberet, & concludenter. Adde, quòd pro Matrimonio semel contracto stet præsumptio Juris, & simul possessio, ac insuper causa Matrimonii sit favorabilis: adeóque requiritur probatio impotentiæ, propter quam dissolvi debet, plena & concludens. Pars 6. per se clara est, cùm cesset impedimentum Matrimonii. Concordat communis DD. & *can. 4. caus. 33. q. 1.* ubi habetur, quòd, si postmodum habilitas concumbendi eveniat illis, qui priùs laborabant impotentiâ respectivâ, non reconciliari, aut restitui debeant prioribus conjugibus.

Quæres, quomodo probari possit ac debeat impotentia, propter quam dissolvatur, vel potiùs declaretur nullum à Judice Ecclesiastico, Matrimonium semel contractum? ℟. 1. Sola assertio impotentiæ facta ab alterutro, vel etiam utroque, licèt jurato, non sufficit, propter periculum collusionis & fraudis, uti dictum, ne pendeat dissolutio Matrimonii à solis conjugibus. ℟. 2. Si veritas aliunde sufficienter haberi nequeat, Judex Ecclesiasticus curare debet, ut adhibeatur inspectio corporum, quæ quidem in viris facienda est per Medicos & Chirurgos, saltem duos, fide dignos, in arte expertos: in fœminis verò per obstetrices, vel alias honestas matronas, saltem duas, fide dignas, in arte vel opere nuptiali expertas; ordinariè non per viros propter indecentiam, nisi quæstio sit de altiore qualitate, fœminarum peritiam superante, v. g. an arctitudo fœminæ per incisionem absque periculo mortis tolli possit, & illa ad copulam apta reddi. text. & DD. in *c. 6. & fin. h. t. c. 4. c. penult. de Probat.* Neque his viris aut fœminis creditur, nisi sub juramento deponant, quod sentiunt de potentia

8

vel

vel impotentia; per *c. nuper* 51. *de teſtib.* & niſi à Judice electi, ac non ſuſpectæ ſint fidei, ut communiter advertunt DD. ℟. 3. Si per inſpectionem deprehendantur indicia certa impotentiæ, Matrimonium ſtatim eſt declarandum nullum, licèt conjuges inſpecti non priùs jurent, quòd ſe invicem nunquam carnaliter cognoverint, ut habet communis cum Abb. & Sanch. Sed ſufficit juramentum, quod Medicis, & obſtetricibus eſt delatum; cùm jam habeatur indè plena probatio. ℟. 4. Si per inſpectionem vel aliam probationem deprehendantur ſigna impotentiæ non phyſicè, ſed tantùm quaſi moraliter certa, vel, ut alii loquuntur, *valde veriſimilia* ſeu veroſimiliter evidentia, ita ut pro potentia non militet probabilis ratio, tunc juramentum, quod eſt *ſcientiæ*, deferendum eſt conjugibus, quo aſſerant, ſe copulam habere non poſſe, item ſeptimæ manui conſanguineorum, ſeu ſeptem conſanguineis (& in horum defectu tot vicinis bonæ famæ) quod eſt juramentum *credulitatis*, quo affirment, ſe omnino credere, quòd conjuges verum jurent; & tunc Matrimonium iterum ſtatim eſt pronuntiandum nullum. *c. 5. h. t.* Sanch. *l. 7. d. 107. n. 4.* & alii. Quamvis verò Tambur. Perez, & Krimer hæc juramenta putent eſſe fruſtranea, communis tamen aliorum illa requirit meritò tanquam adminicula, cùm in re tam ardua omnino moralis certitudo procuranda ſit. P. Reiffenſtuel *n. 45. & 46.* cum Sanch. Innoc. & Alex. de Nevo requirit ſeptem conſanguineos ex qualibet parte, adeóque quatuordecim: quamvis *n. 47.* notet, ſufficere pauciores, etiam duos conſanguineos (vel vicinos) ſi tot commodè haberi non poſſint. Si teſtimonia diſcordent, procedendum eſt, ſicut quando ſunt dubia. De quibus

D Dico 3. Si impotentia perpetua & antecedens poſt inſpectionem corporum, vel alias probationes adhibitas, eſt dubia, eò quòd indicia ſolùm dubia ſint deprehenſa, tunc, licèt ambo conjuges faterentur impotentiam, Matrimo-

trimonium non ſtatim eſt diſſolvendum, ſed ad explorandam impotentiam ipſis injungendum triennium integrum. 2. Quod incipit à prima copula attentata. 3. Intra quod morali ac humana diligentia conari debent perficere copulam, toties nimirum, quoties honeſti conjuges ejusdem conditionis, ætatis, qualitatis uti ſolent Matrimoniô, v. g. intra hebdomadem aliquoties. 4. Elapſô autem trienniô ſi necdum habeatur certitudo de impotentia perpetua, tunc, ſi unus tantùm conjugum illam fateatur, inſpectio corporum, ſi necdum fit facta, adhibenda eſt; ſi verò uterque fateatur, deferendum eſt juramentum conjugibus, & ſeptimæ manui, uti *n. præced.* explicavimus, 5. Et tunc, ſi ambo jurârunt, ſe per triennium operam dediſſe copulæ, conſummare tamen nunquam potuiſſe, & ſeptima manus propinquorum, quòd id credant, Matrimonium eſt annullandum. 6. Si verò una pars (ſive vir ſive fœmina) neget, intra hoc triennium à ſe habitam eſſe copulam, altera autem juratò affirmet, nec certa impotentiæ ſigna appareant, ſed ambigua, credendum affirmanti, & pronuntiandum pro valore Matrimonii: neque in hoc caſu neceſſarii ſunt 14. ſed tantùm ſeptem conſanguinei, ſeu unius tantùm partis ſeptima manus. Pars 1. ſumitur ex *c. 5. & fin. h. t.* nec ſufficit ſola confeſſio conjugum de impedimento ad diſſolvendum Matrimonium. per *c. 5. de eo, qui cognovit.* 2. Ex *eod. c. 5. h. t.* ubi dicitur computari *à tempore celebrati conjugii*; quia præſumitur, ſtatim poſt illud celebratum attentari ſolere copulam. Alii putant, computandum eſſe à decreto vel ſententia Judicis: ſed hoc procedit fortè in Curia Romana de praxi. 3. Conformis eſt communi doctrinæ. Quomodo triennium debeat eſſe continuum, dubitant: ſed rectè dicitur, quòd moraliter, ita ut non cenſeatur interruptum, ſi negotii vel alia de cauſa per aliquot dies vel hebdomades, imò per unum vel alterum menſem, non cohabitent, vel ob infirmitatem abſtineant ab attentatione copulæ: ſi diutiùs

abſtinerent in uno continuo, illud tempus foret ſupplendū. Partis 4. membrum 1. docet P. Kugler de Matrim. *n.* 1454. ut per *juſtum judicium* probetur impotentia: membrum 2. patet ex *c. 5. & fin. citt.* uti & Pars 5. Neque audiendi ſunt, qui putant, juramentum illud non requiri, quando ex inſpectione Matronarum mulier deprehenditur eſſe adhuc virgo; quia per artes & fraudes mulierum potuit apparere virgo, atque inſpicientes potuerunt decipi, *& ſæpe manus fallitur & oculus obſtetricum. c. penult. de probat.* Adde, quòd per colluſionem potuerint abſtinere ab attentatione copulæ. Pars 6. deſumitur ex *c. fin. de ſent. & re jud.* quia id exigit favor Matrimonii, item ex *c. 65. de R. J. in 6.* quòd in pari cauſa potior ſit conditio poſſidentis. Vid. P. Reiffenſtuel *n. 48. ſeqq. h. t.*

10 Porro notandum 1. triennium à Jure conceſſum ad probandam potentiam extendi in iis, qui immediatè poſt adeptam pubertatem Legalem contraxerunt Matrimonium, nempe fœmina 12. vel mas 14. annos primùm egreſſus; his enim indulgetur probatio adhuc triennalis poſt adeptam plenam pubertatem, quæ in fœminis anno 14. in maribus anno 18. ætatis cenſetur eſſe completa. Sanch. *l. 7. d. 110. n. 10.* cum benigniori & rationi magis congrua opinione; quia dubium eſt, an non priùs impotentia coëundi ex defectu ætatis, & virium imbecillitate provenerit. Pariter tempus triennio longius indulgeri poſſe cenſet Engel *h. t. n. 6.* quando impotentia ortum habet ex maleficio: propter quod præcipuè triennium concedi putat Maſtrius; cùm impotentia naturalis citò deprehendi ſoleat à Medicis. Econtra brevius triennio tempus, à Judice determinandum, in ſenibus concedendum eſſe notat P. Kugler *n.* 1454. quia curſu temporis eorum impotentia magis debilitatur, quàm roboratur. Notandum 2. triennium ad probandam potentiam etiam in foro interno licitum & permiſſum eſſe, ſi ea ſit dubia, in iis caſibus, in quibus, ſi res ad forum exter-

num

tum deferretur, Judex illud concedere potest, & debet.

Dico 4. Casu quo Matrimonium ob impotentiam, le- 11
gitimè probatam in Judicio, Matrimonium est dissolutum, postea verò apparet, conjuges fuisse potentes, eò quòd fortè fornicentur, vel in alio Matrimonio, quod contraxerunt, prolem generent, vel id aliunde probetur legitimè, regulariter restaurandum iterum est, dissolutô, si quod postea initum est, subsequenti Matrimoniô. Communis & certa ex *c. 5. & 6. h.t.* eò quòd prius Matrimonium fuerit validum, auctoritate Judicis, præsertim ex errore procedentis (minùs authoritate privata) non solubile. Neque sententia contra Matrimonium lata transit in rem judicatam. *c. 7. de sent. & re jud.* proin semper deprehenso errore retractanda. Dixi, *regulariter;* nam restaurandum non est 1. si impotentia sublata sit per miraculum, vel per maleficium, aut peccatum; quia tunc fuit perpetua, quæ obstat valori Matrimonii. 2. Si fuit respectiva, v. g. ob arctitudinem fœminæ respectu prioris viri non curabilem, non verò respectu aliorum, aut ob maleficium; nam orta ex maleficio ordinariè solet esse tantùm respectiva: impotentia autem respectiva perpetua obstat Matrimonii valori. 3. Si pars separata Religionem professa sit; hæc enim dirimit Matrimonium præcisè Ratum, & nondum consummatum.

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Interdictum seu Vetitum Ecclesiæ, & Tempus feriatum, vel sacratum, quid*

4. 5. *Non Matrimonium, ſed Nuptiæ prohibentur tempore ſacrato.*
6. *Quis interdicere poſſit Matrimonium certis perſonis.*
7. 8. *Pontifex interdicens non hoc ipſo irritat Matrimonium, nec Epiſcopus interdicens propter Sponſalia inita cum alia, licèt lis jam ſuper iis mota ſit.*
9. *Diſpenſatio quid ſit, & quid requirat.*
10. *Pontifex diſpenſare poteſt in omnibus impedimentis Matrimonii Jure humano introductis,*
11. *Tam in Dataria quàm in Pœnitentiaria. Quid hæ ſint.*
12. *Etiam in forma pauperum. Quid hæc ſit.*
13. *Cauſa requiritur ad diſpenſationis vel valorem vel licentiam.*
14. *Eáque cum facti circumſtantiis fideliter exprimenda ab oratoribus.*
15. *Impedimenta Matrimonii impedientia alia ſunt Juris Humani, alia Naturalis & Divini.*
16. *Quæ vota inducant impedimentum impediens.*
17. *Quando votum Caſtitatis, vel Religionis, ſit reſervatum Pontifici.*
18. 19. *Quinam diſpenſandi in impedimentis impedientibus poteſtate polleant.*
20. *Quando Epiſcopus in voto reſervato.*
21. *An in non reſervato præter Epiſcopum etiam Confeſſarii Regulares Mendicantes diſpenſent.*
22. *Quæ cauſæ ad id ſufficiant.*
23. 24. 25. 26. *Praxis petendi diſpenſationem in voto reſervato à S. Pœnitentiaria.*
27. *Et obtentam exequendi:*
28. *Impedimenta dirimentia quæ ſint Juris Naturalis & Divini: quæ Eccleſiaſtici.*
29. 30. *In illis nec Papa diſpenſare poteſt.*
31. *In iſtis verò omnibus, licèt non ſoleat in omnibus, & in*

Digitized by Google

& in quibusdam non facilè.

32. Non autem inferior Papâ, saltem ordinariè dispensat.

33. Bene tamen quandoque Episcopus, aut Legatus Papæ.

34. An etiam Capitulum Sede vacante, aut Episcopus per Vicarium Generalem, aut per alium: an Religiosi quoque.

35. Ex quibus causis dispensari in dirimentibus valeat.

36. Quid circa has causas notandum.

37. Quænam exprimi debeant in petitione dispensationis.

38. Praxis eam petendi à Dataria Romana:

39. Et exequendi.

40. An valeat dispensatio, si in litteris petitionis omnia fideliter sunt exposita, rescriptum tamen Romanum contineat aliquid iis adversum.

41. 42. Praxis petendi dispensationem à Pœnitentiaria:

43. Eámque exequendi:

44. Præsertim quoad pœnitentias injungendas:

45. Et legitimandas proles.

46. seqq. Praxis petendi & exequendi dispensationem ab Episcopo quoad utrumque forum.

50. 51. Matrimonium, invalidè contractum vel propter defectum consensûs vel propter aliud impedimentum, restaurari potest.

52. Si fuit invalidum propter defectum consensûs ex parte unius, sufficit, si iste solus postea ponat verum consensum, altera parte non monita.

53. 54. Si propter aliud impedimentum, eo sublato necesse est, ut utraque pars de novo consentiat, & priùs certioretur illa, quæ impedimentum ignoravit.

55. Quomodo hæc certioratio fieri possit aut debeat.

56. *Quomodo se gerere debeat Confessarius, si advertat, pœnitentem suum esse in Matrimonio invalido.*

57. *Matrimonium semel in facie Ecclesiæ contractum, at invalidè, non restaurari debet in facie Ecclesiæ, si impedimentum sublatum maneat occultum.*

PEr *Interdictum Ecclesiæ* generaliter acceptum intelligi potest omne Impedimentum, tam Dirimens, quàm Impediens, ab Ecclesia introductum, eò quòd Ecclesia omnibus tali Impedimento laborantibus prohibeat seu interdicat Matrimonium: specialiter tamen acceptum sola complectitur Impedimenta Impedientia, quæ hodie solummodo quatuor supereſſe notavimus in *Tit. I. n. 92.* hoc versiculo comprehensa: *Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.* De Sponsalibus, quatenus sunt Impedimentum Impediens, ad *tit. IV. de Sponsa duorum.* De Voto autem ad *tit. VI. Qui Clerici vel Voventes.* jam egimus. Supereſt nunc, ut, postquam huc usque omnia Impedimenta Dirimentia discussimus, pariter discutiamus residua duo Impedimenta Impedientia, cum quibus quidem validè, non verò licitè initur Matrimonium, scilicet de *sacrato Tempore*; & de *Vetito Ecclesiæ*, quod est *Interdictum* presse sumptum. Cùm verò Impedimenta tam Dirimentia quam Impedientia tolli possint per *Dispensationem*, nullus verò de hac exstet Titulus, convenienter hoc loco, ubi finiuntur omnia Impedimenta, de illa instituitur Tractatus, tam necessarius, quàm utilis scitu. Igitur in §. 1. agemus de Impedimentis Impedientibus *sacrati Temporis*, & *Vetiti.* In 2. de *Dispensatione* in genere, ac in specie de dispensatione in Impedimentis *Impedientibus.* In 3. de *Dispensatione* in Impedimentis *Dirimentibus.* In 4. de *Restauratione* Matrimonii, prius invalidè contracti, post impetratam Dispensationem facienda.

§. 1.

Digitized by Google

§. I.

De Sacrato Tempore, & Vetito Eccleſiæ, Impedimentis Impedientibus.

SCiendum 1. Tempus *Sacratum*, ſeu *Feriatum*, hic 1
dici illud, quo celebrari ſolennes nuptiæ prohibentur ab Eccleſia. Tempus verò iſtud hodie eſt à die Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ, ſeu Dominicam *in Albis* incluſivè, & ab *Adventu* Domini Noſtri usque in diem *Epiphaniæ*. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 10. *de Ref. Matrim.* ubi abrogatæ ſunt aliæ Juris antiqui feriæ, ſcilicet à Dominica Septuageſimæ usque ad Quadrageſimam, dies Rogationum, & tres ſeptimanæ ante Feſtum S. Joan. Bapt. quibus diebus de Jure antiquo pariter erant prohibitæ nuptiæ. Quid autem per has cenſeatur prohibitum, dicemus ſtatim. Priùs

Sc. 2. *Vetitum*, ſeu *Interdictum Eccleſiæ*, hoc loco 2
eſſe ſpecialem prohibitionem, qua Superior Eccleſiaſticus ob juſtam cauſam certis perſonis vetat, ne Matrimonium contrahant, quia v. g. dubium vel ſuſpicio eſt, quòd laborent Impedimento Impediente, v. g. Sponſalium cum alia perſona, vel Dirimente, v. g. conſanguinitatis, affinitatis &c. vel quia timetur ex Matrimonio illarum grave ſcandalum, graves inimicitiæ, rixæ &c. Hæc prohibitio per ſe obligat ſub gravi peccato, niſi nempe facta ſit ex cauſa levi ad tempus, vel ex cauſa, quam non ſubeſſe certò ſciunt ſponſi, utì limitant cum Sanch. quia in re gravi violatur præceptum Superioris. Unde & gravi pœna, ac ſeparatione à thoro quoad tempus, arbitrio Epiſcopi puniendi ſunt. per *c.* 1. 2. *h. t.* *cum can.* 10. *cauſ.* 33. *q.* 4.

Dico 1. Non ipſum Matrimonium, ſeu contractus 4
Matrimonialis, à Jure prohibetur celebrari prædicto

tempore feriato, ſed tantùm ſolennis benedictio, ſolennis traductio ſponſæ in domum ſponſi, externa pompa, publica vanæ lætitiæ ſigna, choreæ, convivia. *c. 4. de feriis. can. 8. & 10. cauſ. 33. q. 4.* nam per *nuptias*, quæ *citt. c. 4. can. 8. & 10.* prohibentur, non ipſum Matrimonium, ſed illæ ſolennitates, & externa pompa intelligitur; quia iſta tantùm repugnant ſanctitati prædictorum temporum, ubi Eccleſia ſpecialiter vult vacari devotionis & pietatis operibus. Accedit conſuetudo locorum. Si contra hanc Eccleſiæ prohibitionem ageretur, & quidem notabiliter excedendo in publicis lætitiæ ſignis, peccaretur mortaliter, & tales conjuges à thoro ad tempus ſeparandi forent in pœnam. *can. 10. cit.* niſi foret periculum incontinentiæ in uno vel altero conjugum; tunc enim foret alia pœna arbitriò Epiſcopi infligenda; utì & Sacerdos benedicens arbitrariè puniendus eſt.

5 Oppones 1. Matrimonium celebrari debet in facie Eccleſiæ: ſed in facie Eccleſiæ non celebratur ſine benedictione ſolenni: ergo & hæc debet eſſe permiſſa, vel, ſi hæc non eſt permiſſa, nec ipſum Matrimonium eſt permiſſum. 2. Conſuetudo habet, ut memorato tempore feriato nec ipſum Matrimonium celebretur: ergo & iſtud eſt prohibitum. 3. Etiam die Veneris, & Sabbathi, non ſolent celebrari nuptiæ ſolennes cum choreis, conviviis &c. ergo tempus feriatum non præcisè prædicta tempora, ſed etiam dies Veneris & Sabbathinos includit. R. ad 1. *N. Min.* nam in facie Eccleſiæ Matrimonium celebrare eſt coram Parocho & teſtibus contrahere: benedictio nuptialis non ſemper debet; ubi nempe per Eccleſiam non licet, imò non ſemper poteſt impertiri, utì in nuptiis ſecundis, ſaltem quando uterque ſecundò nubit. Ad 2. Ubi conſuetudo hæc eſt introducta cum intentione ſe obligandi ad omiſſionem etiam ipſius contractûs Matrimonialis, iſte quidem illicitè fit, at non vi Juris ſcripti, ſed conſuetudinis: hinc quia con-

Digitized by Google

consuetudo in quibusdam locis exigit, ut Parochus non assistat nisi obtentâ à Superiore licentiâ, vel nisi urgeat necessitas (v. g. si quis in articulo mortis constitutus, vel miles statim discessurus, ducere vellet concubinam) utique observari debet. In Bavaria testatur Laym. vi consuetudinis nec in casu necessitatis Parochum posse assistere sine licentia Ordinarii, si spatium habeat petendi. Ad 3. Abstinent fideles vel ex devotione erga Christum Patientem, & B. Virginem, vel quia non licet comedere carnes, sine quibus insipidas credunt nuptias, non propter Ecclesiæ prohibitionem. Imò propter Religionem fidelium, & indè oriturum scandalum, non excusarem à peccato illos, qui apud nos celebrarent nuptias cum choreis, & solenni festivitate, diebus Veneris aut Sabbathinis.

Dico 2. Interdicere seu vetare Matrimonium speciali- 6
ter certis personis ex justa causa non tantùm Papa, & Episcopus, hujusque Vicarius Generalis, de quibus nemo dubitat, sed etiam Parochus potest, imò, si suspicio sit de latente impedimento inter contrahere volentes, etiam debet. per *c.* 12. *h.t.* & maximè *c. fin. de cland. desponſ.* Oppones: cognitio & decisio causarum Matrimonialium ad Judicem Ecclesiasticum, penes quem est jurisdictio pro foro externo, pertinet. *c.* 1. *de Consang. & Affin.* sed Parocho non competit jurisdictio pro foro externo: ergo neque cognitio & decisio causarum Matrimonialium: ergo neque Matrimonii prohibitio. R. hoc argumentum plùs non probat, quàm quòd Parochus *Judicialiter* & instar Judicis, non verò quòd extrajudicialiter instar Pastoris, cui incumbit animarum cura, prohibere nequeat.

Dico 3. Si ipse Pontifex certis personis simpliciter 7
tantùm prohibeat Matrimonium sine clausula irritante, Matrimonium non est irritum; uti nec, si Episcopus prohibeat sponsis, ne contrahant lite jam mota & pendente super Sponsalibus de futuro, cum alia fortè priùs initis.

Ita communis quoad utramque partem: prior colligitur ex *c. 1. & 2. h. t.* ubi Papa indistinctè decidit, per interdictum Ecclesiæ Matrimonium reddi illicitum quidem, non verò invalidum, quisquis fuerit prohibens. Dein irritatio est effectus longè diversus a prohibitione: ergo per simplicem prohibitionem non inducitur irritatio. Viderint illi, qui ad *Tit. de Legib.* docent, omnem legem prohibentem per se & hoc ipso esse irritantem, nisi oppositum exprimatur, quomodo consequenter doceant, dum hic nobiscum sentiunt. Posterior pariter ex *c. 1. & 2. citt.* eruitur. Adde, quòd in Episcopi potestate non sit, sicut per legem generalem, ita & per specialem prohibitionem, statuere Impedimentum dirimens.

8 Oppones 1. In *c.* 13. *de Despons. Impub.* ait Pontifex: *quòdsi contra interdictum nostrum in præjudicium ipsius aliquid fuerit attentatum, id irritum esse decernimus.* 2. In *c.* 4. *de Sponsa duor.* respondet Alexander III. quòd Episcopus vel Archiepiscopus, qui propter motam controversiam super Sponsalibus priùs initis publicè interdixit sponsis, ne Matrimonium contrahant ante decisionem causæ, ipsi verò nihilominus illud contrahere præsumpserunt non obstante prohibitione, *possit irritare contractum*, hoc est, irritum declarare; nam semel validum dissolvere excedit potestatem Episcopalem: ergo talis specialis prohibitio & interdictum facit Matrimonium irritum. Confirmatur ex *c.* 2. *eod.* ubi sic habetur: *accepisti illam in uxorem tibi, quam alter sibi desponsatam habuerat, dimitte illam; quia nunquam potest tibi fieri legitima.* R. ad 1. Textus expressam habet clausulam irritantem: utique autem Pontifex, sicut per legem generalem, ita per interdictum particulare, potest irritare aliquorum Matrimonium. Ad 2. uti & ad Confirmationem, aio cum communi, ibi non agi de lite super Sponsalibus de futuro, sed *de præsenti*, ut indicat textus *c.* 4. & Rubrica *c.* 2. *citt.* consequenter

ter de ipso Matrimonio, jam priùs cum alia persona contracto: utique proin secundum Matrimonium debuit irritari, h. e. illud contrahentes separari: neque secunda uxor potest fieri *legitima*, donec constiterit, prius Matrimonium fuisse invalidum.

§. II.

De Dispensatione Impedimentorum in genere, ac in specie super Impedimentis Impedientibus, maximè Voto.

SCiendum 1. dispensationem sic definiri posse: est relaxatio legis ob justam causam publica auctoritate facta pro aliquo casu vel persona particulari, manente interim aliorum obligatione. Suar. *de Leg. l.* 6. *c.* 10. Vel: est exemptio alicujus vel aliquorum à Jure Communi ex rationabili causa ab eo, qui jus habet dispensandi. Pyrrh. Corrad. in *Praxi dispens. l.* 1. *c.* 1. *n.* 3. Abb. & alii quoad sensum. Unde tria potissimùm in omni dispensatione veniunt attendenda. 1. Quis dispensandi potestate polleat. 2. An & quæ sit causa dispensandi. 3. Ut dispensationem petens ritè informet dispensantem, & causam alleget veram; aliàs enim, si causam falsam alleget, vel aliquid de Jure exprimendum non exprimat, dispensatio erit ob- vel subreptitia, & eo ipso nulla, uti de Rescriptis Gratiæ docuimus *lib. I. Tit.* 3. 9

Sc. 2. In ordine ad Impedimenta Matrimonii potestatem dispensandi competere quidem Summo Pontifici in omnibus Impedimentis tam Dirimentibus quàm Impedientibus, saltem solo Jure Humano introductis, ut nemo negat propter *c.* 4. *de conces. præb.* cùm ejusdem sit solvere, cujus est ligare: & per quas causas aliquid nasci- 10

naſcitur, per easdem etiam diſſolvitur. *c.* 1. *de R.J.* proin qui tulit legem, pariter eandem tollere poteſt. Dubium tamen movetur de Epiſcopis, Legatis Pontificiis, Religioſis &c. ad quod in ſubſequentibus reſpondebimus.

11 Sc. 3. Duplex pro concedendis diſpenſationibus à Pontifice erectum eſſe Tribunal Romæ: primum vocatur *Sacra Pœnitentiaria*, à qua petitur & conceditur diſpenſatio pro ſolo foro interno ſuper omnibus & ſolis Impedimentis *occultis*, impedientibus & dirimentibus, tam ad contrahendum Matrimonium, quàm ad remanendum in contracto, exceptô tamen impedimentô conſanguinitatis, ſuper quo nunquam diſpenſat Pœnitentiaria ad illud contrahendum, ſed ſolùm ad permanendum in contracto, & quidem in tertio tantùm vel quarto gradu, non in ſecundo vel primo. Hìc non exprimuntur vera nomina & cognomina diſpenſandorum, ſed ſolùm ficta, v. g. *Titius, Caius, Bertha* &c. aut per litteras *A. B. C.* &c. neque in hoc tribunali ullæ ſolvuntur expenſæ, aut taxa. Alterum Tribunal appellatur *Dataria*, à qua diſpenſatio petenda eſt pro foro externo, ubi vera nomina diſpenſandorum exprimenda ſunt cum Diœceſi, & ſolvendæ expenſæ cum taxa pecuniaria, ſubinde non modica, niſi expediatur diſpenſatio *in forma pauperum*, de qua ſtatim. Quando diſpenſatio petitur â *Dataria*, ſupplices litteræ diriguntur ad Papam, & initium interiùs ſic ponitur, *Beatiſſime Pater*, licèt poſtea expediatur diſpenſatio à Cardinale *Datario*. Exteriùs autem inſcriptio pariter fit Summo Pontifici. Si à *Pœnitentiaria*, diriguntur ad Majorem Pœnitentiarium, ſeu ad Cardinalem Pœnitentiarium, & ſic incipiunt litteræ: *Eminentiſſime & Reverendiſſime Domine*, vel: *Eminentiſſime Cardinalis*; exteriùs autem ſic inſcribitur: *Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Dominô S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario. Romæ.* In fine litterarum additur: *dignetur Eminen-*

tia

Digitized by Google

tia vestra responsum dirigere Monachium v.g. ad me infrà scriptum, qui ferè solet esse Confessarius *Oratorum* (ita vocantur, qui supplicant secum dispensari) ad quem rescribere solet Pœnitentiaria, ut is pro foro interno exequatur dispensationem. Præter hunc *Majorem* Pœnitentiarium, qui semper est Cardinalis, constituti sunt Romæ in tribus præcipuis Basilicis alii quoque Pœnitentarii subordinati, & *Minores* vocantur, nempe in Vaticana Patres Societatis JEsu, in Lateranensi PP. Franciscani Reformati, & in Liberiana (seu ad *Mariam Majorem*) PP. Dominicani, quibus executio dispensationis, si supplicantes existant Romæ, sæpius committi solet (ad quos etiam, si non immediatè ad Majorem Pœnitentiarium scribere placet, scribi potest pro impetranda vel potiùs procuranda dispensatione) aliàs verò, si Romæ absentes sint, extraneis. Cœterùm Dataria sub se complectitur adhuc alia duo tribunalia, in quibus expediuntur dispensationes in impedimento consanguinitatis & affinitatis, nempe *Cancellariam*, ubi in tertio, vel secundo & tertio gradu, & *Præfecturam Brevium*, ubi sub annulo Piscatoris in primo affinitatis, vel quando primus consanguinitatis concurrit cum secundo, tertio, vel quarto gradu, dispensatur: nam in *Dataria*, quæ etiam *Officium Minoris gratiæ* dicitur, expediuntur dispensationes respectu consanguinitatis & affinitatis solùm in tertio gradu & quarto mixto, vel in quarto simplici. Hæc tamen nomina ab Auctoribus subindè confunduntur, & tribunal pro foro externo erectum absolutè *Dataria* vocatur.

Sc. 4. *In forma pauperum*, quo casu condonantur 12
expensæ aliàs in Dataria solvendæ, tunc expediri dispensationem, quando supplicantes verè sunt pauperes, & paupertatem allegant: *pauperes* verò juxta stylum Curiæ in ordine ad effectum dispensationis censentur esse, qui ultra sustentationem suo statui convenientem non habent, ex quo *compositionem* (sic vocatur taxa pecunia-

ria,

ria, & jura Officialibus Curiæ Romanæ ſolvenda) ac inſuper *miſerabiles* ſunt, h. e. qui proprio labore & induſtria tantùm vivunt. Corrad. *l. 8. c. 5. à n. 4.* ex Conſtit. Urb. VIII. Ut autem ſufficienter conſtet, quòd Oratores verè ſint pauperes & miſerabiles, debent ab Ordinario loci (niſi ipſemet poſſit vi ſpecialium facultatum in hoc caſu diſpenſare) obtinere atteſtationem Romæ exhibendam, quam Ordiarius formabit ex authentico proprii Parochi amborum ſupplicantium (nam ambo Oratores debent eſſe pauperes & dicto modo miſerabiles) & aliorum duorum teſtimonio, qui proin ab Ordinario, vel ejus Vicario Generali, deſuper per certa interrogatoria Canonicè examinandi ſunt. *Pauperes* juxta Barboſ. *de offic. & pot. Epiſc. alleg. 41. n. 24.* & alios etiam dici poſſunt, qui habent multas filias nubiles, quibus propterea dotem competentem juxta ſtatum ſuum dare nequeunt: *Miſerabiles*, qui agricultura, opificio, arte &c. victum debent quærere. Tales verò agricultores, opifices &c. omnes, etiam pharmacopæi, uti notat Gobat in *Theol. Experim. tr. 9. n. 658. ſeqq.* in Diœceſi Conſtantienſi habentur pro pauperibus & miſerabilibus in ordine ad effectum diſpenſationis in forma pauperum ex longiſſima conſuetudine: in Helvetia verò etiam Nobiles, & Senatoria dignitate clari, diſpenſationes Matrimoniales in forma pauperum obtinent ex ſpeciali favore Curiæ Apoſtolicæ. Porro ſtylus Curiæ iſtius habet, teſte Corrado *l. 8. c. 5.* ut in forma pauperum nunquam ſoleat diſpenſare, niſi propter copulam, vel ſuſpicionem copulæ inter Oratores habitæ, vel potiùs ob mulieris infamiam & ſcandala veroſimiliter ſecutura, niſi Matrimonium inter ipſos ſequatur, licèt non allegetur copula; eam enim ſuſpicatur Curia Romana. Epiſcopi autem, quibus ex privilegio conceſſum eſt diſpenſare ſive cum pauperibus ſive cum aliis, ſemper in *formâ pauperum*, h. e. ſine ulla mercede, & omnino gratis tenentur

tur dispensare, & ob alias etiam causas, quàm sit copula, vel ejus suspicio.

Sc. 5. Causam rationabilem in omni dispensatione 13
adeò esse necessariam, ut, si desit, ac inferior dispenset in lege Superioris (quod subinde fieri potest, uti videbimus) invalida sit dispensatio. 2. Illicita autem, si ipse Legislator, vel successor, vel ejus in jurisdictione superior dispenset. 3. Imò sine illa vel nunquam vel rarò dispensatur. Pars 1. constat indè, quòd taliter dispensans inferior transgrediatur limites suæ potestatis; cùm à Superiore, à quo dispensandi potestatem habere debet, ea ipsi concessa non sit ad temere ac irrationabiliter dispensandum; id enim esset prodigere: qui autem transgreditur limites suæ potestatis, agit invalidè. *arg. c. 22. de Rescr. & l. 5. ff. Mandati.* Pars 2. indè suadetur, quòd Legislator &c. ita dispensans ageret imprudenter, adeóque vel leviter saltem, vel, si cum gravi scandalo, vel aliorum detrimento id faceret, etiam graviter peccaret. Pars 3. patet ex praxi, præsertim Curiæ Romanæ, idque testatur Corrad. *n.* 11. *p.* 1. *c.* 1. ubi varias adducit causas, propter quas ibi dispensationes concedi solent, & variæ pro variis casibus & circumstantiis rectè afferuntur: eas tamen ad quatuor ferè species reduci posse existimo, necessitatis, utilitatis, pietatis, & qualitatis personarum supplicantium.

Sc. 6. Oratoribus, seu dispensationem petentibus 14
incumbere, ut fideliter exprimant imprimis omnes circumstantias facti, nihil addendo falsi, per quod dispensans moveatur, & nihil reticendo veri, per quod abstreri posset à dispensatione danda: dein causam rationabilem dispensandi, quæ duplex consideratur; *finalis*, quæ est inductiva dispensationis, seu quæ animũ dispensantis funditus movet & ex toto, aliàs non dispensaturi; ac *impulsiva*, quæ non est propriè causa, sed quoddam motivum impellens & juvans animum concedentis gratiam, quam quidem concederet absque illa, non tamen

tam

tam facilè ac promptè. Bald. Felin. Sanch. Corrad. *n.* 10. Quomodo falsitas causæ finalis, & quando etiam impulsiva, irritet dispensationem, discere potes ex *Tit. de Rescriptis à n.* 13. *in lib. I.*

15 Sc. 7. Ex Impedimentis Impedientibus duo esse Juris merè Humani & Ecclesiastici, uti *sacratum tempus, & vetitum*, duo verò Juris Naturalis ac Divini, uti *Sponsalia, & Votum* castitatis, aut Religionis ingrediendæ, aut non nubendi &c. eò quòd Natura & DEus obligent, ut data vel homini vel Deo fides servetur. An & quomodo etiam in duobus his posterioribus dispensare valeat Papa vel Episcopus, dicemus statim. Sed priùs de Voto

16 Sc. 8. Varia vota simplicia obstare Matrimonio, quò minùs contrahatur licitè, se esse impedimenta impedientia illius. 1. Votum *Religionis* ingrediendæ, seu statûs Religiosi ab Ecclesia approbati. 2. Votum *perfectæ* (seu *integræ*) *castitatis, ac perpetuæ*, quo quis Deo promittit abstinere ab omni actione & delectatione Venerea tam licita, quæ conceditur in Matrimonio, quàm illicita, & quidem in perpetuum. 3. Votum *integræ* seu *perfectæ castitatis*, uti descripsimus, at *non perpetuæ* & per totam vitam, sed solùm ad certum tempus, v.g. unius, vel plurium mensium, aut annorum. 4. Votum *non nubendi*, aut in statu viduitatis permanendi, quod non est integræ castitatis; cùm talis non voveat abstinere ab actu Venereo illicito, nec à licito, suppositô, quòd contra votum hoc aliquando contraxerit Matrimonium: uti & 5. votum *Virginitatis* tantùm, quo præcisè promittitur abstinentia ab illo actu Venereo, per quem violatur claustrum virginitatis, & hujus laureola amittitur; quamvis voventes Virginitatem plerumque, vel sæpe saltem, soleant intendere se obligare ad castitatem integram & absolutè, cùm sæpius non cognoscant differentiam inter Virginitatem & Castitatem. Item 6. votum *non fornicandi, non petendi debitum conjugale*,

Digitized by Google

gale, votum ſervandi caſtitatem conjugalem. Atque hæc ſunt vota caſtitatis non perfectæ, ſeu non ſunt perfecta, ratione objecti. Alia verò vota caſtitatis nõ ſunt perfecta propter *modum vovendi*, & tendendi, quem habet vovens, utì 1. Si caſtitatis (idem cum proportione ſemper intellige de voto Religionis) votum emittatur ex metu, etiam levi, injuſte incuſſo. 2. Cum advertentia vel deliberatione imperfecta. 3. Cum intentione ſe obligandi tantùm ſub peccato levi. 4. Si dubium foret, an ſub gravi vel levi ſe quis obligare intenderit ad caſtitatem, (quamvis tunc præſumatur intentio ſub gravi) item an deliberatè ſatis votum caſtitatis, vel an abſolutè ſit emiſſum. 5. Siquis voveat vovere caſtitatem perfectam, vel ſuſcipere Sacros Ordines. 6. Siquis hanc voveat ſub conditione, v. g. ſi convaluero, ſi naufragium evaſero &c. quia talis potiùs movetur a neceſſitate & periculo, quod intendit evadere, quam ab honeſtate caſtitatis; hanc enim directè non intendit, & amat. 7. Si intendat caſtitatem ut pœnam, v. g. voves caſtitatem (vel Religionem) ſi rurſus te inebriaveris. 8. Si alternativè voveas caſtitatem vel eleemoſynam: adeóque ſicut votum conditionatum, & pœnale caſtitatis, ita & alternativum ſeu disjunctivum, cujus altera pars non eſt reſervata diſpenſationi Pontificiæ, non eſt perfectum caſtitatis votum. La Croix *lib. 3. p. 1. à n. 544.* Addunt aliqui, votum propriè tale, adeóque perfectum, non eſſe, ſiquis caſtitatem voveat B. Virgini, aut alicui Sancto abſque ulla reflexione ad ipſum DEum illô colendum. Hæc notare oportuit, quia

Sc. 9. Votum *perfectum caſtitatis integræ & perpetuæ* (utì & *Religionis* ingrediendæ) eſſe & vocari *Reſervatum* Pontifici, ita ut defacto (quamvis olim potuerint) non ampliùs in eo diſpenſare valeant Epiſcopi, ſaltem regulariter & per ſe. *Extrav. Etſi Dominici gregis 5. de Pœnit. & Remiſſ. int. Com.* Quia verò reſervatio hæc, utpote reſtringens Jus Antiquum, & poteſta- 17

tem Epiſcoporum, odioſa eſt, ideo ſtrictam poſcit interpretationem, ita ut reſervatum non ſit, niſi ſit votum caſtitatis (vel Religionis) perfectum, plena libertate, certò, abſolutè emiſſum, & quidem caſtitatis perfectæ ſeu integræ, ac ſimul perpetuæ: qualia vota cùm non ſint illa, quæ in *ſciendo 8. à n. 3.* usque *ad 8.* inclusivè adduximus, idcirco pro reſervatis communiter (ſaltem pleraque, licèt quoad aliqua quidam aliter ſentiant) rectè & tutò non habentur.

18 Dico 1. In Impedimentis Impedientibus Juris Eccleſiaſtici, nempe in *Tempore feriato*, & *Eccleſiæ Interdicto*, non ſolùm Summus Pontifex de Jure communi. *c. 4. de Conceſſ. Præb. & c. 1. de R. J.* quia eſt ſupremus Legislator, & eandem omnino poteſtatem habet, quam habuit ejus Anteceſſor, qui tulit has leges: ſed etiam Epiſcopus (ejúsque Vicarius Generalis, & Sede vacante Capitulum, ac alii Prælati jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in aliquo territorio exercentes) diſpenſare poſſunt vi conſuetudinis ferè omnium diœceſium, quæ ipſis hanc poteſtatem tribuit, & vi *c. veniens 2. de eo, qui cognovit.* ubi conceſſa eſt Epiſcopo poteſtas diſpenſandi in impedimento impediente orto ex copula cum conſanguinea ſponſæ nondum cognitæ commiſſa (licèt hoc impedimentum Criminis ſit uſu abrogatum) & à DD. extenditur ad omnia impedimenta ſolùm impedientia. Excipe, niſi à Superiore, v. g. à Papa, fuiſſet quibusdam ſpecialiter interdictum Matrimonium.

19 Dico 2. In impedimento *Sponſalium*, & *Voti reſervati*, uti eſt votum Religionis, & caſtitatis integræ ac perpetuæ, poteſt diſpenſare Papa, ſed regulariter ſolus. Quòd in *Sponſalibus* diſpenſare valeat Papa, eruitur indè, quia in Matrimonio Rato id poteſt, ac juſta & gravis cauſa diſpenſationem exigere, v. g. ſi parentes nollent conſentire, & timerentur gravia incommoda, maximè ſi cauſa publica eam exigeret: quamvis in hoc caſu non cenſeatur opus eſſe diſpenſatione, cùm Matrimonium vi-

videatur illicitum, & sic obligatio Sponsalium per se cessare. Dein potiùs hoc modo dissolvuntur Sponsalia, quàm dispensentur. Quòd verò solus Papa possit, indè constat, quia solius Supremi Principis est aliquem jure jam quæsito, uti habet sponsus, privare ex gravi, & ferè publica tantùm causa. Quòd autem in *voto* possit, colligitur ex generali illa facultate Summo Pontifici à Christo data *Mat. 16. quodcunque solveris* &c. item ex facultate aliis Prælatis Ecclesiæ inferioribus concessa. *Mat. 16. quæcunque solveritis* &c. nisi nempe potestas ipsis restringatur à Supremo Pastore, uti restricta est potestas quoad votum Religionis & castitatis perfectum. *Extrav. cit.* adeóque habet Papa potestatem nomine Dei solvendi vinculum voti cujuscunque, uti & alia vincula, prout ad bonum Ecclesiæ regimen & animarum salutem conducere videtur. Notandum tamen diligenter, quòd ad validam dispensationem in Sponsalibus & Votis necessaria sit etiam Pontifici justa causa, cùm dispenset in Lege Superioris, nempe Dei, & Naturæ (quæ lex Naturæ non est absoluta; aliàs enim nec ipse Papa dispensare valeret; sed conditionata, nisi nempe is, cui DEus & Natura pro exigentia justæ causæ potestatem dispensandi dedit, dispensaverit) cùm præsumi non possit de Deo & Natura, quòd Papæ dederint potestatem temere & sine justa causa dispensandi.

Dico 3. In eodem voto perfectæ castitatis ac perpe- 20
tuæ (uti & Religionis) in ordine ad licitè contrahendum Matrimonium etiam Episcopi dispensare possunt cum suis subditis, quando hæc duo concurrunt. 1. Gravis causa, v. g. magnum incontinentiæ periculum ex mora, vel gravis scandali, vel magni damni tertiæ personæ. 2. Difficilis recursus ad Papam, v. g. ob distantiam loci, paupertatem votô adstricti &c. Sylvest. Navar. Suar. Saa, Less. Laym. Palao, Cardenas, & alii communiter cum Sanch. *l. 8. d. 9. n. 22.* Ratio, quia Pontifex tacitè videtur consentire, cùm in talibus cir-

cumstantiis bonum animarum exigat dispensationem; imò non videtur reservâsse votum castitatis vel Religionis pro tali casu: adeóque Episcopi Jure Ordinario censendi sunt tunc dispensare. Dein Pontifex scit, hanc sententiam passim doceri & practicari, neque reclamat: ergo consentit. Interim notant aliqui, rarissimè dari tantam necessitatem, ut non possit Matrimonium differri, donec per litteras recurratur Romam, & indè veniat dispensatio: ac paupertatem non posse ab hoc recursu excusare tunc, quando votum non est notorium, & dispensatio petitur à Confessario v. g. pro foro interno tantùm per litteras à S. Pœnitentiaria, ubi omnia expediuntur gratis. Extendunt P. Reiffenstuel *lib. 3. Decret. tit. 34. n. 40.* Pasqual. & alii apud Moya *quæst. select. d. 1. q. 2. tr. 2.* hanc potestatem Episcopis concessam etiam ad Religiosos Mendicantes, ut saltem pro foro interno, quando urget gravis causa, & recursus ad Pontificem non patet, dispensare valeant: sed communissima cum Suar. Sanch. Emman. Rodriq. Laym. &c. id negat, quos in praxi ob tantam auctoritatem sequi præstat, licèt priorum sententia non videatur improbabilis, eò quòd Mendicantibus Religiosis concessum sit ex privilegio dispensare in iis votis, in quibus Jure Ordinario dispensat Episcopus, uti plerique docent ex compendio Privilegiorum Dominicanorum, Franciscanorum, & Societ. JESU. Id certum, quòd cum illis, qui cum voto jam actu contraxerunt Matrimonium sine dispensatione, valeant dispensare ad petendum debitum conjugale: sed in Societate JESU hæc potestas debet Confessariis specialiter communicari à R. P. Provinciali, ut habet *Compend. Privil. v. dispensatio* §. *9.* vel juxta recentiorem editionem §. 8.

21 Dico 4. Si votum castitatis non integræ, vel non perpetuæ, vel ex modo tendendi non perfectum sit, Episcopus jure & potestate ordinaria: Confessarii Religiosorum Mendicantium verò vi privilegiorum juxta mo-

moderationem suorum Superiorum, dispensare possunt in ordine ad effectum Matrimonii contrahendi; licèt patéret facilis recursus ad Papam: modò adsit causa rationabilis. De Episcopo certum est & clarum; quia de Jure Antiquo poterat dispensare ratione officii sui in omnibus votis: ergo & hodiedum, nisi sint specialiter reservata Papæ: sed votum castitatis non perfectæ & perpetuæ, vel non perfectè emissum, non est reservatum. De Confessariis Regularium Mendicantium patet ex concessionibus Eugenii IV. & Gregorii XIII. quas refert Emman. Rodriq. *to. 1. QQ. Regul. q. 63. art. 3. & 4.* Conspirat quoque communis DD. Diligenter tamen observent omnes, ut non facilè, imò nunquam dispensent simpliciter & purè, ita ut nihil commutationis admisceant, substituendo aliqua opera bona, licèt non æqualia, v. g. in voto castitatis perfectæ, at non perpetuæ, substituant confessionem singulis mensibus biennió faciendã: in voto perpetuo, at non perfecto, v. g. in voto non nubendi, opus perpetuum, v. g. duo vel tria *Pater & Ave* singulis septimanis &c. partim quia fortassis causa non est sufficiens ad omnimodam & meram dispensationem, qua tollitur votum absque substitutione alterius pii operis; & hinc quò minor apparet causa dispensandi, eò majus substituatur aliud opus meritorium: partim etiam quia Curia Romana id observat in suis dispensationibus, uti videbimus.

Quæres, quænam causæ pro sufficientibus habendæ 22
sint ad dispensandum in voto castitatis (vel Religionis) reservato, vel non reservato? R. sequentes assignari à DD. Sanch. Coninck, Corrado, Pulao, Sporer &c. 1. Periculum valde magnum incontinentiæ, seu frequentis lapsûs carnalis, & quidem in fœminis non tantùm, quando periculum ab intrinseco ex propria infirmitate, sed etiam quando ab extrinseco próvenit, ut si sunt pauperes & pulchræ, vel orbatæ parentibus. 2. Difficultas valde notabilis exequendi votum, v. g. si quis vovisset

Digitized by Google

Religionem, ſed, quia executionem multis annis diſtulit, jam meritò dubitat, an habeat adhuc tantas vires ad ferendum Religionis rigorem, & communes illius obſervantias. 3. Majus bonum communitatis, quod ſperatur ex nuptiis: ſi v. g. Matrimonium judicetur fore valde expediens ad pacem in civitate, provincia &c. procurandam, ad conſervandam familiam valde illuſtrem & potentem, ad avertendum grave damnum propriæ domûs. 4. Quando ceſſat cauſa impulſiva ad vovendum (ſi enim cauſa finalis ceſſaret totaliter, voti obligatio per ſe ceſſaret) ut ſi voviſti caſtitatem, quia ſperabas ingredi Religionem certam, quam tamen modò non potes ingredi ampliùs. 5. Quando ſupérvenit dubium, an materia voti non ſit interea facta inutilis, mala, aut majoris boni impeditiva. 6. Quando ſupérvenit dubium, an ſatis deliberatè ſit emiſſum votum; ſi enim dubitaretur, an votum ipſum ſit aliquando editum, nulla opus foret diſpenſatione; cùm tali caſu præſumptio ſtaret pro libertate: licèt hoc ipſum aliqui dicant etiam de priori caſu. 7 Si leviter & absque matura deliberatione votum eſt editum, uti à pueris & puellis, nondum puberibus, fieri ſolet. 8. Si metu, etiam levi, injuſtè incuſſo, vel dolo, extortum eſt. Ut autem

Praxis

23 Petendi, & exequendi diſpenſationem, à S. Pœnitentiaria expediendam, vel expeditam, ſuper voto caſtitatis perfectæ & integræ, meliùs à te cognoſcatur, cùm tibi, præſertim ſi Confeſſarius fueris, hæc notitia maximè ſit neceſſaria; ponamus caſum, quòd puella 18. annorum, quam vocabimus *Bertham* (proprium enim nomẽ non exprimitur, ſi a S. Pœnitentiaria diſpenſatio petitur) emiſerit deliberatè & abſolutè votum caſtitatis integræ ac perpetuæ, tracta amore hujus virtutis: nunc verò orbata parentibus, & ob pulchritudinem ſuam multis

expo-

exposita insidiis ingens periculum incontinentiæ patiatur (si alia foret causa petendi dispensationem, illa fideliter foret exprimenda.) Hæc igitur puella adit Confessarium, eique statum suum exponit, ac rogat, ut sibi impetret dispensationem in ordine ad effectum nubendi, cùm se ipsam aliter juvare nequeat. Confessarius proin ad juvandam hanc animam istud obsequium in se suscipit, & sic supplices litteras instruit.

Supplica.

Eminentissime Cardinalis.

EXponitur *humiliter Eminentiæ Vestræ pro parte devotæ Oratricis Berthæ, Diœcesis Eustadianæ, quòd ipsa aliàs emisit votum simplex perpetuæ castitatis: sed cùm defacto orbata suis parentibus, variis exponatur incontinentiæ periculis, ita ut continenter se vivere posse diffidat, enixè rogat dispensationem ad effectum nubendi, ut sibi debitum conjugale & exigere & reddere liceat. Quam gratiam studebit suis ad DEum precibus pro possibili demereri.*

Dignetur autem Eminentia Vestra responsum dirigere Ingolstadium ad me infrà scriptum.

Eminentiæ Vestræ

Servorum infimus Fidelis Fromm in dicto Oppido Sacerdos Curatus.

Exterius, postquam signavit epistolam, inscriptionem 24 sic formet: *Eminentissimo & Reverendissimo Domino Domino S. R. E. Cardinali, Majori Pœnitentiario. Romæ.* Si ipse Confessarius nolit scribere Romam pro

dispensatione, istud charitatis obsequium petat à Reverendissimo Vicario Generali, aut à Consilii Ecclesiastici membro, vel ejusdem Secretario. Si autem hos fugiat, nec ad ipsum Majorem Pœnitentiarium immediatè scribere velit, scribere poterit ad unum ex Procuratoribus Generalibus Ordinum, ut monet P. Reiffenstuel *lib. IV. Decret. in Appendice n. 433.* v. g. ad Procuratorem Generalem Ordinis Franciscanorum Reformatorum; quos, licèt ægrè hoc munus in se suscipiant, quando petitur dispensatio â Dataria, propter expensas ibi solvendas, libenter tamen ait suscipere, quando petitur à Pœnitentiaria. Ad talem igitur Procuratorem sic poterit formare litteras. *Admodum Reverende in Christo Pater Procurator Generalis* &c. *Quòd hisce gravia & copiosa A. R. Paternitatis negotia interpellem, urget charitas proximi. Siquidem Bertha votum simplex castitatis &c.* (ut suprà.) *Quare humillimè rogat, & ego cum ipsa, dignetur A. R. Paternitas necessariam dispensationem pro foro interno apud S. Pœnitentiariam amore Dei & proximi procurare, ac obtentam mihi transmittere. Deus, omnis charitatis largissimus Retributor, dabit mercedem, quæ at copiosa sit, exiguas preces meas promitto, & humillimè me commendo. Ingolstadii* 11. *Dec.* 1719. *A. R. Paternitatis. Servus in Christo addictissimus. N N.* Si dispensatio diutiùs non mitteretur, eædem litteræ vel ad Cardinalem Pœnitentiarium, vel ad Procuratorem Generalem eundem, repeti possent. Si verò venerit, ferè hujus erit tenoris.

Responsum.

27 Seu Rescriptum, concedens facultatem exequendi à directum ad executorem dispensationis.

Si periculum.

Sacra Pœnitentiaria tibi Confessariò, à latrice pro-

præsentium electo, concedit facultatem ipsi latrici præfatum votum ad effectum nubendi tantùm, authoritate Apostolica dispensando commutandi in Sacramentalem Confessionem semel quolibet mense; & in alia pœnitentiæ opera per te injungenda, inter quæ sint etiam aliqua pietatis, quæ quotidie facere teneatur, ut ea adimplens memor sit obligationis, qua emissô votô adstringebatur, prout secundùm Deum ipsius animæ saluti expedire judicaveris, in foro conscientiæ, & Sacramentali confessione tantùm. Imò, quòdsi viro, cui conjungetur, supervixerit, castitatem servet, ut prius obligata, &, si unquam extra Matrimonium fornicata fuerit, aut mortuô virô alteri nupserit absque nova dispensatione, sciat se contra votum castitatis facere, & debitum conjugale exigere non posse. Et ita eam moneas, &c.

Inscriptio exterior ferè erit hujusmodi: *Discreto Virô N. Confessario Theologiæ Magistro (vel Decretorum Doctori) ex approbatis ab Ordinario, per latricem pœnitentem eligendo.* Vel: *discreto viro Confessario ex Approbatis ab Ordinario, sive proprio latricis* (latorum) *Parocho, ad intra scripta specialiter deputato.*

Circa *petitionem* & *executionem* hujus dispensatiónis adhuc aliqua utiliter notanda veniunt, & imprimis quidem de *petitione*. 1. Quòd fideliter ipsum factum in specie, seu casus, prout est, exprimi debeat, cum causa finali & motiva, nihil addendo falsi, quo saltem partialiter dispensans moveretur (alias enim rescriptum gratiæ foret obreptitium) nihil etiam omittendo veri, quo cognito non fuisset data dispensatio. 2. Quòd causa, propter quam dispensatur, debeat saltem illo tempore, quo conceditur dispensatio, verè dari, imò & tempore, quo datur executioni, ut Covarruv. à Rota decisum asserit. 3. Quòd scribens pro dispensatione ad Cardinalem Pœnitentiarium urbem illam, ad quam responsum

dirigi cupit, non vocet *civitatem*, si ibi non sit residentia Episcopi, sed *oppidum*, licèt urbs aliàs ampla sit & celebris; quia stylus Curiæ sic habet, ut tantùm illæ urbes appellentur civitates, in quibus est residentia Episcopalis. 4. Quòd in litteris suis ad eundem Cardinalem scriptis exprimere debeat, se non esse Doctorem SS. Theologiæ, vel SS. Canonum, neque privilegiò aperiendi litteras Apostolicas aliunde munitum, si revera talis non sit, & tamen velit aperire litteras petitæ dispensationis, eò quòd fortè Oratrix ad ipsum habeat specialem confidentiam, vel in illo loco nullus sit Doctor, vel Confessarius privilegiatus. Hinc litteris suis hæc vel similia addat: *Et quia Oratrix* (vel Orator) *ad me tanquam Confessarium, cui conscientiam suam aperuit; specialem habet confidentiam, dignetur Eminentia Vestra disponere, ut concessam gratiam liceat mihi exequi.* Vel: *quia in Oratricis loco nullus reperitur Confessarius in Theologia Magister vel Canonum Doctor, vel aliàs ad exequendum privilegiatus, dignetur Eminentia Vestra providere, & disponere, ut etiam alius exequi valeat.*

27 Circa *executionem* notandum est executori 1. Quòd debeat esse *Doctor in Theologia vel Jure Canonico* in publica Universitate creatus, vel speciali privilegio ad aperiendas & exequendas litteras S. Pœnitentiariæ munitus: cujusmodi privilegium habent Confessarii Societatis JESU, quibus à P. Generali per suos Superiores communicatur specialiter, concessum a Gregorio XIII. 3. Aprilis 1582. licèt Doctores non sint. Hoc privilegium competit etiam aliis Ordinibus Mendicantibus, qui cum Societatis privilegiis communicant. In aliis non privilegiatis non sufficit *Licentiatus*, ut habet communis fere omnium contra P. Engel *in Man. Paroch. p.* 3. *c.* 2. §. 1. *n.* 16. licèt alias *Licentiati* in favorabilibus veniant nomine *Doctorum*; quia id universaliter verum non est, nempe quando Doctoribus aliquid competit non

ratio-

Digitized by Google

ratione exercitii, sed ratione *dignitatis*, ut advertit Sanch. *l.* 8. *d.* 34. *n.* 8. 2. Quòd debeat esse *Approbatus* ab Ordinario vel ipsius pœnitentis seu Oratricis, vel saltem in illa Diœcesi, in qua fit executio. 3. Quòd debeat ab Oratrice specialiter esse electus. 4. Quòd debeat clausulas in Rescripto contentas accuratè observare, nisi velit periculo nullitatis exponere dispensationis executionem. 5. Examinare veritatem causæ allegatæ. 6. Monere dispensandam, quòd dispensatio tantùm se extendat ad Matrimoniales actus, & ad unicum Matrimonium, ita ut, si extra Matrimonium peccet contra castitatem, vel novum mortuo priore marito Matrimonium contrahat, peccet contra votum toties, quoties contra castitatẽ aliquid facit &c. item quòd hæc dispensatio tantùm concedatur pro foro conscientiæ & coram Deo. 7. Commutare votum injungendo Sacramentalem Confessionem singulis *mensibus* totâ vitâ peragendam, & alia opera, v. g. medium Rosarium singulis *hebdomadis* recitandum, vel respectu divitis eleemosynam quot hebdomadis faciendam, ac demum aliqua opera *quotidiana*, v. g. manè & nocte unum *Ave Maria* recitandum, cum monito, ut sic quotidie recordetur obligationis, quam habebat ob votum. 8. His denique injunctis dispensare, & quidem in ipsa confessione, ac durante Judicio Sacramentali; nam juxta modernum Curiæ Romanæ stylum omnino necesse est, ut in ipso actu Sacramentalis Confessionis fiat dispensatio: quare auditis peccatis, præmisso examine veritatis causæ, monitis, & commutatione, seu injunctione aliorum operum, uti diximus, & injunctâ pœnitentiâ Sacramentali pro peccatis, etiam aliis in confessione detectis, pœnitens sic absolvatur, & dispensetur: *Dominus noster JEsus Christus te absolvat &c. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris &c.* Tum subjungatur: *Item authoritate Apostolica specialiter mihi delegata tibi votum castitatis, quod emisisti, ad effectum, ut Matrimonium*

con-

contrahere, ac debitum conjugale reddere & exigere licitè valeas, in opera tibi præscripta dispensando commuto, in nomine Patris &c. Passio Domini nostri JESU Christi &c. Hæc formula quamvis non sit de essentia, tamen est valde congrua. Præterea observandum 1. nihil obesse, si pœnitens priùs alteri jam fuerit confessus, & à peccatis absolutus, executori autem tantùm peccata venialia confiteatur, nullam connexionem habentia cum voto vel materia, ratione cujus dispensatur; modò durante Sacramentalis Confessionis actu fiat dispensatio. Reiffenstuel *n. 458.* 2. Probabiliùs licitum esse loco menstruæ confessionis bimestrem vel trimestrem injungere, si ob negotia vel alias graves rationes menstrua confessio esset nimis difficilis pœnitenti, præsertim si clausula sic habeat: *singulis mensibus, vel quoties tibi videbitur.* Aut saltem si in fine addatur: *prout secundùm DEum ipsius animæ saluti expedire judicaveris.*

§. III.

De Dispensatione in Impedimentis Dirimentibus.

28 SCiendum, Impedimenta Dirimentia alia esse *Juris Naturalis & Divini*, uti est *error* circa substantiam personæ, *ætas*, in qua nondum adest sufficiens usus rationis & capacitas generandi, *impotentia* perpetua, *ligamen*, & *consanguinitas in primo gradu* saltem lineæ Rectæ: *Divini*, inquam, non quòd in Testamento novo aliquod impedimentum, aut gradus consanguinitatis positiva lege Divina prohibeatur (nam prohibitiones illæ *Levit. 18.* quibus aliqua Matrimonia in gradibus Jure Naturæ non prohibitis irritabantur, in novo Testamento sunt sublatæ) sed quòd omnia impedimenta, quæ Jure Naturali sunt introdu-

troducta, etiam Divino statuta esse rectè dicantur. Alia verò omnia esse *Juris Humani & Ecclesiastici.* Indagandum modò est 1. quis in his impedimentis utriusque generis dispensare possit, vel non. 2. Quænam sint justæ causæ dispensandi. 3. Quænam in litteris, quibus petitur & impetratur dispensatio, sint exprimenda. 4. Quomodo practicè sit impetranda & executioni danda, tam pro foro externo, pro quo Romæ expeditur à *Dataria*, quam pro foro interno, quod solum respicit expedita à *Pœnitentiaria.*

Dico 1. In impedimentis dirimentibus Juris Naturalis 29
& Divini nec Summus Pontifex dispensandi potestatem habet; nisi impedimentum supponat determinationem humanæ voluntatis. Communissima Theologorum & Canonistarum contra paucos. Constat partim ex *can. inferior. 4. d. 21. can. 6. 7. 8. caus. 25. q. 1. c. 16 de Majorit. c. 13. de Restit. spoliat.* partim ex eo, quia inferior nihil potest in lege Superioris, nisi ipsi concedatur specialiter, partim ex praxi Ecclesiæ nunquam dispensantis, cùm non defuerint aliquoties gravissimæ causæ, quæ videbantur exigere hujusmodi dispensationem.

Oppones 1. *Matth. 16.* dixit Christus ad Petrum, & 30
successores ejus, Romanos Pontifices, *quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis:* ergo data est Pontifici potestas solvendi omne omnino vinculum, etiam Juris Naturalis & Divini, quando urgens necessitas, v. g. integri regni conversio, vel conservatio, aut recta Ecclesiæ gubernatio requirit. 2. Juxta nos potest Papa dispensare in voto castitatis perfectæ: sed obligatio voti est Juris Naturalis & Divini. 3. Idem probabiliùs dispensare potest in Matrimonio Rato: ergo in impedimento *Ligaminis*, quod diximus esse Juris Naturalis. 4. Episcopus quandoque dispensat in Jure communi & lege Pontificis, utì quando adest urgentissima causa: ergo inferior potest quandoque aliquid in legem Superioris; ergo & Papa in Jus Naturale. R. ad 1.

Illa

Illa verba Christi nimis sunt generalia, ut tam extraordinaria potestas indè colligatur: certè si ita generaliter deberent intelligi, Papa posset dispensare, ut liceret mentiri, fornicari, vinum pro aqua adhibere in Baptismo, & vicissim aquam pro vino in Eucharistia &c. quæ nemo admiserit. Igitur intelligenda sunt de vinculis Juris naturalis & divini, quorum solutio à Deo vel Christo in Scripturis Sacris, vel alia revelatione est concessa, ut solutio ab omnibus peccatis, etiam gravissimis, item dispensatio in votis & juramentis, de qua nobis constat ex usu & praxi continua Ecclesiæ. Ad 2. patet responsio ex primùm dictis. Dein *dist. Min.* est obligatio Juris naturalis & divini absoluti. *N. Min.* conditionati tantùm, nisi nempe nomine Dei à potestate Ecclesiastica, cui id permissum esse declarat usus Ecclesiæ, remittatur obligatio. *C. Min.* Accedit, quòd Papa dispensando in voto (vel in Matrimonio Rato) non directè tollat Jus divinum & naturale, sed legem à voluntate humana pendentem, & positam à vovente, vel Matrimoniũ Ratum contrahente: igitur hanc legem à libera hominis determinatione positam tollit dispensans in voto &c. ac eâ sublatâ tanquam basi in consequentiam per se cessat obligare Jus & divinum & naturale: ferè sicut Jus naturale, & divinum obligat, ut pareamus Pontifici ponenti legem, v. g. jejunii: si autem ipse per dispensationem tollit legem jejunii à se positam, hoc ipso aufertur vel potiùs per se cessat Jus divinum & naturale, adstringens ad obediendum Pontifici in hoc casu, quia non nisi ex hypothesi & stante lege jejunii obligabat. Ideo in Assertione addidi, *nisi impedimentum supponat determinationem humanæ voluntatis*, uti supponit votum, item Matrimonium Ratum, quod supponit contractum liberè ab hominibus positum, qui est basis & fundamentum obligationis naturalis & divini: quamvis verò idem contractus liberè positus etiam in Matrimonio *consummato* reperiatur, noluit tamen Christus illud dispensationi & dissolutioni

sub-

subjacere, ut patet tum ex SS. Litteris, tum ex usu & sensu Ecclesiæ. Unde liquet responsio ad 3. Ad 4. *dist. Ant.* cum concessione vel expressa vel tacita Pontificis. *C. Ant.* sine illa. *N. Ant. & Cons.*

Dico 2. Papa in omnibus impedimentis dirimentibus, 32
Jure Ecclesiastico tantùm introductis, absolutè dispensare potest. Ita fortè omnes ob *c. 8. de Consang. & Affinit. c. 24. pr. de sent. Excomm. in* 6. ratio est clara; quia omnis lex merè Ecclesiastica omnem suam vim habet à Legislatore, qui est Papa. Dixi, *absolutè potest*; nam in quibusdam nunquam dispensat actu, uti in 2. vel etiam 3. & 4. gradu consanguinitatis in linea recta, v.g. ad Matrimonium inter avum & neptem vel proneptem: in 1. gradu lineæ transversæ, nempe inter fratrem & sororem, licèt jam sæpius id ardenter postulárint magni Principes: in 1. gradu affinitatis lineæ rectæ, ut inter vitricum & privignam. In aliis quidem dispensat, sed non solet, nisi ob gravissimam causam & difficillimè, uti in conjugicidio publico: in impedimento disparis cultûs: in paternitate aut maternitate spirituali: in cognatione legali lineæ rectæ: sic etiam in gradu secundo consanguinitatis & affinitatis lineæ transversæ solùm cum magnis Principibus, & ob causam publicam dispensari vult Trid. *s. 24. c. 5. de Ref. Matrim.* In quibusdam sæpe & facilè solet dispensare, uti in 3. vel 4. gradu affinitatis & consanguinitatis: in compaternitate spirituali &c. Universim quò arctiùs est vinculum inter personas & major conjunctio, eò dispensat difficiliùs, & eò majorem exigit causam: sic difficiliùs dispensat in impedimento consanguinitatis quàm affinitatis, licèt in simili sint gradu: difficiliùs in gradu propinquiori, quàm remotiori: difficiliùs in impedimento publicæ honestatis orto ex Matrimonio Rato, quàm orto ex Sponsalibus: difficiliùs cum Presbytero vel Diacono, in quibus requirit causam publicam, quàm cum Subdiacono: difficiliùs cum Religioso professo, quàm cum Subdiacono non Religioso:

dif-

difficiliùs, si Matrimonium necdum est contractum, quàm si jam contractum sit juxta formam Tridentini. &c.

92 Dico 3. Inferior Papâ, utì Episcopus, vel Legatus Pontificius &c. non potest in impedimentis dirimentibus dispensare de Jure communi, & potestate ordinaria, licèt impedimentum sit occultum, vel dubium, vel in eo jam dispensatum à Papa, sed nulliter propter ob-vel subreptionem. Ita facilè omnes ex *cit. can. inferior. c. 16. de Majorit. Clem. 2. pr. de Elect.* cùm in Jure communi, cujus vis tota dependet à Legislatore, & hujus voluntate, nihil immutare possit inferior. Dixi 1. *vel Legatus Pontificius*, is enim quoad potestatem dispensandi idem quidem potest in illa provincia, ad quam missus est, quod Episcopus. *c. 2. de Offic. Leg. in 6.* non tamen plus, nisi Papa plus ipsi indulgeat specialiter, utì fieri solet, nominatim ad dispensandum in 3. & 4. consanguinitatis ac affinitatis gradu. 2. *De Jure communi*; nam ex speciali privilegio aut concessione sive expressa sive tacita vel præsumpta in quibusdam dispensandi facultatem obtinet, utì videbimus. 3. *Et potestate ordinaria*; nam in casu vel eventu extraordinario aliquid ipsi conceditur, utì dicemus: quare notandum, per potestatem *ordinariam* hìc non intelligi à nobis illam, quæ opponitur *delegatæ*, sed illi quæ se extendit ad casus extraordinarios, utì si dispensat ob urgentem necessitatem, eò quòd adsit periculum incontinentiæ, & simul recursus ad Papam, vel ejus Legatum, speciali privilegio dispensandi instructum, non pateat: quo casu potestas dispensandi competit Episcopo ratione personæ & officii, adeóq; potiùs in hoc sensu *ordinaria*, quàm delegata, est, quãvis extraordinaria sit. 4. *Licèt impedimentum sit occultũ*; quia neque pro hoc casu universaliter ipsi concessã esse potestatẽ dispensandi legimus. Nec obstat, quòd in Trid. *s. 24. c. 6. de Ref.* concedatur ipsi dispensatio in irregularitatibus & censuris occultis; quia

ista

ista concessio exorbitat à Jure communi, ideo in consequentiam non trahenda, nec extendenda. *c.* 28. *de R. J. in 6.* 5. *Vel dubium;* quia in casu, quo dubitatur de existentia impedimenti, libertas est in possessione, adeôque non opus est ulla dispensatione. Haun. Palao &c. contra quosdam, qui in dubio tribuunt potestatem dispensandi. Adde, quòd in nostris principiis Matrimonium cum opinione probabili Juris contractum valeat. Nihilominus tamen tali casu Episcopus declarare potest, non adesse impedimentum, vel, si ita cum Laym. Sanch. Bosco &c. loqui placet, dispensare pro interim ad cautelam, & declinandum scandalum vel scrupulos: quæ tamen dispensatio non facit, quò minùs, si postea deprehenditur impedimentum certum, illa de novo peti debeat à Pontifice. 6. *Vel in eo jam dispensatum, sed nulliter, à Papa*, utì docet Covar. Guttier. aliique apud P. Wieltner *h. t. n.* 61. quia neque pro hoc casu Episcopis dispensandi facultas in Jure est concessa; nam, quando in *c.* 6. *cit.* Pontifex rescribens cuidam Archiepiscopo ait, tolerari posse Matrimonium post dispensationem obreptitiè obtentam, *cùm ex separatione grave timeatur scandalum imminere*, ille non dedit facultatem dispensandi, sed præcisè tolerari voluit Matrimonium propter scandalum: multa autem tolerantur, quæ alias prohibita sunt. per *c.* 11. *de vit. & honest. c.* 6. *de præb.* His tamen non obstantibus

Dico 4. Episcopo (utì & Legato Pontificio) compe- 33
tit potestas dispensandi in impedimentis dirimentibus 1. quando ei ex speciali privilegio conceditur à Papa. Sic Episcopi vicini in nóstra Germania magìs remota ab Urbe, utì Augustanus, Constantiensis, Eustettensis, Frisingensis, Passaviensis, Ratisbonensis, Salisburgensis, obtinere solent privilegium, singulis quadrienniis vel quinquenniis de novo petendum, ut possint in utroque foro tanquam delegati Sedis Apostolicæ dispensare 1. in gradu 3. & 4. simplici & mixto tam consanguinitatis

quàm affinitatis cum pauperibus tantùm, etiam ad contrahendum Matrimonium. 2. Ad perſeverandum in contracto cum hæreticis converſis etiam in ſecundo gradu ſimplici & mixto, modò illa conjunctio primum gradum nullo modo attingat. Quibus in caſibus etiam ſimul obtinent poteſtatem declarandi proles ſuſceptas pro legitimis. 3. In impedimento publicæ honeſtatis ex Sponſalibus proveniente. 4. In impedimento criminis, ſi neuter conjugum machinatus eſt in mortem alterius, item reſtituere jus amiſſum petendi debitum. 5. In impedimento cognationis ſpititualis, præter levantem & levatum. Per gradum *mixtum* intelligitur inæqualis diſtantia duorum a communi ſtipite, v. g. quando una duobus, altera verò pars tribus gradibus à communi ſtipite diſtat. Per *pauperes* autem omnes illi, qui attentis circumſtantiis ſtatûs ſui cenſentur indigere, & difficulter tranſigere vitam ſuam, utì qui vel nulla habent bona, ex quibus percipiunt fructus, vel tam modica, ut 50. aureorum valorem non attingant, vel ampliora quidem, ſed ære alieno, aut penſionibus, vel aliis oneribus gravata, ita ut deductis deducendis tot fructus indè non percipiant, quibus ultra menſem vivere poſſent absque labore & induſtria, utì opifices & agricolæ plurimi. Reiffenſtuel *in Append. lib. IV. à n. 379.* Cœterùm diſpenſatio in dictis caſibus concedi debet in ſcriptis, atque in iis exprimi, quòd diſpenſetur ex poteſtate *delegata* (utì inſinuat conſuetus tenor hujus privilegii) & mulier non ſit rapta &c.

2. Eidem Epiſcopo competit poteſtas diſpenſandi in Matrimonio jam contracto; ſed pro foro conſcientiæ tantùm, quando hæ conditiones concurrunt. 1. Si impedimentum ſit occultum. 2. Si Matrimonium bona fide, & præmiſſis denuntiationibus ſit contractum. 3. Si adſit gravis cauſa. 4. Et ſimul non pateat facilis ad Papam recurſus. 5. Si impedimentum ſit tale, in quo ſoleat concedi diſpenſatio. Communis cum Henriq. Sanch.

Sanch. Gonzal. *ad c. 6. de consanguin. n. 2.* Wiestner *h. t. n. 65. seq.* Reiffenstuel *lo. cit. n. 15. 19.* contra Sot. & Medin. Sumitur ex *c. 2. de observat. jejun.* & Trid. *s. 24. c. 5. de Ref. Matr.* ubi dicit, *dispensari posse*: sed quando Jus impersonaliter dicit dispensari posse, intelligitur ordinariè id esse concessum Episcopis; quia de Pontifice dubium non est, quin in lege Ecclesiastica dispensare valeat. Ratio hujus doctrinæ petitur ex *c. 4. de R. J.* ibi: *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*: dein ex eo, quòd propter bonum animarum, in quod tendit hæc dispensatio, Pontifex præsumatur non esse invitus ex epiikia & benigna interpretatione. Accedit, quòd Pontifex ignorare non possit, hanc sententiam passim doceri, & in praxim deduci, nec tamen contradicat, cùm facilè posset: ergo approbat. *Occultum* erit impedimentum, si probari in Judicio non possit, vel, licèt probari posset, eò quòd duo vel tres sciant, nullum tamen sit periculum, ne ulteriùs publicetur. *Bona fide* erit contractum, si absque scientia impedimenti: sufficit autem, modò alterutra pars contrahentium illud ignoraverit. *Gravis causa* erit, quando conjuges putatitii ex una parte separari absque scandalo aut gravissimo incommodo, ex altera verò inseparati vivere absque incontinentiæ periculo nequeunt, uti plerumque contingit. *Recursus facilis* ad Pontificem non erit, si obstet hostilis incursio, distantia locorum, periculum in mora &c.

3. Probabiliter etiam in impedimento occulto, antequam Matrimonium contrahatur, Episcopus dispensare potest, quando dictæ conditiones simul omnes concurrunt. Sanch. Pont. Gonz. Palao, & plurimi alii; quia etiam in hoc casu videtur rectè præsumi consensus Pontificis, & quòd is sciat, doceri ac in praxi observari hanc sententiam à plurimis. Notant tamen DD. requiri urgentissimam & maximam necessitatem, vi cujus accelerari Matrimonium necesse, & ad Papam recurrere im-

possibile est, ut si morti proximus ad legitimandas proles cum harum matre, respectu cujus habet occultum impedimentum, vellet contrahere Matrimonium. Rarissimè autem accidet, me quidem Judice, tanta necessitas, ut Matrimonium, quod necdum contractum est, differri nequeat, donec Româ veniat dispensatio, quæ per litteras, & absque expensis à S. Pœnitentiaria obtinibilis est; adeóque nec recursus Romam erit difficilis ordinariè. Atque hi duo casus *hoc*, & *priore n.* positi, sunt illi extraordinarii, in quibus Episcopum potestate extraordinaria (licèt ea *ordinaria* sit, h. e. *non delegata*) dispensare notavimus *n.* 32.

34 Quæres, an in dictis impedimentis, & casibus, in quibus Episcopo tribuimus potestatem dispensandi, eadem quoque competat Capitulo Cathedrali Sede vacante? 2. Et Vicario Generali? 3. Vel alteri Clerico ex delegatione Episcopi? 4. Et quid demum possint Religiosi Mendicantes circa dispensationem impedimentorum dirimentium? R. ad 1. distinguendo inter primum casum, quo Episcopus ex privilegio, vel concessione speciali, dispensat in quibusdam impedimentis, & inter duos posteriores extraordinarios, in quibus ex præsumpta per epiikiam licentia Pontificis ob necessitatem urgentem dispensat. In priori non competit Capitulo, quia Capitulum non succedit in iis, quæ Episcopo competunt ex speciali facultate aut privilegio; eò quòd talis concessio vel delegatio censeatur esse facta Dignitati Episcopali, in quam non succedit Capitulũ. In posterioribus autem competit per *c. un. de Majorit. in 6.* quia in iis, quæ spectant ad juris dictionem Episcopalem, & quæ Episcopus potest jure ordinario, generaliter succedit Capitulum: in dictis autem duobus casibus extraordinariis Episcopus vi jurisdictionis Episcopalis, & jure ordinario dispensat, quia ratione officii sui pastoralis. R. ad 2. competit quidem Vicario Generali; eò quòd Episcopus ea, quæ ipsi ratione officii Episcopalis, ex potestate ordinaria, & perpe-

tuò

tuò competunt, delegare poſſit alteri. per *c. 7. de Offic. & pot. Jud. deleg. in 6.* at non ſufficit mandatum generale, quod datur per conceſſionem Vicariatûs Generalis, ſed requiritur ſpeciale, utì pro certo tradunt DD. in caſu priori; in duobus autem poſterioribus habet communis; quia caſus extraordinarii non comprehenduntur in mandato generali. *arg. c. 81. de R. J. in 6.* Hoc tamen non obſtat, quò minus Epiſcopus generaliter poſſit committere Vicario Generali facultatem pro omni eventu, quo ipſe poſſet diſpenſare in dictis caſibus, ut docet Sanch. & alii. Ad 3. ferè eodem modo; quia jurisdictio, quæ vel Dignitati ex conceſſione ſpeciali & privilegio Principis, vel ratione officii perpetuò competit, inſtar ordinariæ delegari poteſt, utì dicitur ad *Tit. de offic. & poteſt. deleg. in lib. I.* Conſonat Trid. *ſ. 24. c. 6. de Ref.* & praxis. Ergo in omnibus caſibus, in quibus Epiſcopus per ſe, etiam per alium, ſive ſit Vicarius Generalis, ſive alia perſona idonea, à ſe delegatum diſpenſare poteſt. Ad 4. quamvis non defuerint, qui Religioſis Mendicantibus tribuerint diſpenſationem in omnibus impedimentis Matrimonii, & caſibus, in quibus Epiſcopo, & P. Reiffenſtuel *n. 542.* ſaltem diſpenſationem in impedimento affinitatis, etiam in primo gradu, cum illis, qui Matrimonium jam contraxerunt ſive bona ſive mala fide. At illud prius nec ex authoritate nec ex ratione ſatis eſt probabile: hoc poſterius habet quidem probabilitatem apparentem ex privilegio PP. Auguſtinianis conceſſo per Bullam Leonis X. ut refert Reiffenſtuel *n. 543.* ex Richardo Roffenſi Epiſcopo & Martyre Angliæ, quod eſt hujus tenoris: *cum his, qui in primo affinitatis gradu ſcienter aut ignoranter contraxerunt, modò notorium id non fuerit, neque in Judicium productum, diſpenſare valeant etc.* Sed quia nullibi de facto reperitur hujus privilegii Bulla, ac propterea multi dubitant, an aliquando emanaverit, alii autem, quamvis emanâſſe credant, tamen non-uſu exoleviſſe putant, alii

verò pro unico casu particulari, vel certo loco datam esse suspicantur, uti pro Indiis magna Religiosis potestas etiam in impedimentis dirimentibus dispensandi indulta est, alii demum per illam plùs non esse concessum existimant, quàm dispensare ad petendum debitum cum conjuge, qui post contractum Matrimonium commisit incestum cum consanguinea uxoris, & sic in primo gradu affinitatem cum eo contraxit (id quod omnino Religiosi Mendicantes possunt, quibus à Superioribus suis conceditur, vi suorum privilegiorum, sicut cum ligatis votô castitatis, ante vel post contractum Matrimonium emissô) ideo praxin hujus privilegii non satis tutam esse censeo. Interim abstraho à privilegio Patribus Societatis concesso vivæ vocis oraculô, vi cujus, ut refert idem P. Reiffenstuel *n.* 553. in partibus Septentrionalibus tantùm dispensare possint cum iis, qui contraxerunt clandestinè, vel coram Parocho non proprio, vel cum impedimento criminis, ignorantes esse impedimentum, vel cum impedimento consanguinitatis aut affinitatis in 4. gradu, vel cum impedimento compaternitatis vel commaternitatis spiritualis.

35 Dico 5. Causæ justæ dispensandi in impedimentis dirimentibus censentur esse à communi DD. & Curia Romana sequentes. 1. Evitatio scandali, peccati, infamiæ, damni, gravium inimicitiarum &c. sic justè petit & impetrat dispensationem vir, qui cum consanguinea habuit copulam, at sine spe citiùs impetrandi dispensationem; & multò magis qui jam contraxit Matrimonium cum consanguinea (præsertim si indè jam suscepit prolem, vel diu jam exstitit in tali Matrimonio) at cum bona fide, saltem ex una parte, & præmissis denuntiationibus; qui enim sub spe faciliùs obtinendæ dispensationis habuit copulam cum consanguinea, vel contraxit cum illa Matrimonium sine denuntiationibus, aut cum mala fide, si nempe utraque pars scivit consanguinitatem, dispensationem non obtinebit, sic volente Trid. *s.* 24. *c.* 5. *de Ref. Matr.*

Pa-

Pariter justè petit dispensationem fœmina, de qua passim spargitur, quòd sit corrupta à consanguineo, ut huic possit nubere; sic enim consulitur famæ illius, imò prævertitur damnum; cùm propter hanc diffamationem difficiliùs nuberet, aut omnino virum non inveniret. 2. Defectus dotis competentis: si nempe fœmina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo æqualis conditionis, qui nempe non consanguineus aut affinis sit, nubere possit in proprio loco originis. Nota, allegationem dotis incompetentis non esse propriè allegationem paupertatis; nam hæc non allegatur ut causa dispensandi, sed ut evitentur expensæ, & ut in *forma pauperum* concedatur dispensatio. 3. Ætas fœminæ nunquam nuptæ, si scilicet 24. ætatis annum jam egressa hactenus virum paris conditionis non juvénit, nisi consanguineum vel affinem. 4. Angustia loci, si nimirum in vicinia nullus non consanguineus aut affinis reperiatur paris conditionis, vel ob ætatem aut mores non valde diversus aut contrarius. 5. Conservatio Illustris, aut præcellentis familiæ in eodem semine ac stirpe. 6. Conservatio divitiarum in familia Magnatum & Potentum. 7. Excellentia meritorum in Ecclesiam, v. g. laborum in bello contra Infideles &c. nec est necesse, ut merita sint ipsius oratoris vel oratricis, modò sint parentum, vel conjunctorum, imò extraneorum, pro eis tamen intercedentium. 8. Impositio certi oneris temporalis, dum nempe petentibus dispensationem injungitur, ut majorem pecuniæ summam subministrent certo alicui operi pio, vel contra hostes Ecclesiæ &c. Episcopi tamen, quando per privilegium obtinent potestatem dispensandi, gratis omnino dispensare jubentur. 9. Prærogativa dignitatis personarum, ut si sint Regiæ, Principes. 10. Etiam Nobilitas petentium, utì si sint ex genere nobili, vel ex præcipuis alicujus oppidi, imò ex valde honestis familiis procreati, saltem loquendo de gradibus consanguinitatis, vel affinitatis remotioribus. Tunc autem, si nulla alia expri-

matur causa in specie, Pontifex in dispensatione addere solet, *ex certis & rationabilibus causis*; cujusmodi dispensationes vocantur *sine causa*, non quòd sine causâ concessæ sint, sed quòd certa causa, propter quam Pontifex dispensat, non exprimatur & propaletur. Vid. Navar. Sanch. Conink, Herincx, Barbos. Palao, Corrad. Engel, Wiestner, Reiffenstuel *à n. 69.* Karchne *de Matr. n. 220.* & alii passim.

§6 Quæres, quænam adhuc circa dispensationis causas observanda sint? R. sequentia. 1. Quòd aliqua omnino sit necessaria, & quidem ad valorem dispensationis, si inferior Papâ; & ad licentiam, si ipse Papa dispenset. Qui verò utitur dispensatione illicitè, validè tamen, datâ, non peccat. Suar. *de LL. l. 6. c. 19. n. 14.* & alij. 2. Quòd eò major esse debeat, quò majus est impedimentum, aut arctius inter contrahere volentes vinculum, vel minor petentium dignitas. 3. Quòd dispensatio sit invalida, si causa finalis & movens, quæ allegatur, non subsistat, licèt per ignorantiam vel errorem etiam inculpabilem sit allegata: subsistat verò, si causa impulsiva tantùm sit falsa, nisi scienter & dolosè sit allegata, ut patet ex *Tit. de Rescriptis lib. I.* Si consideratis omnibus maneat dubium, an causa, falsò allegata, fuerit finalis vel impulsiva tantùm, pro impulsiva habendam puto, ut dispensatio valeat; cùm generaliter in dubio sit præsumendum pro valore actûs, qui in nullius cedit præjudicium. *l. 12. ff. de reb. dub.* nempe propter regulam possessoriam. 4. Probabiliùs valere dispensationem, si causa, quæ fuit allegata, re ipsa quidem fuit insufficiens, fideliter tamen allegata est, & pro sufficiente habita à dispensante; quia bonum publicum, & tranquillitas conscientiarum exigit, ut subsistant bona fide & prudenter acti à Prælatis; rectéque præsumitur, quòd Papa, inferioribus concedens facultatem dispensandi, plus non requirat ad valorem dispensationis, quàm DEus, qui, ut obvietur scrupulis, ratam habet dispensationem ex sua concessione pru-

prudenter & ex causa rationabiliter pro sufficienti habita factam, uti si sic dispenset Papa vel Episcopus in voto. Ergo, inferes, etiam valebit Matrimonium ab iis contractum, qui cum impedimento consanguinitatis contraxerunt, bona fide existimantes, abesse impedimentum. Ex. N. *Illatum*; nam bonum publicum & recta Ecclesiæ gubernatio non exigit, valere actus à privatis bona fide gestos cum impedimento, præsertim interveniente ignorantia facti. 5. Causam finalem debere existere saltem tempore dispensationis concessæ: quare, cùm hodie, uti notat Corrad. *l. 7. c. 6. n. 24.* dispensatio non ampliùs Romæ fiat à Pontifice, quando expediuntur litteræ, sed solùm detur mandatum, ut delegatus (sive sit Episcopus, sive Confessarius) dispenset, adeóque illa non fiat *tempore datæ*, ut loquuntur, sed tempore, quo delegatus exequitur mandatum, & actu dispensat, tempore hujus actualis dispensationis causa debet subsistere. Corrad. Garc. Reiffenstuel. Sanch. Pont. Unde juxta probabiliorem & communiorem non est necesse, ut causa verificetur, quando Papa annuit petitioni, & mandatum dispensandi expediri curat, minùs, quando exarantur litteræ supplices, imò neque tunc, quando dispensatione semel facta contrahentes actualiter utuntur. Guttierez, Gobat, P. Schmalzgrueber *h. n. 164.* ubi etiam solvit objectiones: modò verificata fuerit tempore dispensationis factæ.

Dico 6. In litteris supplicibus debet dispensationem 37
petens exprimere ea, quæ de Jure vel consuetudine aut stylo Curiæ exprimenda sunt, ita ut, si etiam ignoranter reticeatur veritas, aut narretur falsitas circa ea, quæ ad materiam dispensationis pertinent, & talia sint, quæ, si cognita fuissent, movere Principem poterant ad non dispensandum, aut non sic, sed sub aliis limitationibus, dispensatio sit nulla. Sic instar regulæ tradunt DD. cum Abb. & Felin. Sumiturque ex *c. 27. 31. de Rescr. 6. fin. de filiis presb. in 6. & c. 23. de Præb. in 6.* quia

expreſſio illorum vel requiritur tanquam forma, vel tanquam cauſa movens. Unde, ſi in impedimento publico pro foro etiam externo petatur diſpenſatio à *Dataria*, exprimenda ſunt hæc. 1. Nomen & cognomen Oratorum ſine abbreviatione litterarum. 2. Diœceſis originis: ſi orator ſit hujus, oratrix verò alterius Diœceſis, utraque eſt exprimenda. Si tamen oratores habeant locum domicilii extra diœceſim ſuæ originis, poſſunt, ſi velint, petere, ut diſpenſatio mittatur ad Ordinarium diœceſis domicilii, in qua nunc habitant. 3. Deſiderium vel ineundi Matrimonium, vel, ſi jam ſit initum, in eo remanendi, adeóque exprimi debet, an Matrimonium ſit contrahendum, vel jam contractum: ſi jam ſit contractum, aperiri debet, an bona fide, ſaltem ex parte unius, vel cum ſcientia impedimenti; item an præmiſſis denuntiationibus, & juxta formam Tridentini; vel an ſub ſpe facilioris diſpenſationis obtinendæ; denum an ſit conſummatum, ſi mala fide, ſaltem unius partis, ſeu cum ſcientia impedimenti conſummatum ſit. Si verò Matrimonium necdum ſit contractum, an non præceſſerit copula (ſi oratores ſint conſanguinei vel affines, aut ſpiritualiter vel legaliter cognati, aut publicæ honeſtatis impedimentô laborantes) maximè, an non contigerit ſub ſpe faciliùs obtinendæ diſpenſationis. Notandum tamen, quòd mentio copulæ, ſi ſit occulta, impedimentũ autem conſanguinitatis publicum, fieri non debeat in Supplica ad Datariam, bene tamẽ juxta multos, ſi copula quoque foret notoria. Aliqui putant, debere recurri ad Pœnitẽtiariam, ut ſuppleatur vitium diſpenſationis ob copulam occultam in Dataria non expreſſam; ſed non videtur neceſſarium. 4. Cauſa, una vel plures, ad movendum diſpenſantem: ſi enim una non ſufficienter movet, plures, quarum ſingulæ non ſufficerent, ſimul ſumptæ gratiam obtinere poſſunt. *arg. l. 5. 6. C. de probat.* ſed cavendum, ut cauſæ, quæ allegantur, verè ſubſiſtant, præſertim ſi finales, & non merè impulſivæ ſint, & ut

abs-

absque dolo adducantur. Si copula habita allegaretur pro causa, deberet addi, an cum spe facilius obtinendi dispensationem propter periculum infamiæ, licèt ex parte unius tantùm sub hac spe contigisset. Si verò alia legitima causa allegetur, & copula non sit habita sub dicta spe, controversia est ingens, utrùm copula non occulta exprimi debeat in impedimento consanguinitatis. Reiffenstuel *n.* 185. cum aliis affirmat, & probat. 5. Genus impedimenti, an sit *consanguinitas*, vel *affinitas*, orta ex copula licita aut illicita, vel *publica honestas* originem habens ex Sponsalibus, aut ex Matrimonio Rato: in his impedimentis debet quoque exprimi gradus, præsertim primus, an sit simplex, v.g. quartus, vel mixtus, v. g. secundus & tertius, non tantùm remotior, sed etiam propinquior, utì & linea, an sit recta vel transversa, item an oratores non sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis tam ex parte patris quàm ex parte matris, item an quis habuerit copulam cum pluribus consanguineis sponsæ: in impedimento *Criminis*, utrùm provenerit ex conjugicidio cum promissione Matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione Matrimonii. Et sic de cœteris impedimentis loquendo. Exprimi præterea debent omnia impedimenta in iisdem litteris, si plura ejusdem vel diversi generis subsint. 6. Denique subjungatur petitio dispensationis. Vid. DD. *citt. in Assert.* 5. Dixi, in *Dataria;* si enim petatur dispensatio à *S. Pœnitentiaria* pro foro tantùm interno, non vera nomina Oratorum, sed ficta, vel per litteras A. B. C. ponuntur; additur tamen, quòd sint laici, & quòd impedimentum sit occultum. Cœtera verò omnia, quæ in Dataria, etiam hic exprimenda veniunt. Supereſt, ut modò pro majori facilitate subjungatur

Praxis

Praxis

Petendi & exequendi dispensationes in Impedimentis Dirimentibus.

38 Exemplum 1. sit circa dispensationem in impedimento publico, petendam pro foro etiam externo, & non pro interno tantùm, consequenter à Datariâ, ubi solvendæ sunt expensæ (nisi petatur & expediatur in forma pauperum) ac vera nomina Oratorum exprimenda, unà cum Diœcesi, in qua nati sunt, nisi velint dispensationem committi Ordinario loci, in quo nunc habent domicilium: siquidem dispensatio pro foro externo committi consuevit Ordinario originis Oratorum, scilicet vel Episcopo, vel (ut plerumque solet) ejus Vicario Generali, qui in partibus ultra-Montanis, uti in nostra Germania, juxta stylum Curiæ Romanæ vocatur *Officialis*. Si orator & oratrix sunt diversarum Diœcesiũ, debent ambæ exprimi, & rescriptum solet dirigi ad Ordinarium oratricis. Ponamus autem, pro causa dispensandi in impedimento consanguinitatis allegari insufficientiam dotis, & simul angustiã loci; quæ angustia si allegetur, non tantùm Diœcesis, sed etiam ipse locus & patria oratricis vera nominari debet. Igitur litteræ supplices hoc aut simili modo formari debent.

Supplica.

Beatissime Pater.

EXponitur *humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum illius Oratorum Henrici Oppenheimeri Laici, Diœcesis Eustettensis, & Hortulanæ de Lilienfeld Diœcesis Constantiensis ex oppido Solodorano;*

quòd

quòd, cùm dicta Oratrix dotem habeat minùs competentem juxta statûs sui conditionem, cum qua, utì & propter angustiam dicti loci, virum non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, & dictus Orator, qui in memorato oppido domicilium fixit, cum dicta minus competente dote oratricem in uxorem ducere intendat, &, si extra dictum locum nubere cogeretur, dos, quam ipsa habet, non esset competens, neque sufficiens, ut virum paris conditionis invenire valeat. Loco hujus causæ pro varia occurrentia allegari alia potest, v. g. extinctio inimicitiæ vel litis, evitatio scandali aut infamiæ, præeminentia personarum, vel meritorum in Ecclesiam &c. v. g. sic ponendo: *quòd, cùm inter dictorum oratorum parentes* (vel consanguineos) *graves lites super rebus magni momenti vigeant, aliunde tamen, quàm ex causa Matrimonii inter dictos oratores ortæ, certò autem per illud extinguendæ credantur: pro illis componendis cupiunt Matrimonialiter invicem copulari.* Perinde autem est, sive desiderium nubendi ponatur ante causam, ob quam petitur dispensatio, sive causa ante desiderium nubendi; modò sibi connectantur. Si copula, & quidem jam nota, inter ipsos intercessisset, deberet probabiliùs exprimi, certò autem, si sub spe faciliùs obtinendi dispensationem, h.e. si ideo eam habuissent, ut dispensationē faciliùs obtinerent ob periculum infamiæ; non tamen necesse foret id exprimere, si tantùm sperâssent dispensationem, quando peccárunt, non verò ideo peccârunt, ut faciliùs impetrarent dispensationem; quod ordinariè puto contingere apud indoctos, cùm nesciant, quòd propter copulam faciliùs dispensetur. Dein sic pergitur ad explicandum impedimentum, & petitionem dispensationis. *Quia verò tertio & quarto consanguinitatis gradu conjuncti* (hìc ponatur aliud impedimentum, si aliud subsit vel plura, cum suis circumstantiis necessariò exprimendis, v. g. affinitas in primo gradu,

orta

orta ex copula illicita, publica honestas originem habens ex Sponsalibus de futuro, crimen ob adulterium & promissionem Matrimonii vivente priori conjuge, Ordo Subdiaconatûs &c.) *desiderium suum hac in parte adimplere non possunt, humiliter supplicant Sanctitati vestræ, quatenus cum eisdem Oratoribus, quòd impedimentô quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante Matrimonium inter se servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solennizare, & in eo postmodum remanere liberè & licitè valeant, dispensare, prolémque suscipiendam exinde legitimam nuntiare dignemini de speciali gratia. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque quibuscunque.* Si *in forma pauperum* expediri dispensationem peterent, opus foret attestationem legitimam Ordinarii, quòd sint pauperes & miserabiles juxta explicationem *n.* 12. positam, adjicere: si non, de expensis providere.

19 Circa executionem obtentæ gratiæ Ordinario, ad quem mitti solet, tanquam executori, cui mandatum actualiter dispensandi datur, seu ipsa dispensatio committitur sive delegatur, observandum est 1. quòd, si deputetur Officialis seu Vicarius Generalis, non possit exequi & dispensare Episcopus, ac vice versa: Successor verò Vicarii Generalis solùm tunc, quando sub nomine *Dignitatis* vel *Officij*, non verò, quando sub nomine propriæ personæ ei demandatur dispensatio. 2. Quòd exequi non valeat, antequam litteræ dispensationis ipsi in originali præsententur, licèt aliunde sciat, illas esse concessas. 3. Quòd non habeat ullam jurisdictionem nisi ad informationem capiendam, sed nudum ministerium; unde nec subdelegare alterum eidem est concessum, nisi ad informationem capiendam. *arg. c. fin. §. cæterùm de off. deleg.* 4. Quòd intuitu dispensationis nihil omnino, etiam sponte oblatum, liceat recipere. 5. Quòd præ oculis diligenter habere debeat tenorem litterarum

Apo-

Apoſtolicarum, ac videre, an ſint conformes ſtylo Curiæ, & non habeant clauſulas inſolitas; alias enim ſunt ſuſpectæ. Juxta ſtylum Curiæ autem ponitur initio nomen Pontificis. v. g. *Epiſcopus Servus Servorum Dei*, vel: *Clemens XI.* dein nomen delegati, qui ſolet eſſe Vicarius Generalis, ſic: *dilecto filio, venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Conſtantienſis Vicario Generali*, vel: *Conſtantienſi Officiali*; ſubjungitur, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*: tum Curia exprimit nomina & cognomina Oratorum cum Diœceſi, &, ſi ob anguſtiam loci petitur diſpenſatio, etiam loco: dein narrat preces Oratorum cum impedimento & cauſa diſpenſandi: abſolvit à cenſuris & aliis pœnis Eccleſiaſticis in ordine ad conſequendum diſpenſationis effectum: demum diſcretioni Executoris committit negotium, eique mandat, ut ſervatis certis clauſulis ibidem expreſſis diſpenſet cum Oratoribus depoſitâ omni ſpe cujuscunque muneris, & præmiſſa informatione, ſi preces veritate niti repererit, & prolem ſuſcipiendam (vel ſuſceptam, ſi Matrimonium jam eſſet contractum) legitimam declaret. Et hinc. 6. Quòd debeat accuratè obſervare clauſulas Reſcripti. 7. Quòd invalidè diſpenſet, niſi præmittat examen, informationem, & cognitionem de veritate cauſæ, licèt re ipſa preces veritate nitantur. *arg. c.* 22. *de Reſcr.* quia hæc clauſula, *te de præmiſſis diligenter informes, &, ſi preces veritate niti reperies, tunc diſpenſes*, conditionem importat, & eſt de forma; diſcrepat enim hæc clauſula ab illa, *ſi preces veritate nitantur*; nam hæc de Jure ineſt omni Reſcripto Pontificis, non item illa: informatio tamen hæc non debet eſſe Judicialis, ſed ſufficit extrajudicialis, atque de veritate illorum tantùm, quorum falſa vel erronea expreſſio vitiat Reſcriptum. Sed hinc

Quæres, an executor poſſit diſpenſationem impertiri, 49
caſu quo Oratores omnia in ſuis litteris rectè expoſuerint, impedimentum & cauſam &c. Curia tamen Roma-

na

na errorem committit, ponendo v. g. pro gradu *consanguinitatis* gradum *affinitatis*, vel Oratorem, qui juxta verum suum nomen se vocavit *Petrum*, nominando *Paulum* &c.? R. affirmativè, cum Gobat *tr. 9. à n. 635.* & aliis ibi citatis, si sufficienter constet, vel probetur Officiali delegato, ritè fuisse in Supplica expressam consanguinitatem &c. Ratio est, quia Pontifex, vel ejus substitutus, meritò censetur legisse supplicationem, & juxta ejus tenorem intendisse dispensationem concedere, vel delegare: ergo error accidentalis scribæ, qui facilè potest contingere ob tantam negotiorum molem. &c. non officit; cùm valor dispensationis dependeat ex mente Pontificis, vel substituti Tribunalis, dispensare intendentis super impedimento sibi proposito, ex causis in Supplica expressis, & cum illis, qui dispensationem petierunt.

41 Exemplum 2. sit circa dispensationem in impedimento occulto, petendam & dandam à S. Pœnitentiaria pro solo foro interno, ubi nullis opus est expensis, & vera Oratorum nomina reticentur, atque executio, vel actualis dispensatio committitur Confessario ab Oratoribus eligendo, qui tamen sit Doctor Theologiæ, vel SS. Canonum, aut privilegiô aperiendi litteras Apostolicas munitus, ac simul ab Ordinario approbatus. Ponatur igitur casus, quòd duo contraxerint Matrimonium in tertio consanguinitatis gradu conjuncti (si essent affines, in Supplica pro verbis *invicem conjuncti* deberent poni verba, *se attinent*, ut observant Practici Curiales) sed ignoranter & bona fide, idque consummârint: dein autem detectô post multos annos & susceptas aliquot proles fortè impedimentô nihilominus libidine victi perstiterint in carnali copula. Hi igitur ad evitandum incontinentiæ periculum, &, quod timeretur ex separatione, publicum scandalum, quæ allegantur pro causa dispensandi, desiderant dispensationem litteris in hunc ferè modum adornatis.

Sup-

Supplica.

Eminentissime & Reverendissime Domine &c.

EXponitur humiliter Eminentiæ Vestræ ex parte devotorum illius Oratorum, quòd Titius & Bertha (Seius & Diana, vel B. & P. &c.) *aliàs ignorantes, aliquod impedimentum inter eos existere, quò minùs possent invicem Matrimonialiter contrahere, in tertio gradu simplici lineæ collateralis conjuncti Matrimonium inter se bona fide de præsenti contraxerint publicè, & factis in eorum Ecclesia Parochiali denuntiationibus juxta formam Concilii Tridentini* (si scienter cum impedimento, vel omissis denuntiationibus contraxissent, necessariò deberent exprimere) *& copula carnali consummârint. Post aliquot annos, susceptis jam quibusdam liberis, intellexerunt, inter eos intercedere impedimentum dirimens, & præfata consanguinitate invicem esse conjunctos, & nihilominus in eadem copula carnali perstiterunt* (si non perrexissent in copula, scribi deberet: *propter quod à carnali copula abstinuerunt*) *cùm autem ex una parte sine gravi periculo magni scandali separari ab eadem domo nequeant, ex altera verò, jussi à Confessario cohabitare ad invicem ut frater & soror, id considerata humana fragilitate servare non valeant; hinc pro majori conscientiæ suæ quiete humillimè petunt dispensationem super hoc impedimento adhuc occulto, ut etiam proles tam susceptæ quàm suscipiendæ legitimentur.*

Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere &c. Vel: *cùm verò in Oratorum loco nullus reperiatur Confessarius in Theologia Magister* &c. Vid. supra *n.* 25.

Exemplum 3. in quo petitur dispensatio in impedimen-

to Affinitatis, ortæ ex copula illicita, ante contractum Matrimonium, & in ordine ad illud contrahendum.

Supplica.

Eminentissime & Reverendissime Domine &c.

EXponitur humiliter Eminentiæ Vestræ, quòd, postquam Sempronius carnaliter cognovit Titiam, postea ignarus (vel conscius, prout res se habet) *impedimenti tractatum habuit de contrahendo Matrimonio cum sorore Titiæ. Cùm autem dictum impedimentum sit occultum, tractatus verò publicus, &, nisi ad effectum deducatur, scandala exinde verosimiliter oritura sint, cupit Orator ad vitanda scandala, & ad conscientiæ suæ quietem de præmissis, de quibus summè dolet, absolvi, & secum dispensari. Quare Eminentiæ Vestræ humiliter supplicat, ut super his de oportuno remedio Authoritate Apostolica providere dignetur.*

43 Executori ad hujusmodi dispensationes delègato, qui debet esse Doctor in Theologia, vel Jure Canonico, aut privilegiatus, aut speciali concessione ad instantiã munitus, item ab Ordinario approbatus, & ab Oratoribus specialiter electus (si electus exequi recuset, vel nimis sit rigidus, potest Orator alium eligere, qui fortè benignioris est opinionis) Executori, inquam, incumbit observare sequentia. 1. Postquam accepit litteras, in quibus continetur mandatum dispensandi, debet illas adhuc clausas consignare Oratrici vel Oratori, dicendo, nunc esse in ipsius arbitrio, qualem Confessarium pro executione eligere velit, modò is ab Ordinario approbatus (nisi in hoc sit dispensatum) Doctor, vel alias privilegiatus sit.

2. Mo-

2. Monere latorem, vel latricem (seu Oratorem vel Oratricem) de necessitate confitendi : quare, si ipsum eligat, confessionem ejus excipiat. 3. In ipsa confessione pœnitentem examinare, an preces veritate nitantur; v. g. an separatio quoad domum fieri nequeat absque scandalo (si dispensandum sit ad perseverandum in Matrimonio jam contracto propter hanc causam) & periculum, si cohabitent, incontinentiæ sit, uti plerumque verum est utrumque. Debet autem in his credere pœnitenti. 4. Mandare, ut amoveat occasionem proximam peccandi, si ea adhuc exstet, v. g. si in eadem domo habitet cum sorore suæ conjugis putatitiæ, cum qua priùs peccaverat. 5. Injungere pœnitentiam à S. Pœnitentiaria præscriptam, nempe mẽstruam Confessionem, & aliam, quæ ipsius arbitrio permittitur, pro ratione delicti, v. g. incestûs, aut fornicationis, graviorem aut minùs gravem. 6. Absolvere à censuris & aliis Ecclesiasticis pœnis in forma Ecclesiæ consueta, prout nempe in foro Sacramentali fieri solet; quæ absolutio in ordine ad effectum hujus dispensationis tantùm valet. 6. Dispensare in impedimento, & simul statim prolem, siqua jam sit concepta, decernere legitimam, v. g. pronuntiatâ absolutionis consuetæ formulâ subjungere hæc verba : *Insuper authoritate Apostolica mihi specialiter, quoad hoc delegatâ, dispenso tecum super impedimento Affinitatis illicitæ in primo gradu, ut illo non obstante cum conjuge, prævia renovatione prioris consensûs, Matrimonium secretè contrahere, & consummare, ac debitum conjugale exigere & reddere licitè valeas. Parter eadem authoritate Apostolica prolem susceptam, & suscipiendam, legitimam esse & fore declaro. In nomine Patris &c. Passio Domini nostri JEsu Christi &c.* Si dispensetur in impedimento publicæ honestatis vel in alio, & in ordine ad contrahendum Matrimonium, mutentur mutanda. 7. Instruere pœnitentem, qualiter de novo contrahere Matrimo-

nium possit ac debeat, si illud jam sit ante contractum: de quo agemus in §. *seq.* 8. Facta dispensatione & legitimatione prolis litteras S. Pœnitentiariæ dilacerare, vel alio modo, v. g. amotô sigillô, ita destruere, ut ad probationem in foro externo nihil ampliùs valeant, idque sub peccato mortali & pœna excommunicationis: quare & dispensatum monere, quòd dispensatio ipsi tantùm prosit pro foro interno, ita ut, si impedimentum postea fieret publicum, separari deberent, usque dum nova dispensatio à Dataria etiam pro foro externo impetraretur. 9. Nullum adhibere testem de dispensatione facienda, vel facta, nec de ea testimoniales litteras dare dispensatis, nec ipse desuper testari; sed debet se in foro externo ita gerere, quasi de ea nihil sciret, utpote præcisè facta in foro Sacramentali. Probantur hæc omnia ex litteris S. Pœnitentiariæ, prout juxta modernum stylum formantur; sic enim sonare solent: *discreto viro Confessori* (vel Confessario) *Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario, per latorem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo. Ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quòd &c. &c. Nos itaque, qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolicâ specialiter nobis concessâ discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum latorem auditâ priùs ejus Sacramentali confessione, ac sublatâ occasione, si quæ adhuc exstat, ampliùs cum dicta sorore peccandi, à quibusvis sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injunctâ indè ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia salutari, ac confessione Sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimùm semel, aut quoties tibi videbitur, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda. Demum, dummodo*

modo impedimentum præfatum sit occultum, & separatio inter latorem & præfatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit, aliúdque Canonicum non obstet, cum eodem latore & dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo secretè ad vitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses; prolem susceptam, siqua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo, in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentali Confessionis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo. Ita quòd hujusmodi absolutio & dispensatio latori in foro Judiciario nullatenus suffragentur: nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, aut processibus confectis, sed præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum exstet, neque eas latori restituas; quodsi eas restitueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigillo Officii Pœnitentiariæ &c.

Circa *pœnitentias* injungendas, & *legitimationem* 46
prolis notandum adhuc est, & quidem circa *pœnitentias* 1. Quòd, si unus Oratorum tantùm fuit conscius impedimenti, vel unus tantùm deliquit, ipsi soli sint injungendæ: ambobus autem, si ambo. 2. Si delinquens jam priùs alteri suæ libidinis peccatum, vel excessum, confessus est; tunc opus non est novam illi pœnitentiam propterea injungere, excepta menstrua confessione, quam S. Pœnitentiaria præscripsit & determinavit. 3. Quòd, si S. Pœnitentiaria voluit tantùm injungi *pœnitentiam salutarem*, injungi debeat opus bonum tale, quod est proportionatum personæ dispensandæ & fini, ob quem injungitur; atque delicto, ex quo contractum

est impedimentum, contrariatur: qualitas verò & quantitas operis, si non specificata sit, relinquitur arbitrio Confessarii: si autem præcipiatur injunctio pœnitentiæ *gravis & longæ*, juxta stylum Pœnitentiariæ venit illa, quæ ita premit delinquentem, ut sentiat gravitatem commissi criminis, v. g. incestûs, adulterii repetiti &c. puta Litaniæ, quinquies *Pater & Ave*, Rosarium, jejunium aut abstinentia, largitio eleemosynæ, vel certæ preces pro defunctis, quæ apud pauperes servire pro eleemosyna possunt &c. debétque durare per annum, ac saltem semel in hebdomade peragi: si autem pro tò *longæ* ponatur *diuturna* pœnitentia, intelligitur talis, quæ per triennium duret: si verò jubeatur impositio pœnitentiæ *gravissimæ & perpetuæ*, denotatur talis, quæ pondere suo valde premit delinquentem, ac per totam vitam perseverare debet, qualis v. g. esset Rosarium flexis genibus recitandum singulis hebdomadis. Ita Syrus Placent. expertissimus styli Curiæ in *sua dissertat. anni* 1699. ex voluntate Innoc. XII. edita, apud P. Kressling. in *tract. de Theoria & Praxi impetr. dispensat. à p. 98.* addens, semper tamen opus esse prudentiâ & discretione Confessarii; cùm non omnes idem pondus levare possint, & pœnitentia, quæ pro robusto levis reputatur, pro debili, fœmina tenere educata &c. gravis esse possit. Notant præterea Gobat *in Quinario tr. 5. c. 37. n. 208. seq.* & P. Wiestner *h. n. 160.* pœnitentiam minui posse considerata qualitate peccati, ejus frequentiâ, dolore Oratoris de peccato commisso, præsertim etiam, si dispensatio fieret tempore Jubilæi: Confessio tamen menstrua, quam specificat Pœnitentiaria, injungi debet, & sine gravi causa in bimestrem vel trimestrem commutari nequit, aut absque tacita permissione ipsius S. Pœnitentiariæ, uti adverti *n.* 27. Per illa verba *& aliis injunctis de Jure injungendis* insinuatur illa pœnitentia & remedia, quæ pro aliis delictis gravibus,

Digitized by Google

vibus, si fortè talia confitetur dispensandus, injungenda sunt.

Circa *Legitimationem prolis* notandum 1. Clausu- 45
lam de prole pro legitima declaranda, addi, quando vel ante contractum, licèt nulliter, Matrimonium, nimirum ex fornicatione absque specie Matrimonii, vel post illud quidem, sed ante dispensationem est suscepta, vel timetur suscipienda; vel quandoque etiam casu, quo nulla præcessit copula; sed tunc talis clausula non est necessaria, eò quòd proles ex tali Matrimonio suscepta per se legitima sit, additur tamen ad abundantiam & ad tollendos scrupulos. 2. Prolem pariter legitimam esse per se & ad omnes effectus tam Civiles quam Canonicos, si post obtentam dispensationem nascatur, licèt Matrimonium priùs nulliter sit contractum, & quamvis nulla adderetur clausula de ea legitima decernenda. 3. Si verò ante dispensationem sit nata, tunc videndum, an ex fornicatione ante Matrimonium nulliter initum, vel post: si *ex fornicatione*, opus est illâ clausulâ, & legitimatione, per quam tamen solùm ad effectus spirituales & Canonicos, utì ad Ordines sacros & dignitates Ecclesiasticas, non verò ad effectus Civiles & politicos (extra territorium temporale Pontificis) nempe ad successionem in hæreditate, in feudis &c. legitimatur; quia ad effectus Civiles legitimare extra suum territorium temporale non est in potestate Papæ: si autem ex *Matrimonio*, in speciem & nulliter jam contracto, iterum distinguendum est, an bona fide unius saltem sit contractum, vel mala cum fide utriusque: si prius, iterum dicta clausula & legitimatio non est necessaria, cùm talis proles sit legitima per se & quoad omnia: si posterius, per illam legitimatur, sed iterum quoad effectus Ecclesiasticos tantùm, nisi clausula fuisset talis, per quam Papa censeretur dispensare in *radice Matrimonii*. 4. In hac radice dispensatum censeri, non tantùm per hanc clausulam, *ut ex tunc*, vel, *ut per prius*, vel, *legitimamus*

Matrimonium & prolem, ſed etiam juxta aliquos perhas: *ut in Matrimonio priùs nulliter contracto permanere*, vel: *illud de novo contrahere valeant*, vel: *prolem ſuſceptam, ſiqua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo*, ſi aliunde non ſit implicantia aut inconvenientia, ſeu ſi præceſſit Matrimonium apparens, & proles ſuſcepta ex damnato coitu (ſi enim naturalis eſſet, legitimaretur per ſubſequens Matrimonium validum) ſaltem ſi non inferatur præjudicium alicui tertio, habenti jus jam quæſitum. Pontius *lib.* 11. *de Matrim. c.* 5. §. 1. *n.* 12. Garcias, Juſtis, Corrad. *l.* 8. *c.* 3. *n.* 50. &c. contra Sanch. qui id probant ex deciſione multiplici Rotæ.

46 Exemplum 4. ſit, in quo ſupplicatur Epiſcopo (habenti ad id privilegium, vel diſpenſare valenti, eò quòd urgeat neceſſitas contrahendi ob periculum incontinentiæ & difficilem recurſum Romam maxima, uti *n.* 33. explicavimus) ut diſpenſet in impedimento Criminis, in quo non intervénit machinatio in mortem, publico facto pro foro etiam externo. Sic autem inſtrui poteſt

Supplica.

Reverendiſſime ac Celſiſſime S. R. I. Princeps, Domine, Domine Clementiſſime &c.

QUòd Celſitudinem ſuam omni, qua par eſt, demiſſione ac reverentia inter plurimos alios interpellem labores, incitant periculum animarum, amorque Divini Numinis. Siquidem Leander & Lucretia. Vel conformiter ſtylo, quo utimur ad Datariam Romanam, ſic fiat initium: *Exponitur humiliter Celſitudini Veſtræ pro parte devotorum ipſius Oratorum Leandri & Lu-*

& Lucretiæ) Diœcesis vestræ Frisingensis & Parochiæ Dachavienſis, quòd Matrimonium ad invicem contrahere intendunt. Sed quia Leander conjugatus vivente adhuc propria uxore Lucretiam perfecta copulâ cognovit carnaliter, addita ab ipso, & acceptatâ à Lucretia, promissione futuri Matrimonii, eveniente prioris conjugis diu jam ægrotantis morte ineundi, suum desiderium hac in parte adimplere non possunt, nuptiæ verò instant, & impedimentum his primùm diebus ipsis innotuit; idcirco Celsitudini suæ, quam sciunt gaudere speciali facultate super impedimento criminis, ubi non intervénit machinatio in mortem conjugis, & insuper ingens incontinentiæ periculum ipsis imminet, ac Lucretia aliàs non facilè virum ejusdem conditionis tum propter diffamationem tum propter incompetentiam dotis inveniret, humillimè supplicant, quatenus non obstante hoc impedimento, quod contraxerunt, inter se publicè servatâ formâ Concilii Tridentini Matrimonium contrahere, & in eo postmodum remanere liberè & licitè valeant, dispensare dignetur, prolem decernendo legitimam. Quam gratiam suis ad Deum precibus demereri pro viribus conabuntur &c.

Jam observandum est 1. Episcopum in hoc impedi- 47
mento dispensare posse ex duplici capite: quia habet, ut suppono, specialem facultatem à Summo Pontifice, & quia est valde urgens necessitas ob periculum in mora: de quo tamen ultimo dubium esse posset, cùm rarò sit tanta necessitas, ut, quando Matrimonium nondum est contractum, recurri Romam non possit. 2. Eundem vel per se ipsum, vel per Vicarium Generalem, vel alium specialiter ad id delegatum, dispensare posse. 3. Quisquis autem dispensare voluerit, eundem præmittere debere debitam informationem, an penes ipsum in tali casu sit potestas dispensandi, & circa veritatem precum, vel per se, vel per substitutum faciendam; quoniam solis Oratoribus non credendum pro foro externo. 4.

Licèt Epiſcopus, vel alius ab ipſo delegatus, ad certam formam in diſpenſando non adſtringatur (imò oretenus diſpenſare valeat, caſu quo diſpenſat ob urgentiſſimam neceſſitatem, non tamen quando ex ſpeciali privilegio; ubi litteras adhibere debet, ac in iis delegationem Pontificiam, ad certos annos ſibi factam, & quòd mulier non ſit rapta, juxta tenorem privilegii, exprimere debet) optimum tamen & ſecuriſſimum eſt, ſi Epiſcopus (vel Vicarius Generalis ab ipſo delegatus) expediat litteras diſpenſationis juxta modum & ſtylum Curiæ Romanæ, quantùm poteſt, inſertis iis, quæ neceſſariò inſerere debet, ſi diſpenſet ex delegatione & privilegio Apoſtolico, ac mutatis mutandis. 5. Vice verſa, licèt Oratores non teneantur certam adhibere formulam in ſupplicando, rectiſſimè tamen ab iis adhiberi modum, quo ſupplicatur Curiæ Romanæ. Exprimere autem in ea debent nomina ſua propria, Diœceſim, ac ſimul Parochiam, cauſam, quæ ſit ſufficiens, & vera, deſiderium ineundi Matrimonium &c. Supplicationem verò, ſi per ſeipſos ad Epiſcopum mittere, vel ei offerre non placet, per tertium, v. g. Parochum mittere vel offere licet Epiſcopo ſuo, aut Vicario Generali, aut Conſilio Eccleſiaſtico ejusdem, factâ tamen exteriùs inſcriptione per competentem titulum ipſi Epiſcopo. 6. Diſpenſanti, vel diſpenſationem exequenti, ea facienda eſſe cum proportione, quæ exequenti diſpenſationem Romanam pro foro externo facienda eſſe diximus *n.* 39.

48 Exemplum 5. ſit, in quo eidem Epiſcopo ſupplicatur pro diſpenſatione pro foro tantùm interno, ut ijs, qui cum impedimento occulto Affinitatis, ex copula illicita ortæ, contraxerunt jam Matrimonium, in eodem permanere liceat, allegatâ cauſâ graviſſimi periculi incontinentiæ, & ſcandali, ſi fieret ſeparatio, imò & infamiæ, ſi aperiretur delictum. Pro Titia igitur, quæ, antequam cum Sempronio contraheret Matrimonium, ſæpius copulam

pulam habuit cum hujus fratre, posset hoc ferè modo formari

Supplica.

Reverendissime & Celsissime (Serenissime*, si sit natus Princeps) *S. R. I. Princeps, Domine Domine Clementissime.

EXponitur *humiliter &c.* (si placeat observare modum, quo supplicatur Pœnitentiariæ Romanæ) Vel sic. *Plurimos labores suæ Celsitudinis infimus ego haud quaquam interpellare auderem, nisi ad id cultus Divini Nominis & salus urgeret animarum.* Siquidem *Titia per aliquod tempus bona fide in Matrimonio degit. Hisce autem diebus ope Pietatis Divinæ prævenia venit ad me, ac Generalem Confessionem summo cordis dolore deposuit: inter alia peccata etiam se accusat, quòd nempe, dum erat adhuc libera, à fratre moderni sui mariti sæpius perfectâ copulâ fuerit cognita. Pleniùs autem à me de impedimento dirimente edocta (jam enim priùs circa hoc erat anxia & dubia) inter lamenta & lacrymas consilium remediumque implorat, allegans infamiam ex detecto scelere orituram, periculum scandali ex separatione, & periculum incontinentiæ maximum ex parte viri. Hinc, cum ob periculum in mora non facilis sit recursus Romam, Celsitudinem suam eâ, qua par est, demissione rogat, & ego cum ipsa, quatenus ob amorem Divinum, & curam salutis æternæ ovium sibi concreditarum, prædictæ personæ afflictæ opportu.. dispensationis remediô pro foro conscientiæ (quia hoc impedimentum adhuc occultum est) clementissimè*

tissimè subvenire dignetur, susceptas proles pro eodem foro legitimas nuntiando. Pro qua gratia &c.

49 Jam iterum notandum est 1. Quamvis dispensatio pro foro interno apud Episcopum sollicitari atque procurari etiam oretenus possit, longè tamen consultiùs & securiùs agere Episcopum, vel Vicarium Generalem, si sollicitationes oretenus factas non suscipiat, sed jubeat *Memoriale*, seu supplicationem scriptam expressis necessariò exprimendis sibi offerri; quia in supplicatione verbali facilè contingit, ut non omnia debitè & sufficienter proponantur, aut non ritè omnia perpendantur. 2. Si unus tantùm conjugũ conscius est impedimenti ex delicto occulto orti, utì plerumque se res habet, non ambos in plurali, sed reum duntaxat in singulari (ficto nomine) exprimendum esse, utì in adducta formula factum leges. 3. Casum debere ita proponi, ut Episcopus intelligat, in eo concurrere illas conditiones, quas requisivimus supra *n.* 33. ad hoc, ut Episcopus dispensare valeat pro foro interno. 4. In supplicatione omnia esse exprimenda, quæ exprimenda necessariò sunt in supplicatione ad S. Pœnitentiariam. 5. Quamvis Episcopo, vel ejus Vicario Generali, nulla certa forma, vel stylus ad expediendam dispensationem pro foro interno sit præscriptus, imò eam oretenus, sicut Orator petere, concedere valeat; longè meliùs tamen, securiùs, mentíque Pontificis conformiùs acturum, si in scriptis, & imitando stylum Curiæ Romanæ expediat, præsertim cùm Episcopus super impedimentis occultis pro foro interno dispenset ex sola tacita licentia Papæ, cujus Curiam tanquam Matrem & Magistram sequi decet, hujus autẽ Curiæ dispensationes pro invalidis declarentur in *Reg. 27. & 52. Cancellariæ*, quæ sine confectione litterarum conceduntur. 6. Episcopum debere commissionem seu mandatum dispensandi dare alicui Confessario, eò quòd occulti delinquentes, vel occultô impedimentô laborantes, venire in propria persona ad Episcopum vel ejus Curiam non

sole-

soleant, nec extra Confessionale se prodere, in quo proinde dispensatio danda, & informatio de veritate precum à Confessario capienda erit. 7. Itaque litteris, per quas mandat Confessario executionem dispensationis, inserendas esse clausulas bene visas, ut nempe is se informet de precum veritate, Sacramentalem latricis (vel latoris) Confessionem audiat, à censuris, excessibus, incestu &c. absolvat, injuncta salutari pœnitentia, & declarandum, quoties, an quolibet mense, vel bimestri Sacramentalem Confessionem peragere debeat persona, cum qua dispensatur, & alia exprimenda, uti suprà de Rescripto Pontificis dictum *n.43.* His itaque litteris inscribendum erit: *discreto viro ex approbatis in nostra Diœcesi per latricem præsentium ad infrà scripta specialiter eligendo:* si Episcopus velit, potest addere, *Doctori in Theologia, vel Jure Canonico,* at non est necesse, & subinde neque consultum, ubi nempe Doctores sunt rari, & difficulter haberi possunt. 8. Confessarium hunc litteras dispensationis exequi debere juxta clausulas in iis positas (sicut exequens Rescriptum dispensationis Apostolicæ tenetur illas observare) præmisso tamen diligenti examine, an casus habeat conditiones necessariò requisitas ad hoc, ut Episcopus pro foro interno dispensare possit, an nempe impedimentum sit occultum, an adsit gravis causa, & urgens necessitas, ita ut non patiatur moram, donec dispensatio veniat Româ, atque an Matrimonium sit bona fide, præmissis denuntiationibus, ac in facie Ecclesiæ contractum, de quibus vide *n. 33. 35.* 9. Eundem Confessarium, postquam pœnitentem absolvit à peccatis, & pœnitentiis injunctis debitè monuit, posse hanc formulam dispensationis subjungere: *Insuper authoritate Episcopi mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradûs ex copula illicita, quam cum fratre tui putatitii mariti anteà habuisti, ut illo non obstante, renovato consensu cum præfato marito, Matrimonium*

cum

cum illo contrahere, consummare, & in eo licitè valeas remanere. In Nomine Patris &c. Passio Domini nostri JEsu Christi &c. Si petita est quoque legitimatio prolis, addat post verbum *remanere*, hæc: *prolem verò indè susceptam declaro legitimam.* Sed hæc legitimatio in foro externo nihil prodest, si impedimentum fieret publicum. Dein Episcopi potestas, quando legitimat pro foro etiam externo, solummodo se extendit ad susceptionem Minorum, Ordinum, & Beneficii simplicis acquisitionem.

Hæc de modo & praxi dispensationes in impedimentis Matrimonii tam pro foro interno tantùm, quàm etiam pro externo, impetrandi utiliter & sat fusè dicta sufficiant, quæ sæpe possunt esse usui. Qui plura desiderat, consulat Pyrrhum Corradum *in praxi dispensat. l. 7. & 8.* ac alios, præ cæteris verò P. Anacletum Reiffenstuel *in Appendice libri IV. Decretalium*, ubi theoriam & praxim hujus rei copiosè & accuratè tradit.

§. IV.

De Revalidatione Matrimonii nulliter contracti, si fortè impetretur dispensatio in impedimento.

50 SCiendum 1. Matrimonium nulliter posse contrahi vel *ob defectum consensûs*, qui v. g. ex una, vel utraque parte, ponitur fictè tantùm & simulatè, aut per errorem circa individuum personæ, aut conditionem ejus servilem, aut per metum gravem injustè extortus est: vel *propter aliud impedimentum*, puta consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis, criminis &c. sive illud sit publicum, sive occultum: si occultum sit, potest vel uni tantùm, vel utrique conjugi, esse notum.

Sc. 2.

Digitized by Google

Sc. 2. Matrimonium, sive ob defectum consensûs 51
sive ob aliud impedimentum nulliter sit contractum, revalidari renovari seu instaurari posse, at non aliter nisi per novum consensum, & quidem signo aliquo externo manifestatum, eò quòd Matrimonium, validè inter Christianos contractum, sit Sacramentum, quod sine signo sensibili non perficitur, imò etiam quà contractus, qui inter homines non celebratur, nisi per consensum signo sensibili expressum, aliquod externum signum requirit. Id tamen discriminis est, quòd nulla opus sit dispensatione Prælati Ecclesiastici in priori, ubi Matrimonium fuit nullum præcisè propter defectum consensûs, bene tamen in posteriori casu, ubi propter aliud impedimentum consensus Matrimonialis fuit nulliter positus. De hac revalidatione Matrimonii per novum consensum externum fervent gravissimæ controversiæ. 1. An, si una pars tantùm contraxit fictè, seu non posuit verum consensum, altera autem hujus fictionis ignara verè consensit, sufficiat, si illa tantùm, quæ priùs non verè aut liberè consensit, postea ponat verum consensum externum, v. g. per copulam affectu maritali habitam manifestatum, altera parte non monita, & formaliter novum consensum non ponente. 2. An, si nulliter est contractum Matrimonium ob impedimentum latens, & uni notum, vel postea cognitum, sufficiat, si post impetratam dispensationem novum consensum ponat pars impedimenti conscia, vel an debeat altera quoque de impedimento certiorari, ac de novo consentire. 3. An ad revalidandum Matrimonium, priùs in facie quidem Ecclesiæ, sed invalidè contractum, requiratur præsentia Parochi & testium, ita ut coram his contrahatur de novo.

Dico 1. Si Matrimonium est nulliter contractum 52
propter defectum consensûs, non verè, vel non satis liberè positi ex parte unius tantùm, probabiliùs sufficit ad convalidandum Matrimonium, si solus ille, qui priùs

vel

vel nullum vel non ſufficientem conſenſum poſuit, eum defacto ponat, licèt altera pars nullitatem neſciat, nec de novo conſentiat. Ità docui contra multos cum multis allegatis ſupra *tit. I. n. 89. 90.* ubi vide. Excipiunt aliqui caſum, quo Matrimonium fuiſſet nullum propter defectum conſenſûs ratione erroris circa ſubſtantiam perſonæ, vel circa conditionem ſervilem, propter textus *in c. 2. & fin. de conjug. ſervor.* mihi tamen non videtur excipiendus, cùm *citt.* textus non clarè diſponant aliud. Præter Objectiones, *cit. n. 90.* allatas, Oppones adhuc 1. Pontifex Clemens VIII. à Comitolo ſuper hac controverſia conſultus reſpondit, *eſſe neceſſariam novum conſenſum utriusque, admonitô priùs maritô de Matrimonii nullitate.* 2. Si aliud impedimentum intercedat inter contrahentes, opus eſt utriusque conſenſu novo, quia prior utriusque fuit invalidus; ſed etiam utriusque prior conſenſus fuit invalidus, ſi unus fictè vel non ſatis liberè conſenſit, cùm Matrimonium ex eſſentia ſua involvat utriusque verum conſenſum: ergo. R. ad 1. Illa particularis reſponſio Pontificis non fuit deciſio Juris. Dein non ſatis conſtat nobis, an omnino idem caſus, ſuper quo procedit noſtra Aſſertio, ſit Pontifici propoſitus, & non aliæ circumſtantiæ adfuerint. Ad 2. N. *Min.* ſi enim perſonæ omni impedimento carentes & aliunde habiles ſint, non video, cur conſenſus verè & liberè poſitus ab uno non valeat, & moraliter perſeverare poſſit, usquedum ſubſequatur conſenſus ex altera quoque parte, cùm ſimultanea poſitio conſenſûs ad Matrimonium non requiratur, uti nec ad alios contractus, ſed ſufficiat, modò conſenſus unius ſit poſitus, & non retractatus, atque ex intervallo, ſive brevi ſive longo, ſubſequatur conſenſus quoque alterius. Aliud eſt, ſi perſonæ ob aliud impedimentum ſunt inhabiles; quia, cùm tali caſu impedimentum afficiat utramque partem, à neutra ponitur conſenſus validus.

Dico

Dico 2. Si Matrimonium eſt nulliter contractum pro- 53
pter impedimentum dirimens, licèt uni tantùm cognitum tempore contractûs, vel poſtea detectum, ad illud obtenta diſpenſatione convalidandum requiritur conſenſus novus utriusque, nec ſufficit conſenſus unius, impedimentum & nullitatem ſcientis. Communiſſima cum S. Thoma, Scoto, Sanch. *l.* 2. *d.* 35. *n.* 2. *& d.* 36. *n.* 3. 4. contra paucos à Sanch. relatos. Ratio eſt clara: quia ex utraque parte fuit conſenſus invalidus, utpote inter perſonas inhabiles ad contrahendum Matrimonium poſitus, adeóque ſe habet, ac ſi nunquam eſſet poſitus; cùm paria ſint, aliquid invalidè, & omnino non factum eſſe. *l.* 6. *ff. qui ſatisdar. cog.* ſed, ſi nunquam præſtitus eſt conſenſus in Matrimonium, pars utraque conſentire debet: ergo &, ſi invalidè eſt præſtitus; eò quòd moraliter perſeverare non poſſit conſenſus, qui nunquam phyſicè exſtitit. Cùm autem errantis & ignorantis nullus ſit conſenſus. *l.* 15. *ff. de Jurisd. l.* 116. *ff. de R. J.* & nihil ſit volitum, niſi cognitum, nihilque ratificari valeat, quod nunquam exſtitit, ideo utrique parti innoteſcere, ac intimari etiam ignoranti debet nullitas Matrimonii priùs initi, ut habet communis, verúmque eſt ſaltem ordinariè. Idque confirmat ſtylus S. Pœnitentiariæ; quando enim diſpenſat ad remanendum in Matrimonio ſemel contracto, ponere ſolet hæc verba, *muliere* (vel viro) *de nullitate prioris conſenſûs certioratâ, ſed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur.* Proin licèt hæc nullitas intimari debeat, cauſa tamen illius non aperienda eſt, præſertim ſi fundetur in delicto alterius partis, v. g. in copula illicita, ex qua ortum eſt impedimentum affinitatis.

Oppones 1. Primus conſenſus moraliter perſeverat 54
tamdiu, quamdiu non revocatur. *arg. c. fin. de Procur. in* 6. *l.* 1. §. 1. *ff. de V. O.* ergo non eſt neceſſe novum conſenſum ponere ex parte ignorantis impedimentum poſt impetratam diſpenſationem. 2. Diſpen-

satio tollit impedimentum : ergo eâ obtentâ personæ sunt habiles ad Matrimonium : ergo istud revalidatur per consensum, etiam ab illo, qui ignorat adhuc impedimentum, reipsa præstitum : ergo ille certiorari de impedimento non debet. 3. Juxta *c.* 2. *& c. fin. citt.* ratificatur Matrimonium ignoranter cum ancilla initum, quando ingenuus cognita servili conditione compartis, licèt non monitæ, aut non consentientis de novo, in Matrimonium priùs nullum consentit vel verbô, vel factô, v. g. affectu maritali : ergo non requiritur notitia nullitatis, neque novus consensus alterius partis. *N.* ad 1. *dist. Ant.* primus consensus, validè præstitus, moraliter perseverat. *C. Ant.* invalidè præstitus. *N. Ant.* Dein argumentum probaret, ex neutra parte requiri novum consensum ; quod est contra ipsos Adversarios. Ad 2. *dist. Cons.* ergo personæ sunt habiles ad Matrimonium, si ambæ ponunt novum consensum. *C. Cons.* Si tantùm una ponat novum consensum, non verò altera, & quidem certiorata priùs de nullitate. *N. Cons.* cùm prior consensus ex utraque parte fuerit nullus, non sufficit consensus unius, cùm Matrimonium claudicare non possit, & perfici unius consensu : consensus autem ignorantis nullitatem non datur. Dein argumentum rursus probaret, ex neutra parte requiri novum consensum, sed sufficere, si Confessarius, utrâque etiam insciâ, impetraret dispensationem, & copulâ animô conjugali factâ vel alio modo exprimeretur novus consensus. Consensus, quo revalidatur Matrimonium, poni debet cum intentione denuo contrahendi, nec sufficit animus utendi Matrimoniô contractô ; quam intentionem utique habere non potest, qui nescit, Matrimonium priùs fuisse nulliter contractum. Ad 3. *Antec.* negat quidem Sanch. & Pontius : mihi autem videtur concedendum, quia hoc casu intervenit defectus consensûs propter errorem, adeóque spectat iste casus ad priorem Assertionem.

55 Quæres, quomodo post sublatum impedimentum con-

Digitized by Google

conſcius nullitatis parti hanc ignoranti intimare, eámque ad novum conſenſum inducere poſſit ac debeat? §. 1. Si putatitii conjuges ſe mutuò ament, neque periculum ſcandali timeatur, aut deſertio conjugis, vel prolis ſuſceptæ &c. ex manifeſtatione, res non eſt difficilis; poterit enim conſcius impedimenti, nunc per diſpenſationem fortè ſublati, ad ignorantem candidè ſic dicere: *multùm angor in conſcientia; quia credo, Matrimonium inter nos invalidè fuiſſe contractum; hinc rogo te, ut ad pacandam conſcientiam meam de novo contrahas mecum, novóque conſenſu me in conjugem accipias, prout ego te ex nunc in conjugem accipio.* Si alter annuat, vel dicat, *placet, conſentio* &c. Matrimonium eſt revalidatum. Si verò interroget cauſam nullitatis, non tenetur conſcius eam prodere, imò neque conſultum eſt prodere, ſi fundetur in crimine, ſed poterit reſpondere, ſe non habuiſſe verum & ſufficientem conſenſum; quod verum eſt, quia conſenſus invalidus non eſt verus aut ſufficiens. Vel poterit nullitatem aperire conditionatè, & ad conſenſum inducere, v. g. dicendo: *ſi Matrimonium noſtrum ex aliqua cauſa fuiſſet nullum, novusque conſenſus requireretur, viſne illud convalidare, & ponis novum conſenſum in illud, ſicut ego eundem nunc pono.* Si reponat, *ita, volo* &c. res iterum eſt ſalva; non verò, ſi diceret, *vellem*; quia hujusmodi velleitates conditionatæ ſunt, nec ponunt conſenſum actualem & abſolutum. Neque obſtat, quòd tali modo inductus ad conſenſum non habeat abſolutam & formalem notitiam de nullitate prioris Matrimonii; quia ſufficit æquivalens; nam ideo requiritur cognitio, ut ignorantis conſenſus novus non referatur ad prius Matrimonium, quod putat fuiſſe validum, ſed ad contrahendum novum: ſed conſenſus refertur ad novum contrahendum, ſi facta mentione nullitatis ſub conditione (quæ eſt jam impleta de præſenti, vel de præterito) adhóque abſolutè ponatur reſpondendo: *volo contra-*

bere de novo, si prius Matrimonium sit, vel fuisset invalidum.

§. 2. Si verò ex revelatione nullitatis timendum sit periculum divortii, desertionis liberorum, scandali, aut diffamationis, aliorúmve gravissimorum incommodorum, vel etiam vitæ, res est difficilior, & mihi videtur attendendum, an pacificè & in mutuo amore hucusque cohabitârint putatitii conjuges, ita ut spes sit, ignorantem adeptâ notitiâ, saltem æquivalente, de nullitate, disponi posse ad renovandum consensum, ita ut ut dicta pericula prudenter credantur evitanda: & tunc conscius impedimenti omnia charitatis obsequia exhibeat ignoranti, ac tempore opportuno, quando nempe ad reciprocum & syncerum erga se amorem sibi videtur eum induxisse, dicat ferè hoc modo: *si Matrimonium inter nos non fuisset, vel non sit validum* (quæ conditio est de præterito vel de præsenti, & jam purificata, adeóque propriè conditio non est) *vellésne adhuc me accipere in uxorem, & defacto me accipis?* si respondeat, *volo, accipio &c.* ac dein subjungat, qui interrogavit, *pariter & ego volo, te accipio &c.* redintegratum est omnino Matrimonium. Si verò interrogatus reponat: *cogor te habere, aliàs vellem, ut te nunquam vidissem &c.* item si uxor nullitatis conscia habeat virum aliàs astutum & doctum, respectu cujus est periculum, ne fœmina per similes modos loquendi se plurimùm faciat suspectam, eò quòdis noverit, per tales modos loquendi indicari impedimentum latens, tunc procedendum est juxta statim dicenda. Quare

§. 3. Si putatitii conjuges vivant in odiis, discordiis &c. vel ex alio capite prudenter sperari non possit, revelationem nullitatis fieri posse absque periculo divortii, scandali, diffamationis, aliorúmve valde gravium incommodorum, probabiliter & tutò videtur omitti posse revelatio nullitatis, modò consensus novus obtineatur ab ignorante, qui censeri potest poni & satis exprimi

per

per hoc, quòd maritali affectu petat vel reddat debitum conjugale, pars verò nullitatis conscia sublatô impedimentô expressè consentiat de novo vel verbô, vel factô, puta maritali copula, vel diuturna cohabitatione &c. Sanch. Dicastillo, Gobat *in Quinario to. 5. c. 37. n. 132. 134.* Syrus Placent. *p. 2. c. 2. fol. 228.* cujus doctrina à Pontifice tolerata & à Magistro Sacri Palatii approbata est, Sporer & alii ex ea ratione, quia ob tantam difficultatem necessitatem & periculum licebit sequi sententiam verè probabilem illorum, qui cum Innoc. Soto, Ledes. Henriq. &c. docent, necesse non esse, ut nullitas prioris Matrimonii innotescat utrique parti. Reclamat P. Reiffenstuel in *Append. n. 605.* eò quòd in Sacramentis, ubi agitur de valore, non liceat sequi sententiam probabilem relicta probabiliore & tutiore. Sed huic difficultati jam occurrimus in *Tit. I. n. 101.* Idem Auctor *n. 603.* alium modum, &, ut ait, tutiorem suggerit, si nempe Confessarius (vel alius) in se suscipiat negotium, & conjugi nullitatis ignaro exaggeret, quàm necessariæ & utiles sint gratiæ Sacramentales ad onera Matrimonii portanda, quæ tamen non conferuntur, si Matrimonium, uti facilè potest contingere ob occultum impedimentum, nulliter contrahatur. His præmissis suadeat conjugibus, ut inter se de novo contrahant sub conditione, uno v. g. dicente: *si ex aliqua causa Matrimonium nostrum non esset validum, volo tecum ex nunc de novo contrahere: altero autem respondente: volo pariter & ego tecum contrahere.* Quod si faciant, Matrimonii Sacramentum perficitur, & gratiæ Sacramentales conjugibus adeò salubres conferuntur.

Dubitabis, quî gerere se debeat Confessarius, qui advertit, pœnitentem suum laborare impedimento dirimente, & esse in Matrimonio invalido? R. cum Gobat *à n. 49.* cum distinctione: si ipse pœnitens dubius interroget de valore sui Matrimonii, vel sit in mala fide, utique debet ei aperire veritatem: si autem non interroget, 56

nec appareat esse in mala fide, tunc cautè procedere; & expiscari debet, an inter putatitios conjuges sit amor syncerus & concordia; vel malè inter eos conveniat: si prius, admoneat de nullitate, ac de modo eam aperiendi, & impetrandi novum consensum à comparte illius ignara, eamque edoceat juxta dicta *n. præced.* si posterius, tunc præstat relinquere pœnitentem in bona fide, quam detecta nullitate gravissimis incommodis, aut periculis objicere.

57 Dico 3. Si Matrimonium nulliter est contractum in facie Ecclesiæ seu coram Parocho & testibus, restauratio seu revalidatio illius sublatô impedimentô non est facienda coram Parocho iterum & testibus, sed rectè fit occultè & inter solos conjuges, modò impedimentum fuerit & maneat occultum. Secus, si fuit tempore contractûs vel postea evasit publicum. Sed hanc assertionem satis probatam invenies in *Tit. III. n. 28.* Pro Confirmatione addo, quòd ipsa Curia Romana in Rescriptis dispensationum satis utrumque membrum clarè insinuet, dum S. Pœnitentiaria, quæ mandat dispensari in impedimento occulto, expressè ordinare solet, ut *secretè* ad vitanda scandala contrahant de novo putatitii conjuges. Dataria verò, quæ dispensationem concedit in impedimento publico, expressè præcipit, ut in facie Ecclesiæ juxta formam Concilii Tridentini contrahant.

TITULUS XVII.

Qui Filii sint Legitimi.

SUMMARIUM.

... qui quotuplicis generis sint effectus Matrimo-

... & Legitimatio quid sit.

3. *Qui-*

Digitized by Google

3. *Quinam dicantur filii. Quinam sint merè naturales: merè legitimi: naturales & legitimi simul: spurii: ex damnato coitu orti: incestuosi, nefarii &c.*
4. *Quis sit effectus legitimitatis.*
5. 6. 7. *Quinam habeantur pro legitimè natis.*
8. *Quis sit Judex in causa legitimitatis.*
9. 10. 11. *Quinam & quomodo legitimentur per subsequens Matrimonium: an etiam per putatitium. An taliter legitimatus in primogenitura præferatur fratribus, post ipsum quidem natis, sed antequam illius parentes Matrimonium inter se contraxerunt.*
12. *An ad id requiratur consensus legitimandi, vel fratrum legitimè natorum.*
13. *An per idem Matrimonium legitimetur etiam nepos.*
14. *Quinam & quomodo legitimentur per Rescriptum.*
15. 16. *Papa per Rescriptum legitimat regulariter ad solos effectus Ecclesiasticos.*
17. 18. *Nisi dissenset in radice Matrimonii. Quid hoc sit.*
19. *Princeps Sæcularis legitimat ad solos effectus Civiles, uti & Comites Palatini.*
20. *Quid exprimere debeat petens legitimationem.*

SCiendum 1. varios esse effectus Matrimonii validè, id est, sine impedimento & à personis habilibus ritè celebrati, de quibus personis huc usque pertractatum; & quidem aliquos *utrique conjugi* communes, uti est 1. gratia supernaturalis, tum habitualis, quam auget hoc Sacramentum suscipientibus peccato mortali carentibus, tum actualis, quam confert ad portanda Matrimonii onera, & prolem ritè educandam. 2. Vinculum conjugale, vi cujus obligantur conjuges ad individuam vitæ societatem. 3. Fides conjugalis, vi cujus tenetur unus

nus alteri cohabitare, debitum conjugale, si petatur, reddere, mutuum amorem exhibere, & ab omni concubitu, actu, ac affectu venereo erga alias personas abstinere. 4. Mutua rerum & bonorum communio non quoad dominium, sed quoad usum. 5. Legitimitas liberorum, recta eorum educatio, & alimentatio, quamvis ad utramque ultimam principaliter obligetur maritus, & uxor solùm minùs principaliter, & quoad alimentationem solùm in defectum. *l. 1. C. ubi pupilli. l. 5. l. 8. ff. de agnos. & alend. liber.* nisi nempe liberi habeant bona propria, vel media, quibus se ipsos alere possint. Alios verò effectus esse proprios *soli marito*, uti est 1. Potestas maritalis, quam vir velut caput habet in uxorem in ordine ad eam gubernandam, secum retinendam, &, si immorigera sit, moderatè etiam castigandam, atque ad rem familiarem & domesticam administrandam. 2. Potestas patria, quam obtinet in liberos, ad eos eorúmque actiones in bonum familiæ dirigendas, atque ad bona illorum (salvo tamen peculiorum, castrensis, quasi-castrensis, & adventitii irregularis jure) in utilitatem propriam applicanda &c. Alios tandem esse proprios *soli uxori*, uti est 1. Communicatio domicilii & fori, quod sortitur maritus. 2. Participatio nobilitatis, dignitatis, & aliorum privilegiorum viro competentium. Si verò uxor nubat inferiori, non quidem amittit prærogativas sibi connatas, uti est nobilitas ac illustris conditio, bene tamen participatas à patre, uti est dignitas Consulis, Consiliarii &c. qua fulget ipsius pater. Plura de his effectibus videre est apud P. Schmalzgrueber *Tit. I. lib. IV. §. 3.* Nobis tantùm de Legitimitate, de qua sonat *Rubrica* præsentis Tituli, filiorum seu prolium deinceps agere constitutum est.

2 Sc. 2. *Legitimitatem* liberorum esse legitimam ac à Jure Humano approbatam nativitatem: siquidem ea non tam à Natura, quàm à Lege introducta est; sicut enim omnes à Natura generantur liberi ac ingenui, seu non-

ser-

servi, nihilominus tamen per Bellum & Leges introducta est servitus, ita à Natura quidem omnes nascuntur æqualiter ac legitimi, Lex tamen quosdam reprobat ut illegitimos, ac variis favoribus privat, tanquam maculatos ob natalium defectum. *Nov. 89. c. 1. & 9. &c.* Ubi verò deest *Legitimitas*, seu nativitas ex justis nuptiis, prout leges volunt, quandoque ex dispositione earundem legum succedit *Legitimatio*, vi cujus liberi illegitimi, & non legitimè nati, restituuntur natalibus, &, saltem in ordine ad aliquos effectus, efficiuntur ac habentur pro legitimis. Hæc autem Legitimatio vel fit *beneficiô Juris*, seu per *subsequens Matrimonium*, quod postea contrahunt parentes illegitimè natorum, vel *beneficiô* seu *Rescriptô Principis*, qui vel per se, vel per alium illegitimis restituit ea, quæ ipsis Jure Positivo denegata sunt. Tertius modus legitimandi per *Oblationem Curiæ* in desuetudinem abiit.

Sc. 3. *Filios* (quo nomine denotantur etiam filiæ, adeóque omnes proles. *l. 116. l. 201. ff. de V.S.* item veniunt soli immediatè ex parentibus nati; secus per *liberos* etiam intelligi solent sæpius nepotes & alii ulteriores descendentes) filios, inquam, vel esse naturales tantùm, vel legitimos tantùm, vel naturales & legitimos simul, vel illegitimos. *Naturales tantùm* de Jure Canonico sunt, qui ex parentibus quidem solutis, seu Matrimoniô non ligatis, inter quos tamen vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio potuit validum consistere Matrimonium, seu qui aliquo dictorum temporum carebant impedimento dirimente inter se, procreati sunt. De Jure autem Civili, qui nati sunt ex soluto & concubina, tum qua non intercessit impedimentum dirimens, domi instar uxoris detenta. *Legitimi tantùm*, qui non naturâ sunt, sed beneficiô adoptionis vel arrogationis ex dispositione legum pro liberis habentur. *pr. Inst. de adopt.* & vocantur etiam *Adoptivi*. *Naturales & Legitimi simul*, qui ex justis & legitimis 3

nuptiis, seu ex Matrimonio vel verè vel putatitiè valido, sunt geniti. *c. 2. h. t. pr. Inst. de patr. potest.* vocantur quoque *legitimè nati*, & sæpe simpliciter *Legitimi*, prout contradistincti ab Illegitimis. *Illegitimi* autem generaliter dicuntur omnes illi, qui non sunt procreati ex nuptiis verè vel putatitiè justis, seu nati ex Matrimonio vel scienter vel notoriè invalido. Sunt in multiplici classe. 1. *Naturales tantùm*, prout jam explicavimus. 2. *Spurij* generaliter sumpti, quales secundùm Jus Canonicum dicuntur omnes & soli illi, qui nati sunt ex parentibus, inter quos nec conceptionis, nec nativitatis, nec intermedio tempore, ob impedimentum dirimens potuit consistere Matrimonium. At secundùm Jus Civile etiam illi, qui ex soluto, & soluta non concubina, seu instar uxoris domi non detenta, sed ex alia, v. g. meretrice, cum qua tamen validum Matrimonium consistere poterat, proveniunt: appellantur etiam *vulgò quæsiti. l. 23. ff. de statu hom.* 3. *Adulterini*, quorum parentes vel ambo, vel unus saltem cum alia est conjugatus, seu qui ex adulterio. 4. *Sacrilegi*, qui per sacrilegium nascuntur, seu ex parentibus (saltem uno) castitatis voto solenni ligatis, uti sunt Moniales, Religiosi, & Majoribus Ordinibus initiati. Si tamen proles nascatur ex Clerico in Sacris constituto non Religioso & ex soluta, à multis habetur tanquam ex simplici fornicatione nata propter *c. 6. de bigamis.* 5. *Incestuosi*, seu nati ex parentibus affinitate, vel consanguinitate collaterali conjunctis. 6. *Nefarii*, seu procreati ex parentibus in linea Recta consanguineis, uti ex patre & filia, vel nepte &c. 7. *Orti ex damnato coitu*, quem scilicet leges punitunt, uti est adulterium, incestus, sacrilegium cum persona Religiosa. Sed isti omnes vix discrepant à Spuriis, prout de Jure Canonico sumuntur, & tanquam genus præfatus quatuor species complectuntur, nempe adulterinos, sacrilegos, incestuosos, nefarios filios.

§. 4.

Sc. 4. Effectus & jura legitimitatis esse 1. jus succedendi parentibus in bonis omnibus. 2. Jus participandi statum, nobilitatem, dignitatem, & familiam patris. 3. Capacitatem consequendi officia honorata &c. & isti effectus sunt politici ac Juris Civilis. 4. Aptitudinem ad recipiendos Ordines Clericales, Beneficia & Dignitates Ecclesiasticas, quæ est effectus Juris Ecclesiastici. Quibus omnibus privati existunt Illegitimi, seu non legitimè nati, & postea non legitimati vel per subsequens Matrimonium, vel per Rescriptum Principis; quoad successionem tamen in bonis parentum vide limitationes ad Titulos *de Successionibus ab intest. & de Feudis* allatas. Ratio est, quia illegitimis, quamvis ipsi culpâ vacent, tamen in æstimatione morali ac ex dispositione Juris adhæret aliqua *macula* paterni peccati, timetúrque in ijs incontinentia paterna. 4

Dico 1. Pro Legitimis, seu legitimè natis, habentur non solùm procreati ex justis Nuptiis seu Matrimonio valido, uti omnes fatentur, licèt unus vel uterque conjugum priùs emiserit votum castitatis simplex, vel cum alia persona priùs contraxerit Sponsalia; qui hæc sunt tantùm impedimenta impedientia. 2. Sed etiam nati ex Matrimonio putativè valido: sive impedimentum ignoratum sit consanguinitas, sive aliud. 3. Modò non sit impedimentum clandestineitatis, sed Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, ac nemine contradicente. 4. Et præmissæ sint denuntiationes. 5. Ac bona fides, saltem unius, seu ignorantia impedimenti adfuerit tempore contractûs Matrimonialis. 6. Vel saltem tempore, quo proles est concepta, licèt neutrius bona fides adfuerit tempore, quo nata est. 7. Neque legitimitati obstat dubium, etiam practicum, quod supervenit Matrimonio jam consummato. 8. Neque dubium merè speculativum, antecedens contractum vel consummationem Matrimonii. 9. Neque lis mota super valore Matrimonii adhuc pendens. 10. Neque si proles nascatur septi- 5

mo

mo inchoato ſtatim poſt initum Matrimonium, vel primùm undecimo menſe nondum completo poſt mortem mariti. 11. Neque ſi mater ſit aliàs notoriè adultera, modò cohabitaverit marito per illud tempus, quo concipi & naſci potuit proles. 12. Neque ſi proles fuerit concepta ante, modò ſit nata poſt Matrimonium contractum ex marito. 13. Neque ſi proles reperiatur expoſita. Ratio horum omnium eſt favor prolis, propter quem Jura volunt in dictis caſibus eam haberi pro legitima. *c. 14. h. t. l. 11. C. de Natural. lib.* Adde, quòd nulli debeat alterius factum nocere. *l. 155. ff. de R. J.* niſi nempe lex aliter diſponat. Ulteriùs

6 Probantur ſingula membra, & quidem prima quinque colliguntur ex *c. 2. h. t.* item ex *c. 3. §. ſiquis. de clandeſt. deſſonſ.* ubi pro illegitimis declarantur, qui nati ſunt ex Matrimonio etiam ignoranter propter occultum Impedimentum invalidè contracto, ſi vel clandeſtinè, vel contra ſpeciale interdictum Eccleſiæ fuit contractum, vel, ſi non clandeſtinè, ſaltem cum ſcientia impedimenti ex utraque parte: ergo à contrario erunt legitimi, qui nati ſunt ex Matrimonio, quod quidem eſt tantùm putatitium, & ob occultum impedimentum invalidè contractum, at in facie Eccleſiæ, præmiſſis denuntiationibus, nemine interdicente, & cum ignorantia ſeu bona fide unius partis; ſive dein hæc ignorantia vel error fuerit *Facti*, utì ſi contrahentes ignoraverint ſe conſanguineos in quarto gradu, ſive *Juris*, ut, ſi id quidem ſciverint, putârint tamen, hanc conſanguinitatem non obſtare Matrimonio; quia agitur de favore prolis, & *c. 2. 9. 14. h. t.* non faciunt diſcrimen. Membrum 6. ſumitur ex *c. 2. 14. citt. & l. 7. ff. de ſtatu hom.* ob favorem prolis, propter quem in dubio præſumitur etiam potiùs ignorantia quàm ſcientia impedimenti in parentibus. 7. Exinde conſtat, quia dubium, etiam practicum, de valore ſuperveniens non facit, ut Matrimonium non bona fide ſit priùs initum, aut copula, per quam proles eſt concepta, non ſit bona fide & absque peccato exercita: ergo

go nec facit, ut proles habenda sit pro illegitima. 8. Ex eo, quia dubium speculativum non tollit bonam fidem, si adhibitâ diligentiâ & inquisitione debita non potuit deponi, & certitudo haberi de carentia impedimenti; quia dubitans taliter & ignorans æquiparantur. per *l.* 15. *ff. qui testam. fac. l.* 22. §. 2. *C. de furtis.* si autem parentes non adhibitâ diligentiâ debita ad cognoscendum impedimentum contraxissent & consummássent Matrimonium, vel cum dubio practico priùs non deposito, proles foret illegitima; quia in priori casu foret ignorantia affectata, in posteriori peccatum, adeóque mala fides: sed tam ignorantia affectata, quam mala fides facit prolem illegitimam. *c.* 3. *cit.* 9. Ex *c.* 2. *cit.* ubi liberi pronuntiantur legitimi, qui post litem quidem motam, at *concepti fuerant ante latam sententiam.* Ratio, quia pendente lite conjuges sunt adhuc in possessione, ac bona fide. 10. Ex *l. Septimo* 12. *ff. de statu hom. l.* 3. §. *fin. ff. de suis & legit. ac Novell.* 39. *c.* 2. Consonat *c.* 14. *cit.* quia *in dubiis semper benigniora præferenda sunt. l.* 56. *ff. de R. J.* præsertim in causa favorabili, utì est prolium; cùm talibus temporibus nasci quandoque proles ex legitimo concubitu possit juxta Medicos: modò aliunde non constet de opposito, v.g. ex impotentia vel absentia mariti. 11. Ex *l.* 6. *ff. de his, qui sui vel alien. jur.* quia præsumptio, quæ stat pro legitimitate prolis, est favorabilior & benignior, atque ideo præferenda. per *c.* 2. *de R. J.* nec obstat, etsi mater asserat, hanc vel illam prolem ex adulterio à se esse conceptam, utì notat communis DD. quia confessio matris sibi quidem, non verò alteri nocere potest. 12. Ex claro textu *l.* 11. *cit.* Id quod procedit, licèt proles mox altero post nuptias die nasceretur; quia in favorem prolis semper attenditur illud tempus, quod ipsi utilius est. per *l.* 7. *cit.* 13. Patebit magis ex *Tit. de Languidis & Expositis in lib. IV.*

Oppones 1. Liberi, ex Matrimonio tantùm putatitio 7
nati,

nati, revera ex fornicatione ſunt nati : ergo non poſſunt haberi pro legitimè natis. 2. In *c. 3. cit.* ſolùm fit mentio *de gradu prohibito* : ergo pro illegitimis habendi ſunt illi tantùm, quorum parentes clandeſtinè aut contra interdictum Eccleſiæ contraxerunt Matrimonium ratione conſanguinitatis vel affinitatis invalidum, non verò ratione alterius impedimenti : ergo ſi cum alio impedimento contraxerunt, licèt ſine præviis denuntiationibus &c. tamen proles erunt legitimæ. 3. Error *Juris* æquiparatur ſcientiæ & malæ fidei. per *c. 82. de R. J. in 6.* Et hinc non excuſat, ſaltem eum, qui certat de lucro captando. *l. 7. 8. 9. ff. de J. & F. J.* ℞. ad. 1. *N. Conſ.* eſſe vel dici legitimè natum non eſt effectus Juris Naturalis, ſed Legis Humanæ, quæ quorundam nativitatem approbat, eísque certa tribuit jura, quæ aliis negat. Ad 2. *Gradus prohibitus* per modum exempli & declarationis ibi ponitur, non ad reſtringendam diſpoſitionem ad impedimentum conſanguinitatis vel affinitatis tantùm ; quia textus initio & in fine generaliter prohibet Matrimonium clandeſtinè contrahi ex ea ratione, ne impedimenta (qualiacunque fuerint) maneant abſcondita. Ita ſentit communior cum Sanch. Covarruv. Barb. *in c. 3. cit. n.* 13. contra Goffredum, Pontium, Zabarell. Ad 3. Error & ignorantia Juris æquiparatur ſcientiæ & non excuſat, reſpectu illius, qui operatur cum tali errore aut ignorantia, & in quo non toleratur talis error vel ignorantia ; non verò reſpectu tertii : quamvis igitur noceat parentibus, ut propterea, ſaltem in foro externo, ſint culpabiles, non tamen nocet prolibus, quibus non alia ignorantia, niſi affectata, parentum nocet juxta clarum textum *c. 3. cit.* ibi : *cùm non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur.* Deinde proles non tam de lucrò, quàm de damno, quod ex illegitimis natalibus ei immineret, avertendò certat.

§ Quæres, quis ſit Judex competens, Eccleſiaſticus an Sæcularis, in cauſa legitimitatis & natalium? ℞. Eccleſiaſti-

fictitius privativè. *c. 5. & 7. h. t.* sive dein principaliter sive incidenter quæstio super natalibus deducatur in Judicium; quia est accessoriè annexa Matrimonio, quod est unum ex Sacramentis, & causa spiritualis; dependet enim ejus decisio ex Matrimonii valore vero vel putatitio, ac legitimo illius contractu.

Dico 2. Proles Naturalis, seu concepta & nata ex pa- 9
rentibus solutis, sive nec Matrimonio alio, nec voto solenni (nec alio impedimento dirimente ligatis) legitimatur per subsequens Matrimonium verum, etiam mediatum, & Ratum tantùm, quod postea ejus parentes contrahunt, & quidem plenissimè quoad effectus Civiles & Ecclesiasticos, excepta Dignitate Cardinalitia. Textus & DD. *in c. 6. eod. & l. 10. 11, C. de Natural. lib.* concordante praxi, vi cujus taliter natis dari consueverunt litteræ natalitiæ, Gebuhrts-Brieff, quòd ex legitimo thoro nati sint; possúntque vocari *legitimè nati.* Dixi 1. *Naturalis* tam secundùm sensum Civilem, quando proles ex concubina (imò etiam ex meretrice) est suscepta, quàm Canonicum, quando ex fornicatione simplici; quia praxis politica sequitur in hoc Jus Canonicum. Spuria in sensu Canonico accepta non legitimatur per subsequens Matrimonium, ut habet communis ex *c. 6. cit.* 2. *Per subsequens Matrimonium*, h. e. quod contrahitur nata jam prole; nam si solùm concepta foret ante, at post illud (licèt putativum duntaxat) nata, non legitimaretur, sed esset legitimè nata, adeóque per se jam legitima; quia Matrimonium retrotrahitur, & statim ab initio exstitisse reputatur, 3. *Verum;* nam per putatitium & invalidum, licèt bona fide contractum, legitimari non videtur Abbati, Covarruviæ, Fachinæo, Molin. Zœsio, Engel, Reiffenstuel, & aliis, partim quia, quod de Jure nullum est, nullum producit effectum. *l. 4. §. 6. ff. de re jud.* partim quia in *c. 6. cit.* vis legitimandi prolem naturalem tribuitur Matrimonio, non bonæ fidei contrahentium: per Matrimo-

nium

nium verò absolutè prolatum intelligitur verum Matrimonium. *arg. l. 69. ff. de Legat. 3.* Dissentiunt quoad hoc membrum Suar. Sanch. Pont. Molin. Sæcularis, Canis. Gonzal. Palao, Pirh. Schmier &c. 4. *Etiam mediatum*, si nempe aliud Matrimonium intermediet, ut, si Titius, qui ex Bertha soluta sustulit aliquos liberos, postea Matrimonium contrahat cum Mævia, & hac mortua primùm cum Bertha. Ratio, quia Matrimonium secundum ac mediatum est verum Matrimonium, & in Jure Canonico non odiosum: ergo, præsertim cùm agatur de favore prolis, æquè habebit vim legitimandi, atque primum. 5. *Et Ratum tantùm*, propter eandem rationem, & Ecclesiæ praxim, quæ moribundis, qui nunquam consummabunt Matrimonium, dat licentiam ducendi suas concubinas ad legitimandos liberos. 6. *Quod postea ejus parentes contrahunt*, scilicet inter se; non enim sufficit, si Titius, qui ex Bertha sustulit liberos, Matrimonium contrahat cum tertia, v. g. Mævia, & nunquam cum Bertha. 7. *Et quidem plenissimè &c.* adeóque talis proles sit capax non modò SS. Ordinum, Beneficiorum, Officiorum, & Dignitatum Ecclesiasticarum, verùm etiam juris succedendi in bonis omnibus parentum, in feudo, emphytevsi, fideicommisso, Majoratu, primogenitura, item nobilitatis & insignium paternorum &c. quia Matrimonium fictione Juris retrotrahitur ad tempus conceptionis, & sic æquiparatur per omnia talis proles legitimè natis, ita ut in primogenitura præferatur postea in Matrimonio conceptis & natis. Sensus & praxis communis.

Utrùm verò per subsequens Matrimonium mediatũ legitimatus filius præferatur in primogenitura fratribus, qui quidem post ipsum nati sunt, sed antequam illius parentes inter se contraxerunt Matrimonium, ut si Titius, qui ex Bertha genuit Caium, pòst verò cum Mævia contraxit Matrimonium, & ex ea genuit filios, hac autem mortua primùm duxit Bertham, ingens est controversia. Affirmant

firmant valde probaliter Felin. Covar. Pont. P. Wiestner, P. Schmalzgrueber *h. t. n. 90.* quia Matrimonium subsequens in favorem tam ipsius Matrimonii quàm prolis retrotrahitur fictione Juris ad tempus, quo Caius conceptus aut natus est. Negant non improbabiliter Molin. Gail. Gonzal. *in c. 1. h. t. n. 9.* & alii; quia legitimè natis, antequam Caius per subsequens Matrimonium legitimaretur, jam fuit jus quæsitum ad primogenituram; & eorum nativitas, quà legitima, quæ requiritur ad prælationem in primogenitura, citiùs dabatur. Sed priores Auctores negabunt, jus absolutè quæsitum esse priùs legitimè natis, sed solùm sub conditione, nisi priùs natus postea per subsequens Matrimonium legitimetur, per quod fieri dicent, ut talis legitimatus fictione Juris priùs consecutus esse censeatur nativitatem non tantùm, sed etiam legitimitatem. Dixi 8. *Excepta dignitate Cardinalitia,* quam excepit Sixtus V. in quadam *Constit. ann. 1590.* Excipi etiam debent dignitates & officia Sæcularia in illis locis, in quibus vel per statutum vel per consuetudinem ab iisdem excluduntur legitimati, etiam per subsequens Matrimonium.

Oppones 1. In *c. 6. cit.* de liberis per subsequens 10
Matrimonium legitimatis dicitur, *legitimi habeantur:* ergo revera non evadunt legitimi. 2. In *Nov. 74. pr. §. sed & aliud.* negatur, quòd natus ex meretrice per Matrimonium subsequens legitimetur: ergo non omnes naturales in sensu Canonico, & spurii in sensu Civili, per illud legitimantur. 3. In §. *fin. Inst. de Nuptiis. & Nov. 89. c. 8.* pro legitimo Matrimonio in ordine ad legitimandos liberos non habetur, quod contrahitur cum concubina sine Instrumentis nuptialibus seu dotalibus: ergo naturales in sensu Civili non legitimantur per Matrimonium secundùm leges Canonicas contractum. 4. Proles censetur legitima, quæ nascitur ex Matrimonio putatitio. *c. 2. & 14. h. t.* ergo etiam censetur legitimata per Matrimonium putatitium, & per hoc non

minùs legitimatio, quàm legitimitas acquiritur. Confirmatur: ideo proles censetur legitima ex Matrimonio putatitio orta, quia Jus specialiter vult favere proli : sed hæc ratio etam pugnat in legitimatione, quam Jus tribuit Matrimonio subsequenti : ergo. R. ad 1. Si est sermo de liberis pro eo tempore, quo nondum est secutum Matrimonium, omnino non sunt legitimi, nec pro legitimis habendi : si verò pro eo tempore, quo illud jam est secutum, non quidem in omni rigore possunt dici legitimi, bene tamen fictione Juris, ita ut omnia verè legitimorum jura omnino participent. Nec te moveat verbum *habeantur*, quia prolatum est à conditore Juris, qui potuit defectum natalium verè omnimodéque tollere ; quod verbum hìc idem sonat, ac verbum *sint* legitimi. Ad 2. Jus Civile in hac materia spirituali non est attendendum. Deinde ibi sermo est de casu, quo mortua est concubina (non meretrix) antequam Matrimonium legitimum, quod meditabatur vir, cum illa fuerit contractum, adeóque Matrimoniô non secutô. Deinde si de tali prole meretricia sermo foret, intelligendũ id esset de dubia, an ex illo nata sit, qui postea meretricem duxit, an ex alio viro, soluto vel conjugato : talis fortè non legitimatur per subsequens Matrimonium. Ad 3. Sanctio Juris Civilis in hac materia, utì notavimus, nihil habet roboris. Deinde nec Jus Civile ad valorem Matrimonii (adeóque nec ad legitimationem prolis) requirit Instrumenta dotalia. *Nov. 74. cit. c.* 4. sed tantùm ut constare possit faciliùs de eo contracto, & legitimatione prolium, ita ut iis non erectis præsumeretur simulatio, & continuatio concubinatûs. Atque hoc solum volunt *Nov. 89. & §. fin. citt.* Unde consuetudo in foro etiam Civili nulla requirit Instrumenta dotalia ad legitimationem, utì nec ad valorem Matrimonii. Ad 4. *N. Conf.* quia illud prius est expressum in Jure, non hoc posterius, adeóque quoad istud procedi debet secundùm alia Jura ; secundùm quæ, quod nullum est, nullum parit effectum, & verba sunt accipi-

cipienda in propria significatione, ut adeò per Matrimonium non veniat putatitium, sed verum. Ad Confirmat. *N. Causalem,* quòd ideo tantùm, sed partim quia agitur de favore prolis, &, quod principalis est causa, quia simul Jus ita dispositit de legitimitate: non verò sic dispositisse reperitur de legitimatione.

Quæres 1. An sufficiat ad prolem legitimandam per subsequens Matrimonium, si parentes, quod illud postea contrahunt, aliquo quidem tempore, vel conceptæ vel natæ prolis, fuerint habiles ad Matrimonium, alterutro autem inhabiles propter intercedens impedimentum? 2. An ad hanc legitimationem necessarius sit consensus ipsius legitimandi, vel liberorum ex iisdem parentibus constante Matrimonio natorum? 3. An, sicut filius per subsequens Matrimonium patris, ita & nepos per subsequens Matrimonium avi legitimetur? R. ad 1. Sufficit probabiliùs, ut docet Sanch. Pont. Barb. Palao &c. contra sat multos & graves DD. Desumitur ex *Nov. 89. c. 8. cit.* ubi in fine sic dicit Imperator: *tempus illud valere magis præcipimus, quod utilius sit nascenti.* item ex *l. 11. C. de Natural. lib.* quæ generaliter sic pronuntiat: *in quæstionibus, in quibus de statu liberorum est dubitatio, non conceptionis* (si istud minùs faveat proli) *sed partûs tempus inspiciatur: & hoc favore liberorum.* Ergo secundùm Jura illud tempus attenditur, quod liberis est favorabilius: ergo pro naturalibus, & legitimari aptis per subsequens Matrimonium (non pro spuriis) habendi sunt, si tempore conceptionis potuit inter parentes consistere Matrimonium, licèt fortè propter superveniens impedimentum affinitatis &c. non ampliùs potuerit tempore nativitatis: ac vice versa, si tempore conceptionis parentes non fuerunt habiles ad Matrimonium inter se, quia v. g. consanguinei, vel unus erat conjugatus, fuerunt autem postea tempore nativitatis, quia v. g. impedimentum consanguinitatis per dispensationem, impedimentum ligaminis per mortem conjugis &c. interea est sublatum. Ratio, quia

hoc eſt liberis favorabilius & utilius. Oppones. In *c. 6. cit.* habetur, quòd, *ſi vir vivente uxore ſua aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit, licèt poſt mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus ſpurius erit filius:* ergo, ſi proles eſt concepta tempore, quo Matrimonium non potuit conſiſtere inter parentes, licèt potuerit tempore nativitatis, ſpuria eſt, & non legitimatur per Matrimonium. R. *N. Conſ.* quia textus eſt intelligendus de tali prole, quæ non tantùm concepta eſt per adulterium, ſed etiam nata tempore, quo vivebat adhuc prior uxor; id enim indicat verbum *ſuſceperit*, quod dicit nativitatem prolis.

12 Ad 2. quæſitum R. negativè; quia Legitimatio hæc abſolutè tribuitur Matrimonio, & eſt favor publicus, cui privatorum contradictio aut renuntiatio non præjudicat. *c. 12. de for. comp. l. 38. ff. de Pactis.* Si tamen legitimandus ipſe jam eſſet tantæ ætatis, ut conſentire vel diſſentire poſſet, ac revera diſſentiret, legitimari quidem crederem propter *c. 6. cit.* non tamen ſubjici patriæ poteſtati, cui aliàs liberi legitimi ſubſunt; quia Jus Civile filios naturales invitos non permittit redigi in patriam poteſtatem. *l. fin. ff. de his, qui ſui vel alien. Nov. cit. c. 11.* quod à Jure Canonico non videtur eſſe correctum per hoc, quòd ſtatuat eos legitimari, cùm legitimatio etiam absque patria poteſtate poſſit ſubſiſtere. *P.* Schmier *de Sponſal. p. 2. c. 3. n. 92.* Oppones 1. Invito non debet obtrudi beneficium. *l. 69. ff. de R. J.* ſed legitimatio eſt beneficium: ergo invito legitimando non debet obtrudi, nec Jura tribui volunt. 2. Per legitimationem filii naturalis creatur præjudicium cœteris liberis legitimè natis in ſucceſſione hæreditaria: ergo horum requiritur conſenſus; cùm nemo invitus jure ſuo privari vel minui debeat. R. ad 1. Regula procedit de caſu, quo beneficii acceptatio pendet ab eo, cui confertur, aliàs non: ſic ſiquis pro invito debitore ſolvit, iſte liberatur à debito. *l. 23. ff. de Solut.* Ad 2. *N. Ant.* vel

diſt.

Digitized by Google

dist. creatur præjudicium, h. e. cœteris minuitur indè hæreditas justè. *C. Ant.* injustè. *N. Ant. & Conf.* cœteris liberis cum exclusione naturalis filii de Jure non debetur hæreditas parentum absolutè, sed solùm conditionatè, nisi nempe naturalis per Matrimoniũ legitimetur.

Ad 3. quæsitum ℟. affirmativè. Casus, in quo id contingere posset, foret iste: Sempronius ex Bertha sus- 13
tulit filium naturalem, nempe Caium: Caius, antequam Sempronius ducat Bertham, ex Mævia sibi Matrimoniô juncta suscipit filium, nempe Seium, ac moritur: post mortem Caij primùm Sempronius ducit Bertham. In hoc casu Seium tanquam nepotem Sempronii avi per hujus Matrimonium cum Bertha avia legitimari ajo; quia Matrimonium hoc fictione Juris retrotrahitur ad tempus, quo Caius pater Seij fuit conceptus; cùm autem Caius pater, utpote jam mortuus, legitimari quoad se effectivè non possit, legitimatur filius ipsius, Sempronii nepos: si enim Sempronius vivente Caio duxisset Bertham, Caius, & simul hujus filius Seius, fuissent legitimati: cur ergo Caiô mortuô privetur Seius beneficiô legitimationis? Oppones 1. Legitimatio filii est fundamentum legitimationis nepotis: ergo, si filius, utpote jam mortuus, non fuit legitimatus, neque nepos poterit legitimari per Matrimonium avi. 2. Nihil prodest nepoti legitimatio hæc per Matrimonium avi, cùm ipse, uti ponitur, sit natus ex legitimo thoro: ergo non debet adstrui. ℟. ad 1. *N. Ant.* nam non legitimatio filii, sed Matrimonium inter avum & aviam, est fundamentum legitimationis respectu nepotis. Ad 2. iterum *N. Ant.* prodest enim ad hoc, ut nepos possit succedere avo, quod non potuisset, si non præcessisset legitimatio hæc, æquè parùm, ac pater suus, si supervixisset, succedere seclusô Matrimoniô, inter avum & aviam contractô, potuisset; cùm nepos totum suum jus suitatis respectu avi habeat à patre.

Dico 3. Alter modus legitimandi illegitimos est & fit 14

per Reſcriptum Principis, nihilque eſt aliud, quàm actus gratioſus, quo vel ipſe Princeps, vel alius ex poteſtate ad id ſibi facta à Principe, aliquem ſuæ jurisdictionis, qui illegitimè natus eſt, reſtituit natalibus quoad certos effectus. *Text. & DD. in c. 13. h. t. & Nov. 89. c. 9.* Differunt hi duo modi, per ſubſequens Matrimonium & per Reſcriptum Principis, in multis. 1. Prior eſt remedium ordinarium, poſterior extraordinarium, h. e. ſolùm tunc habet locum, quando legitimatio per ſubſequens Matrimonium fieri nequit. *Nov. 74. c. 1. & Nov. 89. c. 9. cit.* quamvis Princeps abſolutè, ſi uti vellet (quod tamen non præſumitur, niſi id exprimat) plenitudine poteſtatis, legitimare non prohibeatur, licèt mater in uxorem duci poſſet. 2. Prior ad ſolos liberos naturales, poſterior non tantùm ad hos, ſed etiam ad ſpurios & ex damnato coitu ortos ſe extendit, ut habet uſus noſtræ Germaniæ. 3. Prior non requirit ullam ſupplicationem, poſterior non conceditur de Jure, niſi pater illegitimi libello ſupplici petat, vel patre jam mortuo ipſe illegitimus, probans ex teſtamento patris, eum legitimationem deſiderâſſe. *Nov. 74. c. 2. Nov. 89. cit. c. 9. & 10.* Sed hodie vi conſuetudinis ſufficit ſimplex inſtantia ſolius illegitimi. 4. Prior valet, licèt exſtent liberi legitimi, iisque contradicentibus, poſterior autem non valet exſtantibus liberis legitimis, ne his præjudicium creetur in ſucceſſione potiſſimùm. *Nov. 74. cit. c. 1. 2.* niſi Princeps uti velit plenitudine poteſtatis, quod exprimere debet, nec facere cenſetur in dubio: neque valet, ſi contradicant fratres legitimi. *Nov. 89. cit. c. 11.* Sufficit tamen eorum conſenſus tacitus, qui ex ſilentio colligitur. 5. Prior non exigit ullam ſubjectionem, poſterior requirit, ut legitimandus ſit ſubjectus & ſub jurisdictione illius, qui legitimat. *c. 13. cit.* quia talis legitimatio eſt actus jurisdictionis voluntariæ. 6. Prior fit etiam diſſentiente legitimando, non verò poſterior. Denique 7. Prior eſt longè plenior & univerſa-

lior

ſior quoad effectum, cùm in utroque foro, tam Canonico quàm Politico, legitimato tribuat omnia jura (excepta capacitate ad Cardinalatum) quæ competunt legitimè natis (quibus per omnia æquiparatur) atque vim ſuam habet, licèt primùm poſtea ſuperveniant liberi legitimi: econtra poſterior ſolùm tollit illas inhabilitates, quas Princeps, vel ejus delegatus, intendit tollere, & tantùm pro foro Canonico, ſi Papa, ac pro foro tantùm Civili, ſi Princeps Sæcularis ſit legitimans, ac inſuper hujus legitimatio revocatur quoad ſucceſſionem paternam, ſi patri priùs legitimos liberos non habenti ex poſtfacto tales naſcantur.

Dico 4. Papa, & quidem ſolus, legitimare poteſt ad 15 effectus Canonicos, uti eſt habilitas ad Ordines Eccleſiaſticos, & capacitas ad honores, dignitates, officia, & beneficia Eccleſiaſtica: non tamen ad effectus Civiles extra ſuum territorium temporale, ſaltem regulariter & directè. Communis & certa ſatis ex *c. 13. h.t.* quia inhabilitas ad Ordines & alia prædicta à Jure Canonico eſt introducta, quod ſolus Papa relaxare poteſt; quia verò in cauſa merè temporali peccatum non concernente, qualis eſt habilitas ad ſucceſſiones hæreditarias, officia politica, & ſimilia à Jure Civili introducta circa illegitimos, per ſe & directè nullam habet Papa jurisdictionem, neque poteſtatem in Jus Civile, ideo quoad hos effectus nihil quoque poteſt circa illegitimos extra ſuam ditionem temporalem, ſaltem, uti dixi, *regulariter*, & *directè*; nam in caſu extraordinario, & cauſa valde ardua & neceſſitate alicujus Regni vel Provinciæ, periculum Religionis concernente, Papa vi generalis poteſtatis, ad gubernandam Eccleſiam à Chriſto acceptæ, etiam ad ſucceſſionem temporalem &c. legitimare valet. *c. 13. cit.* ibi: *quod non ſolùm in Eccleſiæ patrimonio* (territorio temporali) *ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem, verùm etiam in aliis regionibus, certis cauſis inſpectis, temporalem jurisdictionem caſualiter exerce-*

ercemus. Quid autem possit *indirectè*, dispensando in radice Matrimonii, statim dicemus. Prius notandum, quòd dixerim, *& quidem solus*, quod intellige, nisi aliis dederit facultatem, uti dare solet Legatis Apostolicis, & quandoque etiam Protonotariis: sed hi nihil valent ultra tenorem concessionis, qui proinde inspiciendus est.

16 Oppones 1. Si Papa aliquem legitimat per Rescriptum, talis non censetur habilis ad Episcopatum. per *c. 7. pr. de Elect.* neque ad Canonicatus Germaniæ, uti notant DD. ergo neque Papa quoad omnes effectus Juris Canonici legitimare potest. 2. Episcopus (& Sede vacante Capitulum) potest illegitimos admittere ad Ordines Minores, & Beneficia simplicia. *c. 1. de filiis presbyt. in 6.* ergo non solus Papa, sed & alii obtinent de Jure Communi potestatem legitimandi. R. ad 1. non quidem censetur esse habilis taliter legitimatus ad Episcopatum, sed quia ipse Pontifex id noluit; potest tamen & in hoc jure dispensare, ac, si velit, ad Episcopatum etiam reddere habilem. Ad Canonicatus Germaniæ non sunt habiles taliter legitimati, quia obstant Statuta specialia, quæ omnino observari debent, nisi & his, uti absolutè posset, Papa derogare vellet. Ad 2. Illa admissio non est propriè dicta legitimatio, sed potiùs dispensatio, in hoc puncto Episcopis concessa; cùm reliquos legitimationis effectus non habeat.

17 Quæres, an Papa, dispensando in radice Matrimonii, possit suæ jurisdictioni temporali non subjectos legitimare indirectè ad successiones hæreditarias, & alios effectus Juris Civilis? Antequam respondeam, observo, tunc censeri dispensationē fieri *in radice Matrimonii*, quando summus Pontifex post Matrimonium duorum invalidè contractum propter impedimentum dirimens Juris Ecclesiastici, ex quo nati sunt liberi illegitimi, non tantùm tollit impedimentum pro nunc, sed etiam pro *tunc*, seu pro tempore, quo Matrimonium est contra-

ctum,

ctum, seu quando ipsum contractum Matrimonialem, & non liberos tantùm, quasi legitimat & authorizat tollendo retro impedimentum, ac si nullum adfuisset tempore contractûs. Jam R. affirmativè cum Sanch. qui *l. 8. d. 7.* latissimè id tradit cum communi aliorum contra Navarr. Molin. & Perez. Probatur 1. omnis illegitimitas liberorum descendit ex illegitimitate Matrimonii: ergo, si Papa potest legitimare ipsum Matrimonium tollendo impedimenta illius retro, ita ut fictione Juris censeatur validè ab initio contractum, hoc ipso liberos facit legitimè natos, & omnem illegitimitatem pro utroque foro, Canonico & Civili, tollit: sed Papa potest ita tollere impedimenta à Jure Ecclesiastico introducta, & quidem etiam retro, atque ad effectus præteritos. per *Clem. un. de Immunit. Eccles.* Prob. 2. Legitimatio liberorum per dispensationem in radice Matrimonii consistit in revocatione Legis Ecclesiasticæ quoad vim irritandi Matrimonium, ex quo proles redduntur illegitimæ: sed potest Papa revocare legem suam pro casu particulari (sicut omnino & universaliter abrogare eandem potest) quoad vim irritandi Matrimonium, ita ut hæc revocatio retrotrahatur ad tempus, quo contractum est Matrimonium, sicut Papa retrotrahit generaliter Matrimonium subsequens, per quod legitimantur proles naturales priùs susceptæ. *c. 6. h. t.* ergo. Id verum est, quòd Papa non censeatur id facere, nisi exprimat formaliter, vel saltem æquivalentibus verbis, præsertim si talis dispensatio cederet in præjudicium liberorum legitimè natorum. Censetur autem dispensare in radice, quando sic dicit: *ex tunc per prius Matrimonium proles susceptæ, vel suscipienda, habeatur pro legitima*; vel, ut aliqui volunt, quando sciens, prolem ex Matrimonio invalido susceptam esse, dispensat, ut parentes in eo permanere possint, vel eis mandat de novo contrahere. Vid. Sanch. *à n. 14.*

Oppones 1. Papa non potest reddere prolem legiti- 18

mam quoad effectus temporales, quæ nata est ex fornicatione, & quando nullum præcessit Mattimonium invalidè contractum, licèt cum parentibus dispensset in impedimento: ergo neque in casu, quo præcessit Matrimonium invalidum; quia Matrimonium invalidum idem est ac nullum. 2. Papa non potest facere, ut Matrimonium invalidè contractum sit legitimum, & non nullum: ergo nec, ut proles censeatur legitimè nata. 3. Gregorius XIII. dicitur denegâsse talem dispensationem in radice Matrimonii, addens, id se non posse, uti rerert Navar. *Cons.* 2. *h. t.* ergo. R. ad 1. *N. Cons. & parit.* quia ubi nullum, nec apparens, Matrimonium præcessit, Papa suam jurisdictionem non exerceret in re sibi subjecta, qualis est Matrimonium, sed circa effectum a solo Jure Civili dependentem; proinde, si id faceret, directè ac principaliter tolleret illegitimitatem quoad effectus Juris Civilis: si verò præcessit Matrimonium, exercet suam jurisdictionem circa Matrimonium, rem spiritualem, & circa legem suam, quam revocat quoad vim irritandi tale Matrimonium pro tempore, quo est contractum. Ad 2. Papa non facit, ut Matrimonium non sit reipsa invalidè contractum, cùm utique factum infectum fieri nequeat, sed revocat legem, qua introductum est impedimentum, ut vim suam exserere non possit invalidandi Matrimonium quoad damna Jure Positivo statuta, quam vim solùm retinet sub conditione non secuturæ dispensationis in radice; vel facit, ut dispensatio retrotrahatur fictione Juris ad initium Matrimonii, prolémque restituit in statum, in quo fuisset, si lex Ecclesiastica impedimentum non statuisset. Ad 3. à plurimis revocatur in dubium hoc assertum Gregorii XIII. si tamen verum sit (nam Navar. in mea editione id non habet) non de defectu potestatis, sed de defectu justæ & sufficientis causæ intelligendum est.

19 Dico 5. Princeps Sæcularis supremus, h. e. Superiorem non recognoscens (uti est Imperator in Imperio, Reges

Reges in suis Regnis) & quidem de Jure Communi solus, legitimare potest ad effectus Civiles tantùm & politicos, uti est successio hæreditaria, officia & dignitates sæculares &c. Sumitur ex *Nov. 89. c. 9. l. 3. ff. de Natal. restit. & c. 13. h. t.* Ratio, quia solus Princeps Sæcularis supremus potestate in Jus Commune præditus est, non autem inferiores, sicut nec isti, nec ille in Jus Ecclesiasticum. *per vulgaria.* Dixi notanter, *de Jure Communi*; nam de consuetudine potestas legitimándi etiam competit Electoribus, Principibus, & aliis Imperii Statibus, pro suis tamen territoriis duntaxat: *Comites* verò *Palatini*, ut vocant, eandem obtinent per privilegium ab Imperatore, sed limitatè ad tenorem Rescripti: quare his legitimare non licet nobiles, neque ad successionem in Majoratibus & Feudis, nec quando adsunt liberi legitimi, si non specialiter sit concessum, & tantùm simpliciter commissa potestas legitimandi. Cœterùm si legitimatio petatur ab ipso Imperatore, supplica debet offerri Judicio Aulico, à quo sibi referri curat Cæsar, & per Cancellariam Imperialem expediri facit. *Capitul. Leopold. art. 44. P. König h.n. 34.*

Quæres, quid exprimi debeat in litteris supplicibus pro legitimatione? R. sequentia. 1. Qualitas illegitimitatis, an proles sit naturalis, vel spuria: si spuria, an adulterina, vel incestuosa &c. 2. Si naturalis sit, an non possit per subsequens Matrimonium legitimari. 3. An simul adsint liberi legitimi, nec ne. 4. Ob quam causam petatur legitimatio.

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

SUMMARIUM

1. 2. Agitur hic de accusatione & impugnatione Matri-

trimonii jam contracti, non primùm contrahendi.

3. 4. *Quinam impugnare & accuſare poſſint jam contractum in ordine ad omnino diſſolvendum.*

5. *Quinam contra-vel pro illo teſtes agere.*

6. *Quanta debeat eſſe probatio accuſantis Matrimonium.*

7. 8. *Judex in cauſa Matrimoniali competens eſt ſolus Eccleſiaſticus, & quis ille.*

1 SCiendum 1. ſicut in priori Titulo de effectu Matrimonii validi, qui eſt legitimitas prolium, fuit ſermo, ita in ſequenti ſermonem fore de effectu Matrimonii invalidi, qui eſt *diſſolutio* Matrimonii & *divortium:* ad quod quia ordinariè neceſſaria eſt auctoritas & ſententia Judicis Eccleſiaſtici, coram quo priùs accuſari conjuges, & denuntiari conjugia, ac impedimenta, cauſæque divortii aut diſſolutionis ritè probari debent; ideo in præſenti Titulo intercalari declaratur, quibus permiſſum *accuſare* conjuges & conjugia, atque *teſtes* ad legitimam probationem agère. Occaſione autem accuſationis & teſtimoniorum, quæ apud legitimum Judicem deponenda ſunt, inquirere oportet, quisnam ſit legitimus *Judex* cauſarum Matrimonialium.

2 Sc. 2. Matrimonium accuſari vel impugnari poſſe, vel antequam contrahatur, vel poſtquam jam eſt contractum. Si impugnetur contrahendum, ſeu antequam contrahatur, certum eſt, id cuilibet, qui novit impedimentum, permiſſum eſſe, imò, ſi contrahere volentes moniti privatim non acquieſcant, & à contrahendo deſiſtere nolint, etiam obligationem incumbere, ut quis vel Parocho, vel Judici Eccleſiaſtico impedimentũ denuntiet, ſi impedimentum probare poſſit, eúmque audiendum, niſi ſit ſuſpectæ fidei, aut ob pecuniam accuſet, vel eam exigat, ut ab accuſatione deſiſtat. *c. 5. h. t.* Verùm de hoc caſu hic non agimus, ſed de accuſatione Matrimonii

nii jam contracti, quæ fieri potest vel ad illud dissolvendum omnino quoad vinculum, vel solùm quoad cohabitationem & thorum, quæ separatio solet vocari *divortium*.

Dico 1. Accusare Matrimonium jam semel contractum, in ordine ad ejus omnimodam dissolutionem quoad vinculum, non promiscuè permittuntur omnes in omni casu, sed attenditur ad qualitatem impedimenti dirimentis, quod allegatur. Communis & certa ex Juribus allegandis. Sic 1. admittuntur soli conjuges, quando allegatur impedimentum impotentiæ. per *can.* 2. *caus.* 33. *q.* 1. *c.* 4. & 5. *de frigid.* quia talibus licitum est cohabitare instar fratris & sororis, si velint. Item quando allegatur impedimentum erroris, metûs, aut defectus consensûs. per *can.* 4. *caus.* 29. *q.* 2. *c.* 2. & *fin. de conjug. servor. c.* 4. *h. t.* quia cessante errore, metu, vel cognito defectu consensûs consentire de novo possunt, suæque actioni renuntiare: id quod feciisse censentur, si acquisitâ notitiâ vel cessante metu liberè exercent copulam conjugalem, & ideo non ampliùs audiuntur. 2. Præ aliis admittuntur parentes, consanguinei, & in horum defectu vicini, quando allegatur impedimentum consanguinitatis, affinitatis ex copula conjugali ortæ, & publicæ honestatis. *can.* 1. 2. 3. *caus.* 35. *q.* 6. *c.* 3. *h. t.* quia meliorem præ aliis horum impedimentorum notitiam habere possunt & solent; modò sint bonæ famæ & non suspectæ fidei. 3. Admittuntur omnes, aliàs accusare non prohibiti, præsertim si eorum interest, quando allegatur aliud, & ab allatis diversum impedimentum quodcunque. Gonzal. *in c. fin. h. t. n.* 3. *cum communi*, & quidem post longissimum tempus, vel etiam post latam jam semel sententiam pro valore Matrimonii, quia nulla præscriptione, etiam immemoriali, tollitur impedimentum: nec sententia in causa Matrimonii transit in rem judicatam. Excipe, nisi conjuges jam sint mortui, & liberi illorum impugnentur tanquam illegitimi; nam hoc 3

casu,

casu, cùm cesset periculum peccati, locum obtinet Jus Commune, vi cujus actiones Civiles quæcunque 30. vel 40. annis, Criminales verò, seu accusationes criminum 20. annorum spatiô extingui solent. Dixi in Assertione, *ad omnimodam dissolutionem*; nam in ordine ad divortium à thoro & cohabitatione admittitur solus conjunx, & quidem innocens, ad accusandum. per *c. 5. de Procurat. c. 4. de Adult.* quia jus divertendi concessum principaliter est innocenti, qui posset injuriam sibi illatam remittere.

4 Excluduntur autem ab accusando Matrimonio jam contracto 1. qui sunt suspectæ fidei, vel turpis quæstûs causâ id faciunt. *c. 5. cit.* 2. Qui tempore denuntiationum, Matrimonio præmitti solitarum, tacuit, nisi probabile sit, eum ignorâsse denuntiationes propter absentiam suam, infirmitatem &c. vel nisi juret, quòd primùm post denuntiationes & Matrimonium contractum venerit in notitiam impedimenti. *c. fin. h. t.* ubi additur, quòd, qui tempore denuntiationum sibi notarum tacuit impedimentum, istud alteri aperire possit, denuntiandum ab isto altero, qui proin accusare Matrimonium jam contractum potest, & audiri debet. 3. Qui tantùm per litteras absens, & non personaliter præsens, vult accusare, nisi alia adminicula suffragentur. *c. 2. eod.*

5 Dico 2. Testificari contra-vel pro Matrimonio jam contracto generaliter permittuntur omnes, qui accusare, ac præ cœteris illi, qui majorem creduntur habere notitiam, modò alias sint idonei testes, & non sint suspectæ fidei. *arg. c. 13. & 47. de testib. c. 3. h. t.* & non vetant absentes per litteras ferre testimonium. *c. 2. eod.* In Germania tamen praxis concedit Nobilibus & Illustribus personis, ut litteris suô sigillô munitis testimonium ferant. Excipe ipsum accusatorem, cùm nullus simul accusator & testis esse possit. *arg. l. 10. C. de testib.* Siquis tamen non propriè foret accusator, sed denuntiator tantùm impedimenti (qua denuntiatione motus Judex instituit

ſtituit inquiſitionem) etiam denuntians in cauſa hac Matrimoniali poteſt eſſe teſtis. per *can. 5. 7. cauſ. 35. q. 6. c. 4. de teſtib.*

Quæres, quanta requiratur probatio in accuſatione Matrimonii? R. Si agitur ad Matrimonium, quod nondum coaluit, impediendum, ſufficit ſemiplena probatio, v. g. per famam communem inducta, vel per unum teſtem, licèt ſit ſimul denuntiator impedimenti. *c.* 12. *de Sponſal. c.* 2. *de conſang. c.* 4. *cit.* quia per ſemiplenam probationem res jam fit dubia: in dubio autem tutior eſt via tenenda, præſertim in negotio, in quo periculum animarum vertitur graviſſimum, utì hic. Si verò agitur de Matrimonio diſſolvendo, requiritur plena & perfecta probatio, quæ habetur v. g. per duos teſtes juratos, omni exceptione majores. *c.* 1. *eod.* Unde ſi plena probatio & completa non adſit, vel res in puncto Juris ſit controverſa, pro Matrimonii valore, non contra, pronuntiandum. *arg. c. fin. de ſent. & re jud.* partim quia cauſa Matrimonii eſt favorabilis, partim quia poſt contractum de præſenti Matrimonium conjuges ſunt in poſſeſſione, & præſumptio ſtat pro valore. Conjugum, etiam amborum, propriæ confeſſioni de defectu vel delicto, ex quo petunt Matrimonium diſſolvi, non eſt credendum, propter periculum colluſionis. *c. 5. de eo, qui cognovit.* Creditur tamen ipſis, ſi non diſſolutionem, ſed diſpenſationem in impedimento petant. 6

Dico 3. Judex in cauſis Matrimonialibus competens eſt ſolus Eccleſiaſticus. 2. Et quidem Epiſcopus, vel alius Prælatus jurisdictione quaſi-Epiſcopali præditus in aliquo territorio. 3. Capitulum Cathedrale Sede vacante. 4. Et Vicarius Generalis tum Epiſcopi tum Capituli, probabiliùs etiam absque mandato ſpeciali. 5. Vel alius, cui committitur ab Epiſcopo, utì in noſtra Germania ſunt *Officiales*, ſpecialiter ad cauſas Matrimoniales deputati, & in noſtris Diœceſibus diſtincti à Vicariis Generalibus, item Vicarii foranei, quos vocant *Commiſſa-* 7

rii

missarios vel *Archidiaconos*, quibus in amplis Diœcesibus cognitio delegari solet pro prima instantia: qui, quia personæ industria in causa ardua censetur esse electa, vices suas alteri subdelegare nequeunt. *c. fin.* §. *is autem de offic. deleg.* Pars 1. est definita in Trident. *s.* 24. *can.* 12. quia Matrimonium, utpote Sacramentum, est causa spiritualis, cujusmodi ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinet. *c.* 2. 3. *de Judic. c.* 12. *de sent. Excom. in* 6. Ut adeò Judex Sæcularis de ea, licèt incidenter tantùm deducatur in Judicium, cognoscere & pronuntiare non valeat. 2. Et decisa in *c.* 12. *de Excess. Præl.* & in Trid. *s.* 24. *c.* 20. *de ref. Matrim.* 3. Sumitur ex *c.* 11. & 14. *de Major. & obed.* nam Capitulum succedit Episcopo in ejus jurisdictione ordinaria. 4. Sumitur ex *c. fin. de cognat. spirit. & c.* 1. *de frigid.* Covar. Sanch. Barb. & communior contra Rebuff. Ugol. &c. 5. Ex principiis generalibus, vi quorum potestate ordinaria præditus aliis eandem delegare permittitur, item ex praxi Episcoporum. Dixi autem, *in causis Matrimonialibus*, sub quibus non modò intelligitur ipsum Matrimonium, sed etiam eidem connexa. *Clem.* 2. *de Jud.* uti Sponsalia, Matrimonii impedimenta, dispensationes super iisdem, sponsorum & conjugum jura, ac obligationes, benedictio nuptialis, legitimitas prolium. Unde, quando de his, vel de natura, qualitatibus, valore, liceitate, dissolutione, restauratione &c. Sponsalium vel Matrimonii agitur, seu movetur quæstio *Juris* (de quæstione meri *Facti*, an v. g. Matrimonium cum concubina sit aliquando contractum, plurimi aliter sentiunt) cognitio & decisio ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinet. Idque procedit, licèt illa tantùm incidenter & non principaliter essent in Judicium deducta, ita ut Judex Sæcularis, ad quem alia causa temporalis principaliter est deducta, incidenter verò mota quæstio super dictis, istâ supersedere debeat, & ad Judicem Ecclesiasticum

cum illam remittere; non obstante, quòd aliàs causæ connexæ non sint dividendæ.

Oppones 1. Causæ dotis, donationis propter nuptias, alimentorum, & hæreditariæ successionis, sunt causæ Matrimonio connexæ, & tamen pertineut ad forum ac Judicem Sæcularem: ergo etiam Sponsalia, Matrimonii impedimenta, conjugum jura & obligationes &c. licèt sint Matrimonio annexa. 2. Judex Ecclesiasticus potest de causa dotis, alimentorum &c. incidenter in Judicium suum deducta decîdere. *c. 1. qui filii. c. 3. 6. 7. de donat. inter vir.* ergo etiam Sæcularis causam legitimitatis, valoris Matrimonii &c. incidenter ad suum Judicium deductam. R. ad 1. *N. Conſ.* quiá illæ causæ, licèt aliquo modo respiciant Matrimonium, tamen ex se sunt merè temporales, non verò Sponsalia &c. Ad 2. *N. Conſ. & parit.* quia Judex Ecclesiasticus ex se non est incapax jurisdictionis circa causas temporales, bene tamen Laicus quoad causas spirituales. 8

TITULUS XIX.

De Divortijs.

SUMMARIUM.

1. *Quid & quotuplex sit Divortium, & quomodo differat à Repudio.*
2. *Quæ quæstiones hìc complanandæ.*
3. 4. 5. *Matrimonium Christianorum, validè contractum & consummatum, nec propter adulterium conjugis est dissolubile quoad vinculum.*
6. 7. 8. *Ratum verò non modò per Professionem Religiosam, verùm etiam per dispensationem Pontificis solubile est.*

9. *Invalidè contractum dissolvi publicè non debet, nisi auctoritate Judicis Ecclesiastici, & nisi impedimentum sit notorium vel convincenter probatum. Usus autem illius nunquam est licitus scienti nullitatem.*

10. 11. 12. *Quoad thorum & cohabitationem separatio seu divortium licet conjugi innocenti propter adulterium compartis etiam invitæ. An etiam propria auctoritate.*

13. *An teneatur dimittens recipere nocentem, si & ipse ex postfacto committat adulterium.*

14. *An stante divortio liceat alterutri vel utrique conjugi Religionem ingredi.*

15. 16. *Propter quas causas liceat conjugi instituere vel petere separationem seu divortium temporale quoad thorum & cohabitationem à comparte.*

17. *Notanda circa causam adulterij spiritualis, seu hæresis, in quam incidit compars.*

18. *Notanda circa causam sævitiei compartis.*

19. *Cui conjugum stante divortio incumbat obligatio alendi liberos.*

¶ SCiendum 1. Ex accusatione & testificatione, contra Matrimonium instituta, sæpe sequi *Divortium*, quod in genere nihil est aliud, quàm legitima separatio viri à muliere. *l.* 101. *l.* 191. *ff. de V. S.* Dividitur in separationem quoad vinculum Matrimoniale, quæ vocatur *Dissolutio* Matrimonii, quo casu separatis licet alias celebrare nuptias; & in separationem quoad thorum tantùm & cohabitationem, ita ut separatis vivente altera parte non liceat aliud inire Matrimonium, & hæc appellatur sæpius specificè *Divortium*. Utraque rursus subdividitur, posterior quidem in *perpetuam* & *temporalem*, prior in eam, qua dissolvitur Matrimonium *ritè contractum*, quo modo dissolvi potest Matrimonium

Ra-

Ratum, seu copula carnali nondum consummatum, & in eam, qua dissolvitur Matrimonium *invalidè contractum*, seu potiùs declaratur nullum. *Divortium* discrepat à *Repudio* per hoc, quòd illud hodie sponsos de futuro, illud autem sponsos de præsenti concernat. *ll. citt.*

Sc. 2. Hoc loco enucleanda esse sequentia. Imprimis 1. An & quomodo Matrimonium, validè contractum, sit indissolubile quoad vinculum, si jam fuit *Consummatum* per copulam carnalem. 2. An & quomodo solubile sit *Ratum* duntaxat, ritè contractum. 3. Quomodo dissolvendum sit invalidè contractum. Dein 1. Propter quas causas & quomodo liceat instituere *divortium perpetuum*, seu separationem perpetuam quoad thorum & cohabitationem. 2. Propter quas causas & quomodo *divortium temporale* quoad thorum & cohabitationem, seu quoad lectum & tectum, zu Beth und Tisch. 2

Dico 1. Matrimonium Christianorum semel validè contractum, & consummatum, auctoritate Humana in novo Testamento est indissolubile quoad vinculum, licèt intervenerit unius ex conjugibus adulterium. Est de fide, & sic sentiunt omnes Catholici contra Hæreticos nostri temporis. Probatur 1. ex Scriptura S. Christus *Marci 10. v. 11.* dicit: *quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Et: *si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Item *Luc. 16. v. 18. Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Hi textus, quos Ecclesia intelligendos esse declarat de Matrimonio Consummato. *c. 7. de convers. conjug.* absolutè, & præscindendo ab omni causa, etiam adulterii, vinculum Matrimoniale nunquam dissolvi indicant. Concordat *c. 19. Matth. v. 6.* ibi: *quod DEus conjunxit, homo non separet.* Et Apostolus 1. *Cor. 7. v. 10. 11.* ibi: *ijs, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus;* 3

nus, uxorem à viro non discedere: quòdsi discesserit (nempe ex justa causa adulterii a viro commissi, propter quam licet divortium quoad thorum instituere) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari:* ergo nec propter adulteriũ conjugis, quamvis permittatur recessus quoad thorum, licet nubere alteri: ergo manet vinculum Matrimonii. Prob. 2. ex Trid. quod *sess. 24. can. 5.* sic definit: *siquis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.* Et *can. 7. siquis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi &c. anathema sit.* Prob. 3. ex significatione Matrimonii Consummati, quod juxta *Eph. 5.* & communem Catholicorum interpretationem, ex institutione sua significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis humanæ: sed hæc conjunctio est perpetua ac indissolubilis: ergo. Prob. 4. ex absurdo, quod sequeretur, si propter adulterium unius induceretur dissolutio Matrimonii quoad vinculum; sic enim facile foret conjugi, compartem aversanti, se ab illa liberare, vel saltem liberationis dare causam; tantùm enim opus foret fornicari & adulterium committere, propter quod dimissionem sperare, ac fortè haud difficulter impetrare poterit. *arg. c. 7. h. t. f.*

Dixi autem 1. *Christianorum*, quo nomine etiam veniunt Hæretici. Sed & Matrimonium Infidelium, seu non-baptizatorum, uti sunt Judæi, Ethnici, Pagani, Turcæ, defacto est indissolubile, ita ut, postquam Christus *Matth. 19.* sustulit libellum repudij, nec ipsis propter adulterium conjugis permissum sit ampliùs Matrimonium quoad vinculum dissolvere. Unicus tamen casus excipitur, quo Matrimonium *Infidelium*, etiam Consummatum, quoad vinculum dissolvi potest, si nem-

ſi nempe unus eorum ſe convertat ad fidem Catholicam, alter verò, manens in infidelitate, converſo cohabitare nolit, aut non ſine injuria Creatoris; tunc enim converſo licet aliud Matrimonium contrahere, per quem contractum (non verò per baptiſmum ſtatim, nec probabiliùs per ingreſſum Religionis) diſſolvitur prius Matrimonium quoad vinculum propter textum S. Pauli *1. Cor. 7. v. 15.* De quo caſu vide *Tit. I. n. 126. ſeq.* Dixi 2. *Semel validè contractum*; nam de invalidè contracto ſtatuet Aſſertio 3. infrà. 3. *Et Conſummatum*; quid de Rato ſentiendum, aperiet 2. Aſſertio ſequens. 4. *Auctoritate Humana*: nam ex allatis textibus Scripturæ, Tridentini, & ſignificatione Matrimonio Conſummato â Deo indita patet, illud *Jure Divino*, in quo neque conjuges mutuo conſenſu, vel ſuô delictô, neque Pontifex diſpenſando aliquid valet, indiſſolubile eſſe: utrùm etiam *Jure Naturali*, diſputatur. Ego de hac re idem cenſeo, quod de Polygamia *Tit. IV. n. 9. ſeqq.* ſcilicet Jure Naturali *Conditionato*, non Abſoluto, eſſe indiſſolubile; quia ſtatus Matrimonialis Jure Naturali exigit perpetuitatem propter educationem prolium & alias cauſas, ita tamen, ut Deus, penes quem eſt perfectum dominium in corpora humana, poſſit diſpenſare, uti in Antiqua Lege Moyſis diſpenſavit, concedendo libellum Repudij. *5. In Novo Teſtamento*: quia in Lege Moſaica poterat diſſolvi propter unius adulterium, uti dictũ. 6. *Quoad vinculum*; nam quoad thorũ & cohabitationem, manente vinculo, ex multis cauſis ſolubile eſſe oſtendemus Aſſertione 4. ſeq. Per mortem verò unius conjugum utique diſſolvitur etiam quoad viuculum. *Rom. 7. 1. Cor. 7.*

Oppones *1.* Hæretici intendunt contrahere Matri- 4
monium non in ratione Sacramenti, ſed tantùm in ratione contractûs civilis, ac ſolubiliter, quia præſumendi ſunt contrahere velle juxta morem loci & principia ſuæ Fidei, ſecundùm quæ Matrimonium eſt ſolubile quoad

vinculum propter conjugis adulterium, abſentiam, inobedientiam in reddendo debito, mutationem Religionis: ergo Matrimonium hæreticorum Conſummatum non eſt indiſſolubile. 2. Matrimonium Ratum eſt diſſolubile quoad vinculum auctoritate humana: ergo & Conſummatum; cùm ſubſtantialiter non differant; & non concubitus, ſed conſenſus faciat Matrimonium. 3. *In can. uxor. 17. & can. concubuiſt. 23. cauſ. 32. q. 7.* ſatis clarè indicatur ſolubilitas Matrimonij propter adulterium conjugis; nam prior, ubi S. Ambroſius explicat verba S. Pauli ad probandam noſtram aſſertionem allata, ſic habet: *uxor à viro non diſcedat, niſi causâ fornicationis: quòd ſi diſceſſerit, aut maneat innupta, aut reconcilietur viro ſuo: & vir ſimiliter non dimittat uxorem. Ideo non ſubdit de viro, quod de uxore præmiſit, quia viro licet ducere aliam.* Poſterior autem ſic: *concubuiſti cum ſorore uxoris tuæ? ſi feciſti, neutram habeas, & ſi illa, quæ uxor tua fuerit, conſcia ſceleris non fuit, ſi ſe continere non vult, nubat in Domino, cui velit:* ergo relictô virô adulterô poteſt alteri nubere. Simile quid habetur *in can. ſiqua 6. cauſ. 31. q. 1.* ibi: *ſiqua mulier in mortem mariti ſui cum aliis conſiliata ſit, & ipſe vir aliquem illorum ſe defendendo occiderit: ſi probare poteſt ille vir, eam ream eſſe conſilij, poteſt (ut nobis videtur) ipſam uxorem dimittere, & ſi voluerit, aliam ducere.* Confirmatur exemplô Abrahæ, qui repudiavit conjugem Agar. *Gen. 21.* Imò & Principum Chriſtianorum, qui dimiſerunt uxores ſuas, & alias duxerunt: ſic Imperator Conſtantinus quidam Irenem, Carolus Craſſus Richildem &c. dimiſerunt. 4. Ipſe Chriſtus *Matth. 5.* dixit: *omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Idem repetit *Matth. 19. v. 9. quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur:* ergo a contrario, qui ob cauſam fornicationis dimit-

dimittit uxorem, & aliam ducit, non adulterat, non mœchatur. Hos duos textus valde urgent Hæretici noſtri. Confirmant 1. Textus citati non poſſunt intelligi de dimiſſione quoad thorum duntaxat; quia Phariſæi interrogabant Chriſtum de omnimoda diſſolutione Matrimonij, qualis erat permiſſa per Moyſem ex cauſa adulterij. 2. Divortium in Lege Nova eſt ſubrogatum Repudio Legis Moſaicæ: ſed hoc Repudium erat diſſolutio quoad vinculum; ergo.

R. ad 1. Imprimis non ratio Sacramenti, ſed ſignificatio Matrimonij facit illud indiſſolubile; cùm & Ratum Matrimonium ſit Sacramentum, & tamen non diſſolubile. Dein quamvis Hæretici errore particulari intendant contrahere ſolubiliter in ratione contractûs civilis juxta morem patriæ & principia Fidei ſuæ, tamen intentione generali & implicita tamdiu cenſendi ſunt velle contrahere Matrimonium, prout â Chriſto in Lege Nova eſt inſtitutum, & valide inter Chriſtianos iniri poteſt, ut proles ſint legitimæ &c. quamdiu clarè non exprimunt oppoſitum: ſed intentio illa generalis prævalet errori particulari. Si verò illam intentionem generalem & implicitam eo modo contrahendi Matrimonium, prout Chriſtus inſtituit &c. non haberent, vel omnino contrariam, vel expreſsè alligarent ſuum conſenſum in Matrimonium ſuæ particulari intentioni erroneæ, Matrimonium quidem foret ſolubile, vel potiùs non verum & validum, utpote deficiens in aliquo ſubſtantiali, quod Jus Divinum & Naturale requirit; ſed, uti dixi, hoc non eſt præſumendum, niſi hanc extremè malitioſam voluntatem, qua errori ſuo contra inſtitutionem Chriſti alligent ſuum conſenſum, clarè manifeſtent. Hinc etiam Hæreticorum proles habentur pro legitimis. Ad 2. N. *Conſ.* quia Matrimonium Ratum non ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, uti Conſummatum, vel Unionem Hypoſtaticam, ſed tantùm conjunctionem Chriſti cum anima fideli per gratiam ſanctificantem, quæ

conjunctio per peccatum mortale tolli poteſt. Ad 3. Canon *uxor* à multis creditur eſſe ſuppoſititius, & non S. Ambroſii; iſte enim, relatus in *can. 4. cauſ. 32. q. 4. & can. 2. cauſ. 33. q. 2.* apertè agnovit, conjuges ad imparia non judicari, & æqualem eſſe viri ac mulieris rationem, imò *can. 2. cit.* videtur etiam viro negare dimiſſionem uxoris omnimodam: quis ergo credat, eum *can. uxor* marito tribuiſſe licentiam ducendi aliam uxorem propter prioris fornicationem? Si verò ſit genuinus S. Ambroſii textus, credendum, quòd S. Pater non ex ſuo ſenſu, ſed juxta legem Juliam Civilem, quæ tunc erat in uſu, vel potiùs abuſu, & non juxta legem Chriſti locutus ſit. Canon *concubuiſti 23.* accipit ſolutionem ex *can. 22. præced.* ubi neutri conjugum propter alterius adhuc viventis adulterium permittuntur novæ nuptiæ, innocenti autem permittuntur quidem, ſed poſt mortem adulterantis, non verò nocenti: id quod etiam indicatur *in can. 23.* per vocem *ſibe*, quæ ibi ſubjungitur: adulteranti itaque etiam poſt mortem innocentis denegatur novum Matrimonium; adeóque ibi ſtatuitur impedimentum *Criminis impediens*, quod hodie per contrariam conſuetudinem abrogatum eſt. Canon *ſiqua* eſt deſumptus ex Concilio apud Vermerias ſeu Wormatiam celebrato, quod fuit particulare, nec habet auctoritatem Juris. Eſt quidem poſtea translatus in Decretales, & refertur in *c. 1. h.t.* ſed in longè alio ſenſu, & addita hac declaratione: *poſt mortem uxoris*, ſi voluerit, aliam ducere poteſt. Exemplum Abrahæ non eſt ad rem, quia Agar velut uxorem rixoſam dimiſit ſolùm quoad thorum, menſam, & cohabitationem, ut explicat Cornel. à Lapide. Exempla perverſa quorundam Principum Catholicorum æquè parùm, ac modernorum Hæreticorum, Juri Divino prævalere poſſunt. Ad 4. Verba Chriſti *Mat. 5. & 19.* explicationem accipiunt tum ex verbis generaliter & ſine ulla exceptione ab eodem prolatis *Marc. 10. & Luc. 16.* ſuprà allegatis,

tum

tum ex verbis Pauli *1. Cor. 7.* pariter jam recitatis, tum ex conſtanti ac univerſali interpretatione Eccleſiæ,& SS. PP.nominatim S.Auguſtini *de adulterinis conjugiis.l.2.c. 5. & l.50.homiliar.homil.49.*tum ex ipſo ordine verborum, quem Chriſtus adhibuit ;nam initiò permiſit dimiſſionem uxoris *propter fornicationem*, vel *ex cauſa fornicationis*, poſtea verò negavit, propterea Matrimonium diſſolvi, quia poſt verba, *dimiſſam duxerit*, poſuit verbum, *adulterat*, & poſt verba, *aliam duxerit*, ſubjunxit, *mœchatur*, ſeu adulterium committit ; quod verum non eſſet, ſi Chriſtus conceſſiſſet omnimodam diſſolutionem quoad vinculum. Igitur ſolùm permiſit dimitti uxorem quoad thorum propter cauſam fornicationis (qui enim ſine hac dimitteret, *faceret eam mœchari*, h. e. ſine juſta cauſa præberet occaſionem mœchandi) non verò diſſolvi Matrimonium quoad vinculum ratione adulterii. Imò clarè videtur *Matth. c. 19. cit. v. 8.* ſubſtuliſſe libellum Repudii, quod Judæis *propter duritiam cordis* eorum Moyſes indulſerat. Id quod magis confirmatur ex *c. 5. Matth. v. 32.* ibi : *dictum eſt antiquis : quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis : quia omnis, qui dimiſerit uxorem &c.* Ergo Chriſtus aliud ordinavit, quam Moyſes. Ad Confirmat. 1. aio, Judæos duo interrogaſſe, unum, an liceat *dimittere uxores*, alterum an *propter quamcunque cauſam*, id intelligendo de omnimoda diſſolutione : Chriſtus reſpondit ad utrumque, conceſſit *dimiſſionem* perpetuam, ſed tantùm quoad thorum (non omnimodam diſſolutionem, ut aliam poſſint ducere) propter *cauſam fornicationis*, negavit propter quamcunque cauſam : proin conceſſit quidem primum, at non in ſenſu Judæorum, omnimodam diſſolutionem intelligentium, ſed cum reſtrictione ad divortium quoad thorum, tollendo libellum Repudij Moſaici. Ad Confirm. 2. *diſt. Ma.* Divortium quoad thorũ eſt ſubrogatũ libello Repudii Moſaici. *C. Ma.* Divortium quoad vinculum. *N. Ma.* Deniq; in hac cauſa Matrimoniali

curandum non eſt Jus Civile antiquius, quod in *l. 1. 2. & alijs ll. ff. de Divort. & l. 8. C. de Repud.* paſſim permiſit diſſolutionem Matrimonii quoad vinculum vel mutuo conjugum conſenſu, vel per libellum Repudii &c. quarum tamen aliquas ſuſtulit etiam ipſum Jus Civile *Nov. 117. c. 8.*

6 Dico 2. Matrimonium Ratum, ſeu validè quidem contractum, at nondum Conſummatum, quamvis Jure Divino ſit indiſſolubile. 2. Et Jure Naturali conditionato. 3. Per Profeſſionem tamen Religioſam unius conjugum diſſolvitur. 4. Et per diſpenſationem Pontificis. Pars 1. conſtat ex verbis Chriſti: *quod DEus conjunxit, homo non ſeparet. Mat. 19. v. 6.* item ex *c. un. de voto in 6.* ubi Papa ait, *quòd Matrimonii* (loquitur de Rato, per Profeſſionem Religioſam diſſolvendo) *vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite, rerum omnium conditore, ipſum in Paradiſo & in ſtatu innocentiæ inſtituente, unionem & indiſſolubilitatem acceperit.* Concordat Trid. *ſeſſ. 24. pr.* ergo ex inſtitutione divina, & ſic Jure divino, habet indiſſolubilitatem, licèt humana auctoritate, ex Dei conceſſione, diſpenſabilem. 2. Ex natura contractûs conjugalis, ad individuam vitæ conſuetudinem obligantis. Sed hoc Jus Naturale eſt *conditionatum* tantùm, niſi nempe Deus, vel hujus Vicarius ex conceſſa ſibi poteſtate, hoc vinculum ſolverit. 3. Ex *c. un. cit. c. 2. & 7. de converſ. conjug.* maximè ex Trid. quod *ſ. 24. can. 6. de Sacram. Matrim.* ſic definivit: *ſiquis dixerit, Matrimonium Ratum, non conſummatum, per ſolennem Religionis Profeſſionem alterius conjugum non dirimi; anathema ſit:* ergo eſt de fide, per Profeſſionem Religioſam diſſolvi Matrimonium Ratum.

Pars 4. quam cum Suar. Sanch. Bellarm. tenent Canoniſtæ omnes, uno vel altero tantùm diſcrepante, ut teſtatur Pignatell. *to. 1. Conſult. 148. n. 4.* imò & recentiores Theologi paſſim, contra plerosque antiquos,

D. Bo-

D. Bonav. Scotum, Sotum, qui ausus est dicere, nostram sententiam nec probabilitatis umbram habere, & contra Pontium, quem tamen solâ contradicendi libidine nobis adversari ait *cit. Pignat.* ac demum contra P. Reiffenstuel *h. t. n.* 3. Pars, inquam, quarta probatur 1. Certum est de fide, quòd per Professionem Religiosam dissolvatur Matrimonium Ratum: ergo & auctoritate Pontificis in eo dispensantis. *Conf.* suadetur partim ex eo, quia Pontifex dispensare potest in Professione Religiosa, per quam solvitur Matrimonium Ratum; *si enim vinco vincentem te, multò magis vinco te*, ut habet commune axioma: partim ex hoc capite; quia, quòd Professio Religiosa dirimat Matrimonium Ratum, habetur ex Jure Ecclesiastico; nam non dirimit ratione *voti*, adeóque non Jure Naturali aut Divino, sed ratione voti *solennis*, quæ solennitas habetur ex solo Jure Ecclesiastico. *c. un. cit.* ergo à solo Pontifice, hujus Juris conditore: sed quod potest Papa per legem universalem ex concessione Dei, videtur utique etiam per sententiam in casu particulari ex causa justa, seu per dispensationem posse. Prob. 2. Potestas ligandi & solvendi generaliter data Pontifici à Christo *Mat. 16. quodcunque solveris &c.* debet extendi, quantùm potest, & exigit bonum animarum, ac Ecclesiæ recta gubernatio: ergo etiam ad solutionem Matrimonii Rati, quando exigit valde gravis causa, non minùs, ac ad dispensationem in votis, quorum obligatio etiam aliquo modo est Juris Divini & Naturalis. Prob. 3. Exemplis Pontificum, qui sæpissime jam dispensarunt in Matrimonio Rato, uti Gregor. VII. Eugen. & Pius IV. Jul. & Paul. III. Martin. Sixtus, S. Pius, & Paulus V. Clemens & Urbanus VIII. Gregor. XIII. qui undecies una die in Matrimonio Rato dispensasse dicitur à multis apud Clericat. *de Sacram. Matr. dec. 15. n.* 27. *seqq.* Sed asserere tot sanctos Pontifices in re tanti momenti errâsse, prorsus temerarium videtur, & Sedi Apostolicæ injuriosum, præsertim cùm talis error

non

non esset meri *Facti*, sed etiam *Juris*, scilicet super solubilitate Matrimonii, valore & honestate conjugii de novo initi &c.

7 Oppones 1. Matrimonium Ratum est contractus tum ex natura sua, tum ex institutione divina, insolubilis : ergo Jure Naturali & Divino, in quorum neutro dispensare conceditur humanæ potestati ; cùm inferior nihil possit in lege Superioris. 2. Si Papa posset dispensare in Matrimonio Rato, posset hoc vel eatenus, quatenus tale Matrimonium est contractus ; & tunc etiam Princeps Sæcularis in Matrimoniis Infidelium eandem obtineret potestatem, quod utique est falsum : vel quatenus est Sacramentum ; sed hoc repugnat ; cùm de hujus Sacramenti essentia sit esse perpetuum & insolubile. 3. In *c.* 14. *de convers. conjug.* sic rescribit Innoc. III. *Etsi possit non inconsultè videri, quòd, ex quo Matrimonium inter legitimas personas per verba de præsenti contrahitur, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi, ut vivente reliquo alter ad secunda vota transmigret, etiamsi unus fidelium, inter quos est ratum conjugium, fieret hæreticus &c. nisi fortè secus fieret ex revelatione Divina - - Nos tamen nolentes à Prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondêre consulti, antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquô inconsultô, ad Religionem transire, ita quòd reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari : hoc ipsum tibi consulimus observandum &c.* Ergo fatetur Papa, sine revelatione Divina speciali non posse à se dispensari, nec à Prædecessoribus suis fuisse dispensatum. Confirmatur ex *can.* 25. *caus.* 32. *q.* 7. ibi : *hi, qui Matrimonium sani contraxerint, & uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt. Similiter sentiendum de his, qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut à barbaris exsecti fuerint :*

ergo

ergo Nicolaus Papa, qui hoc reſcripſit ad Epiſcopum Moguntinenſem, fatetur, Pontificem nec ex cauſis graviſſimis diſpenſare poſſe in Matrimonio Rato. Similis confeſſio refertur de Innoc. VIII.

R. ad 1. *Diſt. ant.* eſt ex natura & inſtitutione ſua in- 8
ſolubilis auctoritate privata contrahentium, qui alios ſuos contractus mutuo conſenſu diſſolvere alias permittuntur. *C. Ant.* auctoritate publica & quaſi Divinâ, Pontifici tanquam Vicario Chriſti pro certis circumſtantijs conceſsâ. *N. Ant. & ſuppoſitum conſequentis*, quòd in Jure Naturali & Divino, nunquam liceat diſpenſare Pontifici, cujus falſitas patet in Voto. Ad 2. dico, Papam poſſe diſpenſare in Matrimonio Rato, quatenus eſt contractus ex ſe conditionatè tantùm, ſi nempe juſta cauſa non adſit, inſolubilis. Nec indè ſequitur, eandem competere poteſtatem Principibus Sæcularibus in Matrimoniis Infidelium; licèt enim iſta ab illis dependeant *in fieri*, quatenus poſſunt ſtatuere impedimenta Matrimoniorum pro Infidelibus, non tamen *in conſervari* dependent; cùm ex natura & inſtitutione ſua habeant indiſſolubilitatem, ſuppoſitô, quòd aliquando coaluerint; quia ipſis nulla circa hanc data eſt poteſtas à Deo, ſicut Vicario Chriſti, Summo Pontifici. Quatenus verò Matrimonium Ratum eſt Sacramentum, non diſpenſat Pontifex; quia ratio Sacramenti ſtatim tranſiit cum ipſo contractu Matrimoniali; diſpenſat tamen in ejus effectu, ſeu vinculo, quod indè reſultavit: effectus autem Sacramenti, qui non eſt character animæ impreſſus, utique ceſſare poteſt, uti patet in gratia Sacramentali, quæ nimis frequenter amittitur absque ulla mutatione eſſentiali Sacramenti. Cœterùm hoc argumentum probaret, neque per Profeſſionem Religioſam diſſolvi poſſe Matrimonium Ratum. Ad 3. *N. Conſ.* ibi Innoc. III. non aſſerit, aut deciſivè reſolvit, quòd Matrimonium Ratum nullo caſu poſſit diſſolvi, ſed per modum rationis dubitandi proponit, *etſi poſſit videri*; qua tamen ra-

tione

tione non obſtante ibidem decîdit, per Profeſſionem Religioſam Matrimonij Rati vinculum diſſolvi. Dein licèt fortè inſinuaverit, ejusdem diſſolutionem fieri non poſſe propria contrahentium auctoritate; hanc tamen vim tribuit Profeſſioni in Religione approbata ab Eccleſia: ergo eo ipſo etiam declaravit, penes Eccleſiam, conſequenter penes Pontificem, eſſe poteſtatem diſpenſandi; cùm Profeſſio Religioſa illam vim obtinuerit ab eodem Juris Eccleſiaſtici conditore. Malè quoque infertur, a Prædeceſſoribus Pontificibus nunquam tuiſſe diſpenſatum, eò quòd ſoliti ſint conſulere (utì & ipſe Innoc. III. adhibuit verbum *conſulimus*) Profeſſionem Religioſam. Certè Gregorius VII. præceſſit centum & plurìbus annis Innocentium III. & tamen diſpenſavit in Matrimonio Rato teſte Baronio *ad annum Chriſti 1074. n. 23.* Ad Confirm. *Canon 25. cit.* intelligendus eſt de Matrimonio Conſummato, cui ſupervenit amentia &c. unius, eò quòd Matrimonium cenſeatur ordinariè ſtatim conſummari: de Matrimonio autem Conſummato intelliguntur textus, abſolutam Matrimonii indiſſolubilitatem ſtatuentes, utì declaratur *c. 7. de converſ. conjug.* Innocentij VIII. confeſſio, quæ tamen debitè non probatur, denotat non defectum poteſtatis in Pontifice, ſed defectum cauſæ ſufficientis, quæ Innocentio fuit propoſita. Nam ſine gravi cauſa, cujusmodi eſſe cenſentur ſuperveniens lepra, vel impotentia unius conjugum, magna repugnantia parentum, odia, diſſidia familiarum, ſcandalum, periculum vitæ, adulteriorum &c. lapſus in hæreſim, vel ſi una pars conſtanter aſſerat, ſe nunquam conſenſiſſe &c. nec licitè nec validè diſpenſaret Pontifex in Matrimonio Rato, cujus obligatio eſt Juris Divini, & aliquo modo etiam Naturalis. Dein tot Pontificum exempla in eo diſpenſantium plùs utique valet, quàm unius fortè facta confeſſio de carentia poteſtatis, vel exempla aliorum merè negativa: ſicut regulari-

lariter duo teſtes pro affirmativa deponentes plus probant, quàm 100. pro merè negativa.

Dico 3. Matrimonium publicè quidem, ſed invalidè contractum (ſive Ratum ſive Conſummatum ſit) poteſt & debet diſſolvi quoad vinculum, ſeu potiùs declarari nullum, & conjuges ſeparari. 2. At non niſi auctoritate legitimi Judicis Eccleſiaſtici. 3. Et impedimento plenè convincentérque probato. 4. Si impedimentum ſolis conjugibus innoteſcat, nec uti Matrimoniô licet. 5. Nec propria auctoritate ſeparationem inſtituere publicam. 6. Si verò unus eorum duntaxat impedimentum ſciat, debitum conjugale nec reddere, nec petere licitum ipſi eſt, non obſtante, quòd fortè per Cenſuras id facere jubeatur à Judice Eccleſiaſtico. Pars 1. eſt certa ex *c.* 3. *b. t.* & ex ratione, quia aliàs foret periculum perpetuarum fornicationum. Idque procedit, licèt nemo accuſet vel denuntiet Matrimonium ut nullum, modò nullitas ſit notoria vel certa: ſiverò necdum omnino conſtet, ſed tantùm fama volet de nullitate, Judicis eſt inquiſitionem inſtituere. *Gloſſa* communiter recepta in *c. cit. v. ſeu publico.* 2. Patet rurſus ex *eod. c.* 3. Si una pars conjugum ob prætenſam nullitatem ab altera diſcederet propria auctoritate, deberet per Juris media, etiam Cenſuras, compelli ad redeundum ad thori conſortium. Excipe niſi nullitas foret notoria, aut pars diſcedens afferret illius probationes in continenti. *c.* 13. *de Reſtit. Spoliat.* Sed data doctrina procedit pro foro tantùm externo: nam in foro interno ſciens impedimentum adigi non poteſt ad uſum Matrimoni. Cœterùm auctoritas Judicis etiam eſt neceſſaria, licèt nullitas eſſet notoria. 3. Ex *c.* 1. *de conſang. c.* 22. *de teſtib.* Neque credendum eſt ambobus conjugibus, licèt afferant impedimentum, concurrente etiam fama. *c.* 5. *de eo qui cognovit.* Sed de hoc jam *tit. præced.* dictum. 4. Ex *c.* 44. *de Sent. Excom.* & ratione, quia talis uſus eſſet fornicatio, quæ intrinſecè mala eſt, & peccamino-

9

ſa

ſa. 5. Ex *c.* 3. *cit.* debent igitur, ſi impedimentum pro foro externo probare ſufficienter nequeant, vel ob diffamationis periculum non audeant propalare, vel alias nolint revelare, divortium & ſeparationem occultam quoad thorum inſtituere, ac inſtar fratris & ſororis cohabitare. 6. denique ex *c.* 13. & *c.* 44. *citt.* ubi id clarè eſt deciſum, cùm nemo poſſit contra propriam conſcientiam agere. *d. c.* 13. Permiſſum tamen eſt talibus conjugibus, ſi velint, diſpenſationem in impedimento petere juxta dicta §. *ult. Tit. XVI.*

10 Dico 4. Divortium perpetuum quoad thorum & menſam petere vel inſtituere licet conjugi innocenti propter alterius adulterium carnale, conſummatum, formale, ſatis cognitum, & non remiſſum, licèt pars adulterans ſit invita, vel reconciliationem petat. Communis fundata in Jure Naturali, quod permittit, ut fides non ſervetur eam perfidè violanti: in Jure Divino *Matth.* 5. & 19. ut patet ex dictis *n.* 4. 5. atque in Jure Eccleſiaſtico. *c.* 2. 4. 5. 8. *h. t.* Probatur ulteriùs per explicationem Aſſertionis. Siquidem dixi 1. *Perpetuam*, nimirum quoad totam vitam; ſunt enim & aliæ cauſæ inſtituendi divortium, de quibus poſtea, ſolum tamen adulterium præbet cauſam divertendi *perpetuò*, licèt pars nocens reſipuerit. *can.* 8. *cauſ.* 33. *q.* 2. DD. communiſſimè. 2. *Quoad thorum & menſam*, h. e. pars innocens liberatur ab obligatione reddendi debitum conjugale, & cohabitandi. 3. *Petere*, ſcilicet à Judice Eccleſiaſtico, caſu quo adulterium non eſt notorium, vel non certum. *c.* 9. *de Sponſal.* ibi: *nemini licet* (auctoritate propria) *uxorem ſuam ſine manifeſta cauſa fornicationis dimittere.* 4. *Vel inſtituere*, ſcilicet propria auctoritate; & quidem etiam in foro externo, caſu quo adulterium eſt notorium notorietate Juris, vel facti. *c.* 4. *h. t. c.* 9. *cit.* In foro autem interno tantùm, ſi innocenti conſtet moraliter vel phyſicè certò de adulterio compartis, illud tamen coram Judice probare

bare nequit ; quia Matrimonium non aliter obligat ad thorum, nisi sub conditione, si servetur fides conjugalis. per *c. 25. de Jurejur.* ergo, si certò constet, fidem conjugalem per adulterium esse violatam, cessat obligatio, licèt adulterium probari nequeat; nam in foro interno sufficit sola veritas Deo & operanti nota, nec opus est probatione. In foro autem externo, si adulterium nec sit notorium, nec probari in Judicio possit, divortium propria auctoritate instituere prohibet scandalum; & subinde specialis obstat prohibitio Judicis, præter *c. 4. & c. 9. citt. 5. Licet;* non enim tenetur divertere innocens, vel dimittere nocentem. per *c. 25. cit. §. illud;* quia jus divertendi concessum est in favorem innocentis. Excipe, nisi retentio adulteræ vel silentium innocentis causa foret ad continuandum flagitium, vel dissimulatio adulterii alias publici populo præberet scandalum. Et hoc, non plus, evincitur *ex can. 1. 4. 6. caus. 32. q. 1. c. 3. de adult.* & text. *Prov. 18.* ibi: *qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & impius;* quia nempe particeps criminis &c. Sicut autem innocens non tenetur dimittere partem adulteram, ita eandem jam dimissam semper potest repetere, & ista tenetur redire. Intellige, nisi intervenerit mutatio statûs. 6. *Innocenti;* si enim & ipse esset reus adulterii, cessaret jus divertendi; cùm paria delicta, quando agitur civiliter, mutua compensatione tollantur. *c. 2. 4. b. t. c. fin. de adult. l. 39. ff. solutô Matr.* Imò si innocens post jam dimissam adulteram labatur & ipse in idem adulterii delictum, tenetur recipere dimissam, vel ad eam redire. *c. 5. b. t.* Et sic tenent omnes, si priùs separatio & divortium non sit factum per sententiam Judicis. Pariter cessaret jus divertendi, si maritus (vel uxor) dedit consorti ansam adulterandi (*c. 6. de eo, qui cognovit.* quia consentienti non fit injuria) v. g. adulterium suadendo, mandando, in illud consentiendo, non impediendo aut prohibendo;

cùm tamen sciret, & facilè posset impedire, aut si maritus uxorem expellat domo, alimenta subtrahat, per menses & annos neget debitum, ac simul sciat, vel facilè prævidere potuit, eam hoc pacto deduci ad periculum fornicandi. 7. *Alterius*, sive dein maritus, sive uxor, incidat in adulterium; quia æquiparantur in hoc puncto, *c.* 2. *4. 5. h.t.* ac eadem pugnat utrobique ratio, propter quam conceditur divortium, nempe violatio fidei conjugalis.

41 Dixi 8. *Propter adulterium*, qua voce intelligitur copula & commercium carnis tale, quo contra datam fidem conjugalem caro dividitur in aliam vel alium, contra illud *Gen.* 2. *erunt duo in carne una:* unde non tantùm copula naturalis, sed etiam sodomitica & bestialis, uti DD. communiter advertunt, præbet justam divertendi causam. 9. *Carnale*, videlicet ad distinctionem adulterii spiritualis, quod est lapsus in hæresim, propter quem quidem innocenti etiam competit jus divertendi, at per se non perpetuò, sed solùm donec lapsus resipiscat, uti videbimus postea. 10. *Consummatum:* quare in hac materia odiosa non sufficit copula attentata, & non perfecta, multò minùs oscula, amplexus, & tactus libidinosi, aut actus turpes, etiam cum proprii vel alieni corporis pollutione exerciti; quia caro non dividitur in aliam vel alium, nisi per actum consummatum cum alia persona. 11. *Formale*, h. e. scienter & liberè commissum; si enim adulterium foret materiale tantùm, uti contingit, siquis concumbat cum alia, quam bona fide putat suam esse uxorem, vel si uxor, credens vel ex justis causis existimans, maritum suum jam esse mortuum, alteri nubat, aut fornicetur, vel si per violentiam opprimatur ab alio, dimissioni non est locus; quia jus divortii competit propter injuriosam læsionem fidei conjugalis. Utrùm verò uxor, quæ non vim absolutam, sed gravem duntaxat metum passa admittit adulterium, à thoro excludi mereatur per divortium, disputant

tant Auctores: mihi videtur attento rigore repelli posse, quia hæc pœna divortii non est tantùm Juris positivi humani, a qua liberat talis metus, licèt non excuset à culpa, sed est Jure quoque divino statuta. *Matth. 5. & 19.* uti & naturali: ex charitate tamen à viro retinendam censeo condonatâ injuriâ. 12. *Satis cognitum*, h. e. saltem moraliter certò, conjugi innocenti, loquendo de divortio occulto & pro foro interno; vel per legitimam probationem in Judicio ostensum, quando a Judice Ecclesiastico decernitur divortium publicum, & pro foro etiam externo. Cùm verò adulterium sit difficilis probationis, eò quòd occultè sine testibus de visu, sine erectione instrumentorum &c. perpetrari soleat, ideo ad legitimè & sufficienter probandum in Judicio sufficiunt conjecturæ admodum graves, & præsumptiones violentæ, fundatæ in indiciis delicto valde vicinis & plenè probatis. Debent igitur attendi personæ, locus, tempus, & aliæ circumstantiæ. Pro indiciis fundantibus præsumptionem violentam habent DD. si uxor, alias suspecta, deprehendatur sola cum solo, noctu, & in loco ad peccandum apto. Oscula & tactus, uti & litteræ amatoriæ, quamvis in ordine ad divortium non æquiparentur adulterio, & tale propriè dictum non sint, in quibusdam tamen circumstantiis possunt fundare præsumptionem violentam, & sufficere, si non ad condemnationem criminalem, saltem ad divortium faciendum, ut docet Covar. & Palao, & alii DD. ex *c. 12. de Præsumpt.* Vid. Farinac. *in Praxi Crim. de delictis carnis.* Si conjunx quidem satis sciat adulterium conjugis, id tamen in Judicio satis probare nequeat, Judex debet præcipere, ut recipiat adulterantem, eique cohabitet, innocens verò quoad hoc parére, licèt debitum non teneatur reddere. 13. *Et non remissum*, si enim vel expressè, vel tacitè, condonâsset injuriam innocens, non posset dimittere nocentem, imò jam dimissum teneretur recipere. *§. fin. Inst. de injur. l. 11. C. ad L. Jul. de adul-*

ter. Tacitè censetur remittere injuriam, si adulterii commissi conscius liberè ac sponte, absque gravi metu, violentia, præcepto Judicis, copulam carnalem cum parte rea exerceat: si consueta conjugibus signa familiaritatis aut amicitiæ exhibeat, illam amplexando, osculando, tangendo impudicè; aut cum ea jocando, ludendo, ridendo, comedendo &c. imò retinendo in domo, casu quo adulterium est publicum. Sanch. Pirhing, alii. *arg. §. fin. Inst. de Injur. l. 11. citt.* modò non supervenerit novum adulterium post hæc signa reconciliationis exhibita. Si autem post talem reconciliationem innocens committeret adulterium, ipsi non prodesset, quò minùs ab altera parte, cui injuriam condonavit, repelli ac dimitti posset. 14. *Licèt pars adulterans sit invita*: si enim ambo conjuges mutuo consensu vellent abstinere perpetuò à thoro, vel ingredi Religionem, utique id ipsis liceret. *c. 4. & 5. de convers. conjug.* Adeóque etiam hoc casu locum haberet divortium perpetuum, at non altera parte invita: solùm igitur propter adulterium pars altera invita perpetuò repelli vel dimitti potest à thoro. 15. *Vel licèt reconciliationem petat*: adeóque innocens partem dimissam, sive propria auctoritate, sive Judicis, nunquam tenetur ampliùs recipere, eique cohabitare, licèt pœnitens sit, & reconciliationem ardenter ac seriò petat, juxta communissimam; quia per pœnitentiam tollitur quidem culpa coram Deo, non tamen injuria homini illata, & reatus pœnæ à Jure tam divino quàm humano statutæ in perpetuum. Excipe, nisi innocens pateretur periculum incontinentiæ, vel ipse quoque committeret adulterium, licèt occultum tantùm (quo casu non quidem teneretur suum delictum prodere, bene tamen in foro interno redire volentem recipere, & injuriæ condonationem facere, imò reconciliari etiam non petenti: sed pro foro externo id non procedit, licèt ob signa quædam de commisso adulterio suspectus sit, quia liquidum cum illiquido non compensatur. *l. fin.*

C. de

C. de compensat.) vel nisi factô divortiô cognosceret, sententiam divortii ex falsa præsumptione esse latam.

Oppones 1. In *l. 8. §. 3. C. de Repud.* dicitur, uxorem posse dimitti propter actus, qui tantùm præsumptivè sunt adulterium, uti si insciô aut invitô maritô appetat aliena convivia, aut extra domum pernoctet: ergo non propter adulterium consummatum duntaxat. 2. Christus *Matth. 5. & 19.* solùm marito dedit potestatem dimittendi uxorem adulteram: ergo uxori non licet dimittere maritum adulterum, ac ab eo divertere quoad thorum. 3. In *c. 3. h. t.* negatur etiam in casu notorij impedimenti conjugibus separatio propria auctoritate, & absque judicio Ecclesiæ: ergo nec propter adulterium notorium licet conjugi recedere à thoro. Confirm. Nemo sibi in propria causa potest jus dicere: sed hoc facerent conjuges propria auctoritate dimittendo partem adulteram. Adde, quòd Matrimonium auctoritate Ecclesiæ celebratum sit, & ideo eâdem dissolvendum. 4. In *c. 3. de adulter.* sic habetur: *quòdsi mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpe, recipere peccatricem.* Imò, *si vir non receperit, peccat, & magnum peccatum sibi admittit. can. 7. caus.* 34. *q.* 1. ergo innocens tenetur pœnitentem adulterum recipere. R. ad 1. Causa Matrimonij non secundùm Leges Civiles, sed secundùm S. Scripturam & SS. Canones regulanda est, in quibus quia jus divertendi tribuitur in casu *Adulterii*, illud in sensu proprio, quia versamur in materia odiosa, accipiendum est. Ad 2. Christus ideo solùm marito dedit facultatem divertendi, quia de illo solo fuit interrogatus. S. Paulus verò *1. Cor. 7.* eandem potestatem tribuit uxori, si vir prolabatur in adulterium. Idque satis probat ratio, cùm vir æquè violet fidem conjugalem, atque uxor, per adulterium. Ad 3. *N. Conf.* quia in *d. c. 3.* est sermo de dissolutione Matrimonii quoad vinculum propter 12

Digitized by Google

impedimentum dirimens *parentelæ* seu consanguinitatis, non de divortio propter adulterium: rectè autem requiritur auctoritas Judicis in priori casu, ubi agitur de omnimoda dissolutione, utpote majoris momenti: non item in posteriori, ubi per divortium maximè intenditur favor innocentis, pœna autem nocentis solùm secundariò & in consequentiam. Ad *Confirmationem N. Min.* nam divertens propria auctoritate propter notorium vel publicum adulterium non sibi jus dicit, sed utitur jure per SS. Canones, S. Scripturam, & Matrimonii naturam sibi concessô. Id, quod additur, intelligendum est de dissolutione quoad vinculum, vel, si de divortio quoque velis accipi, extende ad casum, quo adulterium non est notorium, divortium tamen pro foro etiam externo instituere cupit innocens. Ad 4. In *c. 3. cit.* per illud *debet* non intelligitur debitum necessitatis, sed honestatis, & quædam decentia exemplô Christi adulteram absolventis & ei ignoscentis. *Can. 7.* exaudiendus est de casu, quo vir ex odio & in vindictam non recipit, non animô utendi jure suo; vel quo adultera exponitur certo incontinentiæ periculo, viro autem ex reconciliatione non grave imminet incommodum; tunc enim charitas obligaret.

13 Quæres 1. an etiam factô per sententiam Judicis, quæ transiit in rem judicatam, divortiô teneatur adulteram dimissam recipere dimittens, si & ipse ex posttacto prolabatur in adulterium? 2. An stante divortio per adulterium inductô liceat uni, vel utrique conjugum, mutare statum, ingrediendo Religionem, vel Ordines Sacros suscipiendo? R. ad 1. Sicut sententia Judicis, qua interveniente factum est divortium ratione adulterij, non præjudicat innocenti, quò minùs possit pro libitu revocare partem dimissam, eò quòd sententia spectet favorem innocentis à legibus ipsi concessum, qui non debet in ejus dispendium retorqueri. *c. 61. de R. J. in 6.* Ita eidem postea in adulterium lapso nihil patrocina-

cinatur, sed tenetur dimissam revocare simulans condonationem, casu quo ejus adulterium est occultum, aut, si sit notorium vel publicum, volentem redire statim recipere, sive jussus sit sive non. Communior, vel saltem verior cum Covarruv, utroque Barbosa, Gonzal &c. contra S. Th. *in 4. d. 35. q. un. art. 6. ad 4.* Panormit. Sanch. Guttierez. & Laym. Ratio est partim, quia sententia Judicis non tribuit jus divertendi, sed à Christo & SS. Canonibus concessum, & adulterio compartis quæsitum declarat, ut publicè uti possit innocens: partim quia jus divertendi sicut à Natura, Christo, & SS. Canonibus non est absolutè concessum, ita nec sententia declarat absolutè esse quæsitum ex adulterio conjugis, sed tantùm conditionatè, nisi nempe & innocens postea pariter violet fidem conjugalem per simile delictum. *arg. c. 4. h. t. c. fin. de adulter.* Oppones 1. quod semel est bene decisum, non est retractandum. *can. 6. caus. 6. q. 4.* ergo. 2. exceptio rei judicatæ semper obstat parti nocenti per sententiam dimissæ. 3. Innocens dimittendo adulteram liberè cessit jure suo: sed cedentibus jure suo non est dandus regressus. *l. 14. §. 9. ff. de Ædilit. Edict.* R. ad 1. *dist. ant.* non est retractandum, si non mutentur circumstantiæ & causæ. *C.* si accedat nova causa &c. *N. Ant. & Conf.* Ad 2. *dist.* eodem modo: nisi accedat nova causa, vel nisi sententia sit tantùm declaratio juris ad divertendum, & non collatio juris. *C.* si accedat nova causa, & sententia tantùm declaravit jus divertendi, non contulit, uti hic. *N.* Ad 3. *N. Ma.* non innocens cessit jure ad thorum, sed dimittendo cœpit uti jure suo, quod habet ad nocentem privandum thoro: sicut autem liberè cœpit uti, ita liberè potest desistere ab usu hujus juris, quamdiu nempe manet innocens: si verò & ipse labatur in adulterium, jus privandi thoro alteram partem perdit, sive prius divortium sit institutum propria sive Judicis auctoritate.

Ad 2. quæsitum R. 1. Innocenti certò licet, etiam in- 14

vito nocente; quia jus habet perpetuò excludendi nocentem. §. 2. Nocenti regulariter non licet, probabiliùs etiamsi divortium auctoritate Judicis institutum sit; nimirum quamdiu est probabilis spes reconciliationis, & innocens invitus; quia ex delicto suo non debet ferre commodum, nec innocenti creare præjudicium posse, ut non ampliùs facultatem habeat revocadi dimissum. Si tamen petat & obtineat licentiam mutandi statum ab innocente: vel si innocens priùs eundem mutavit: vel si nocens jam emendatus sæpius petiit reconciliationem, at frustra, ita ut frequens repulsa spem reconciliationis videatur sustùlisse; non potest innocens rationabiliter esse invitus, si & nocens mutet statum.

15 Dico 5. Divortium temporale quoad thorum & cohabitationem institui à conjuge innocente potest ob sequentes causas. 1. *Ob adulterium spirituale*, seu lapsum unius in hæresim, vel apostasiam omnimodam à fide Christiana. *c. 6. c. 7. h. t.* quia cum hæretico vel apostata commorari satis nec decet, nec tutum est. 2. *Ob periculum animæ*, quando nimirum unus conjuguni instigat alterum ad unum vel plura peccata gravia, uti est sodomia, veneficium, latrocinium, furtum. *can. 5. caus. 28. q. 1. & arg. c. 2. h. t.* quia omni Jure, naturali, divino, & humano licitum est removere periculum ruinæ spiritualis, etiam cum incommodo illius, à quo imminet periculum, & instigatio ad malum. 3. *Ob periculum corporis*, quod ex unius morbo contagioso, v. g. lepra, lue venerea &c. imminet parti sanæ. *c. 1. de conjug. leprosorum*, ad quem Titulum vide plura de hac re. 4. *Ob sævitiam* unius, præsertim mariti uxorem nimis crudeliter tractantis, vel ob uxoris insidias in vitam mariti &c. *c. 8. & 13. de restit. spol. arg. l. 8. §. 2. C. de repud. Nov. 22. c. 15.* ratio, quia omni Jure licitum est adversùs vim injustam se tueri, & periculum vitæ aut gravis damni corporalis, aut magni cruciatûs declinare. *arg. l. 3. ff. de J. & J.* Demum 5. *Ob valde molestam coha-*

cohabitationem propter perpetua jurgia, discordias, rixas ex unius inveterata improbitate non facilè cessaturas. DD. cum Sanch. *l. 10. d. 18. n. 11.* Ratio; quia ex tam frequentibus jurgiis periclitatur salus tam animæ quam corporis: proinde præstat instituere divortium quoad cohabitationem: sed videtur opus esse auctoritate Judicis, ad vitandum scandalum, uti & in præcedentibus casibus (exceptô primô) ubi in mora non est periculum, & causa divortii non notoria. Dixi, *divortium temporale*, nimirum quamdiu pars nocens non redierit ad frugem, vel periculum non cessaverit. Unde nec dimittenti (multò minùs parti dimissæ) licet ingredi Religionem, vel statum cum Matrimonii usu & individua vitæ societate incompossibilem amplecti, excepto casu, quo divortium ob defectionem unius à vera Fide per sententiam Judicis est factum: de quo casu postea.

Oppones 1. Christus *Matth. 5. & 19.* propter solam 16
fornicationem, seu carnale adulterium, unius permisit divortium: ergo propter allatas causas non est licitum. 2. In *c. 2. h. t.* permittitur quidem divortium, si unus conjugum instiget alterum ad deserendam veram Fidem, negatur autem, si *furtô vel alio crimine* compartem *corrumpere velit:* ergo causa secundô locô posita non est sufficiens ad divortium. 3. In *can. 22. cauſ. 32. q. 5.* sic disponitur: *quidquid mulier tua contra te cogitaverit aut fecerit, non est, exceptâ causâ fornicationis, rejicienda:* ergo propter sævitiam mariti, aut insidias uxoris adversùs maritũ, non licet facere divortium. R. ad 1. Christus permittendo divortium propter unius fornicationem non excluſit alias causas, sicut in antiqua Lege non ob solam fornicationem, non obstante, quòd Christus ibi solius fornicationis fecerit mentionem, licuit uxori dare libellum repudii & dissolvere Matrimonium quoad vinculum, sed etiam ob lepram, epilepsiam, sterilitatem &c. ut habet communior cum Clericato *decis. 9. n. 32. seqq. de Sacr. Matr. ex c. 24. Deuteron.* Deinde

Digitized by Google

Christus ibi fornicationem statuit pro causa divortii *perpetui*, etiam invita altera parte, abstrahendo ab aliis, quæ videbuntur Ecclesiæ sufficientes ad divortium *temporale*, ad certum vel incertum tempus, conformiter Tridentino *s.24.de Sacr.Matr.can.8.* Ad 2. ibi solùm dicitur, quòd ob aliud crimen, quàm defectionem à Fide, uxor à marito non possit recedere vel separari, si eam maritus non instiget & sollicitet ad peccatum; cùm possit & frequenter soleat maritus esse sceleratus, quin tamen uxorem pelliciat ad sui sequelam, excepto hæresis vel apostasiæ crimine, quo infecti ordinariè solent inducere & pervertere quoque conjuges: & hinc non permittitur uxori recedere à marito fure, latrone, aut aliis sceleribus inquinato, nisi ad idem vel eadem vitia incitetur. Ad 3. Per canonem illum prohibetur tantùm, ne propter aliud, quàm fornicationis, delictum uxorem *perpetuò* dimittat maritus; aliàs enim nec propter hæresim vel apostasiam posset dimittere, quod nec Adversarii admittunt.

17 Circa causas Adulterii spiritualis & Sævitiæ notanda adhuc aliqua sunt, & quidem circa *adulterium spirituale* 1. Propter hæresim unius per se quidem temporale tantùm divortium induci, donec resipuerit lapsus. *c. 6. h. t.* ut adeò innocens, qui propria auctoritate dimisit, resipiscentem teneatur recipere: per accidens tamen institui posset perpetuum; si nempe per sententiam & auctoritatem Judicis divertit innocens, præsertim si iste Religionem velit ingredi. *c. 6. cit. & c. fin. de convers. conjug.* Et hoc pacto evitatur contradictio inter *c. 6. & c. 7. citt.* atque concordantur cum *c. fin. cit.* si nempe dicatur, decerni divortium perpetuum casu, quo intervenit judicium Ecclesiæ, aut intentio ingrediendi Religionem ex parte innocentis, vel actualis ingressus. 2. Casu quo uterque conjugum labitur in hæresim, & unus judiciò Ecclesiæ de hæresis crimine est condemnatus, ab isto recedere potest alter, qui de hoc crimine condemna-

demnatus non eſt, nec ei tenetur reconciliari, quia condemnatus abſolutè amiſit jus ad thorum. per *c. 6. cit.* ſi verò uterque eſſet condemnatus de hæreſi, quilibet ab altero, etiam invito (niſi mutuo conſenſu reſtaurent Matrimonialem cohabitationem) divertere permittitur. Neque dicas, paria delicta mutua compenſatione tolli, adeóque ſicut neutri, caſu quo uterque adulteratur, licitum eſt ab altero divertere, ita neutri, caſu quo uterque in hæreſim prolapſus eſt. Nam negatur paritas; quia divortium propter adulterium in favorem innocentis (qui favor ceſſat, ſi & ipſe adulteretur) divortium verò propter hæreſim in favorem Religionis ſtatutum eſt, ac in deteſtationem hæreſis; quæ cauſa & finis manet, licèt altera quoque pars labatur in hæreſim. Ita Sanch. *l. 10. d. 16. n. 4.* & alii contra Abb. & P. Schmier. 3. Non dari mutuam compenſationem adulterii & hæreſis, licèt Judiciô Eccleſiæ hæc ſit declarata, ac in eam lapſus per ſententiam ſit condemnatus; ita ut, ſi unus commiſit adulterium carnale, alter verò ſpirituale, dimiſſus propter adulterium carnale poſſit adhuc opponere lapſo in hæreſim & reſipiſcenti exceptionem adulterii ſpiritualis, ac negare thorum, & viciſſim; ſeu ut adulter lapſum in hæreſim, ac viciſſim lapſus in hæreſim poſſit repellere à thoro adulterum; quia delicta diverſæ rationis, & debita ex diverſis cauſis ac finibus inducta, non compenſantur: ſed divortium perpetuum ex adulterio ob favorem privatum duntaxat, at divortium perpetuum ex hæreſi declarata ob favorem publicum Eccleſiæ ac Religionis eſt introductum. Confirmatur à pari: ſi unus ſponſorum de futuro incidat in lepram, alter in fornicationem, non datur compenſatio, ſed uterque juſtam habet reſiliendi cauſam. *c. 25. pr. de jurejur.* ergo etiam uterque conjugum habet juſtam cauſam divertendi ab altero, ſi unus in adulterium carnale, alter in ſpirituale lapſus eſt, absque ulla compenſatione.

Circa *ſævitiem* verò notandum eſt 1. eam non tan- §. 13

tùm

tùm tunc haberi pro ſufficiente ad divortium, quando ex truculentia vel inſidiis uni ab altero conjuge imminet periculum mortis, mutilationis, vulneris, percuſſionis ſanguinolentæ &c. verùm etiam ſi inflicta ſint verbera immoderata, & probabiliter deinceps timenda, licèt uxor v. g. non ſit ſine culpa ob oris petulantiam &c. Imò neceſſe non eſt, ut aliquando jam præceſſerit gravis & immoderata verberatio, modò ex circumſtantiis, & minis, quas aliàs maritus ſolet exequi, meritò timeatur. Verberatio levis autem & moderata ad divortium non ſufficit; ſi enim ob negligentiam vel petulantiam merita eſt illam uxor, ſibi imputet; cùm levis & moderata caſtigatio ſit marito permiſſa, quin detur actio uxori, utpote ſubjectæ quoad diſciplinam domeſticam. *arg. l. 5. §. 3. ff. ad L. Aquil.* Si non ſit merita, ferre quidem non tenetur uxor, ſed vel auctoritate Judicis, vel alio remedio, mariti inſolentiam compeſcere, eúmque ad limites diſcretionis reducere debet. An autem percuſſio gravis & immoderata ſit, nec ne, deſumendum eſt tum ex qualitate uxoris (plus enim indulgetur, ſi uxor ſit plebeia, inculta, rixoſa &c. quàm ſi nobilis, debilis, morigera, delicata &c.) tum ex communi perſuaſione hominum illius loci; nam alicubi valde apprehenditur, ſi cædatur flagris, vel conculcetur pedibus. In dubio relinquendum eſt arbitrio Judicis. 2. Quamvis per ſe requiratur authoritas Judicis, tamen quia ordinariè eſt periculum in mora, niſi uxor ſtatim fugiat ſævientem & crudelem maritum, etiam propria auctoritate inſtitui ab ea poſſe divortium: Judex tamen Eccleſiaſticus, ſi aliunde intelligat, uxorem aliquam fugiſſe à viro, tenetur eam citare ad ſe, & fugæ cauſam cognoſcere, atque alleganti ſævitiam viri injungere probationem per idoneos teſtes; quam ſi uxor in continenti (intra octiduum v. g. vel intra ſpatium, quod ſufficiens fuerit viſum) afferre nequeat, jubere, ut redeat ad maritum: vel, ſi teſtes ſaltem de ſævitia viri in genere de-

po-

ponant, aut alia malæ tractationis indicia (de quorum ſufficientia arbitrari ad ipſum ſpectat) appareant, permittere ſeparationem ulteriorem; donec vir ſufficientem cautionem præſtet de non offendendo, vel non lædendo. per *c. 8. & 13. de reſtit. ſpol.* ſufficiens autem cautio cenſetur fieri per fidejuſſores aut pignora, ex quibus mulier in eventum læſionis conſequatur ſatisfactionem ſaltem pecuniariam pro injuria. *arg. l. 59. §. ult. ff. Mandati.* Quodſi vir ob inopiam præſtare nequeat cautionem fidejuſſoriam vel pignoratitiam, acceptabitur juratoria. *arg. Auth. Generaliter C. de Epiſc. & Cler.* Si verò vir cenſeretur haud multùm curare religionem juramenti, vel per aliam cautionem uxori non foret ſatis proviſum ob mariti barbariem vel odium, reſtitui eidem uxor non deberet, donec ſufficientia ceſſantis periculi indicia præbeat maritus. Imò caſu, quo uxor plenè probavit viri ſævitiam, non videtur uxor teneri ad ullam cautionem acceptandam. Pont. *l. 9. c. 23. n. 6.* allegans deciſionem Rotæ. 3. Licèt ordinariè ſævitia ſe teneat tantùm ex parte mariti, & propterea Jura tantùm loquantur de uxore divortium inſtituente ob ſævitiam mariti, idem tamen licere marito, ſi uxor tam ſit crudelis ac perverſa, ut maritus, ſi cohabitet, non ſit tutus in vita vel membris. Ob verbera gravia non quidem facilè concedetur marito divortium, quia illa, niſi ipſe ſit prorſus ignavum animal, impedire ac retundere facilè valebit.

Quæres, apud quem ex conjugibus divortiô ſeparatis, & cujus ſumptibus, alendi ſint liberi? ℟. 1. abſtrahendo à ſententia Judicis, apud eum, & expenſis illius, qui ſecluſô delictô, & divortiô, tenebatur ad expenſas educationis. ℟. 2. per ſententiam Judicis in pœnam delicti auferenda eſt proles à conjuge delinquente, & regulariter apud inſontem educanda ac nutrienda expenſis delinquentis, ſive ad eas fuiſſet ſecluſô delictô obligatus, ſive non. *Auth. Si pater Cod. Divortiô factô* 19

& *Nov.* 117. c. 7. Probabiliùs hæc obligatio & pœna se extendit etiam ad matrem, quæ fuit causa divortii, modò tam locuples sit, ut alere possit: cùm pater & mater, vir & uxor, sint correlativa, atque ideo dispositum in uno censeatur quoque dispositum in altero, etiam in lege pœnali & odiosa, ut ex multis probat Everhardus *in suis Topicis loco: à Correlativis. n. 7. 9.* Vid. Sanch. *de Matrim. lib. ult. d. ult.* nempe *l. 10. d. 20.*

TITULUS XX.

De Donationibus inter Virum & Uxorem, & de Dote post Divortium restituenda.

1. 2. 3. *Quid & quotuplex sit donatio inter virum & uxorem: quid & quotuplex dos.*
4. *Cujus sit constituere vel promittere dotem, & cujus sit dominium dotis.*
5. *Quid sit contra-dos, seu donatio propter nuptias. Quid dotalitium. Quæ sint bona paraphernalia & receptitia uxoris: quæ bona communia utrique conjugi.*
6. 7. *An & qualis donatio inter conjuges sit irrita.*
8. *An & quando confirmetur donatio per mortem naturalem aut civilem, vel per juramentum donantis.*
9. *An & cui restitui debeat dos, vel contra-dos solutô Matrimoniô.*
10. *An & quando constante adhuc Matrimonio repetere dotem possit uxor.*
11. *An eidem solutô Matrimoniô restituenda paraphernalia, item acquæstus seu lucra constante Matrimonio acquisita.*

12. Quæ

12. *Quæ ſunt reſtituenda ſolutô Matrimoniô quoad vinculum, reſtitui quoque debent, ſi inſtituatur divortium quoad thorum & conhabitationem, ſi id contingat absque culpa dimiſſi.*
13. *Non verò ſi propter adulterium illius; tunc enim dotem lucratur innocens, niſi adſint liberi &c.*

SCiendum 1. Duo in præſenti Rubrica proponi, *donationes* inter virum & uxorem conſtante Matrimonio, & *reſtitutionem dotis* ſolutô per divortium Matrimoniô; nam divortium plerumque comitatur lis & quæſtio de reſtituenda *dote*, vel contra-dote ſeu *donatione propter nuptias.* Quæ materiæ licèt principaliter pertineant ad Civiliſtas; quia tamen, ſi incidenter & acceſſoriè deducantur ad Judicem Eccleſiaſticum, etiam iſte de illis ſententiam ferre poteſt. *c. 3. h.t.* earum pertractatio rectè à Canoniſtis quoque, licèt non adeò ampla, ſuſcipitur. 1

Sc. 2. *Donationem inter virum & uxorem* vocari illam, qua vel vir uxori, vel uxor viro aliquid durante Matrimonio concedit vel dat cum animo transferendi dominium. Si id fiat gratis & ex mera liberalitate, vocatur *Gratuita*, & eſt propriè dicta donatio: ſi autem ex aliqua cauſa, v. g. remunerationis meritorum, *Remuneratoria*, vel gratitudinis ob beneficia, *Antidoralis* appellatur. Quò etiam referas *donum Matutinale*, (*Morgenaticam*, *Morgengebam*, Morgen-Gab) quod dat maritus (plerumque nobilis tantùm) conjugi altero die nuptiarum propter creditam ſibi pudicitiam, vel in remunerationem delibatæ virginitatis, adeóque non omnino gratis, ſed propter aliquam cauſam. Poſſunt autem ſibi donare vel *mortis cauſa*, vel *inter vivos*: per priorem donationem, quæ ſemper ad libitum revocari poteſt, non ſtatim & abſolutè transfertur dominium, ſed primùm interveniente morte: per poſterio- 2

rem, à donatario acceptatam, ſtatim transfertur dominium vel irrevocabiliter, vel ſaltem revocabiliter, niſi Lex obſtet.

3 Sc. 3. *Dotem* objectivè ſumptam nihil eſſe aliud, quàm bona illa, ſive mobilia, ſive immobilia, quæ marito dantur vel promittuntur ad ferenda Matrimonii onera, ſcilicet ad alendam ex eorum fructibus uxorem, communes liberos, familiam &c. non tamen ſub alia conditione, quàm ut Matrimonium ſequatur. Communis ex *l.* 10. §. 4. *ff.* & *l.* 20. *C. de Jure dot.* Germanicè vocatur Heyrath-Guth / Ehe-Steur / Braut-Schatz. Dividitur in *Promiſſam*, quæ terminos promiſſionis non egreditur, & in *Conſtitutam*, quæ traditione illorum bonorum vel rerum perficitur. Quamvis aliqui cum Lautterbach hanc diviſionem impugnent, plures tamen communiùs eam afferunt, attendentes dotem *objectivè*, ſeu pro re in dotem conſtituta ſumptam; quam Lautterbach & aſſeclæ videntur accipere *effectivè*, ſcilicet pro jure, quod marito vel uxori competit in dote. Rurſus dos alia nuncupatur *Profectitia*, quæ provenit à patre, avo, vel alio ex aſcendentibus paternis, aut ab extraneo quidē, ſed intuitu patris: alia autem *Adventitia*, quæ nec à patre aut aſcendente paterno, nec illius intuitu, ſed ex bonis maternis, vel alicujus extranei, aut etiam ex bonis propriis uxoris datur vel promittitur. Si dos ſit res immobilis, non conſiſtens in numero, vel pondere, vel menſura, ejúsque valor certô pretiô non taxetur, vocatur *inæſtimata*: ſi verò taxetur certô pretiô, dicitur *æſtimata*: quæ taxatio duplicem in finem fieri poteſt. 1. Ut faciat venditionem (qualis æſtimatio in dubio ferè præſumitur) h. e. ut maritus ſolutô Matrimoniô teneatur reſtituere non dotem, ſed pretium illius æquivalens, & tunc appellatur *æſtimata æſtimatione faciente venditionem*. 2. Ut non faciat venditionem, h. e. ut ſi fortè, ſolutô Matrimoniô, ex culpa mariti (quam etiam levem tenetur præſtare, uti interpretantur *l.* 17. *ff. de*

Jur.

Jur. dot.) dos in individuo reddi non posset, pretium certum exigi valeret; ac proin pro majori securitate taxatur dotis valor; & tunc *simpliciter æstimata* nuncupatur.

Sc. 4. Licèt dotem quilibet rerum, in quibus eam 4
constituit, liberam administrationem habens, constituere vel promittere possit, neminem tamen ad id obligari, nisi sequentes. Ante omnes tenetur *pater* ex bonis propriis, non tamen filiæ illegitimæ, aut turpiter viventi, aut quæ patre inscio ante 25. ætatis annum nubit indigno, seu tali, qui infamiâ vel turpitudine vitæ laborat: tenetur tamen dotare filiam patria potestate jam liberatam, probabiliter etiam divitem, non modò nubentem, licèt nupserit patre inscio, vel sine mentione dotis, sed etiam Religioni se dedicantem. Quantitas verò dotis, licèt eam aliqui velint esse parem *legitimæ*, rectiùs tamen arbitriô Judicis vel boni viri est metienda ex facultatibus patris, liberorum numero, filiæ ac mariti dignitate, & loci consuetudine. Secundô locô in defectum patris obligatur *avus paternus*, si vivat, tantásque facultates habeat. Tertiô in horum defectum & per accidens *mater*, vel hujus loco *avus maternus*. Quartò, si dicti omnes ob inopiam vel aliunde non possint, *frater* sorori inopi, ex eodem patre progenitæ (non verò uterinæ tantùm) licèt Clericus sit, ex suis bonis, si habeat, dotem constituere debet. Videantur Legistæ. Quando & qualem teneatur dotem dare stuprator defloratæ, diximus *Tit. I. n. 9.*

Sed penes quem est *dominium* dotis jam constitutæ, seu jam traditæ marito? R. Dominium *naturale*, sed sopitum, rerum dotalium non fungibilium, & æstimatarum æstimatione non faciente venditionem, est penes uxorem (vel illos, qui constituerunt dotem cum reservatione) *civile* verò, cujus effectus est tum jus vindicandi, tum administrandi bona dotalia, & fructus illorum percipiendi ad sustinenda Matrimonii onera, atque

ad communes usus utriquè conjugum pro rato temporis, quo durat Matrimonium, post nuptias est penes maritum. *pr. Inst. quib. alien. licet. l.* 1. & 13. §. 2. *ff. de fundo dot. l.* 10. *l.* 42. *ff. l.* 30. *C. de Jure dot.* Hoc dominium mariti Civile ita est *limitatum*, ut is, si dos constituta sit in re immobili, inæstimata, vel æstimata quidem, non verò æstimatione venditionem faciente, sed solùm taxationis gratiâ, eam alienare, aut alio modo obligare non valeat, etiam cum consensu uxoris. *pr. Inst. cit.* nisi uxor post biennium à primo consensu laptum iterum consentiat. *Nov.* 61. *c.* 1. vel nisi absque dolo vel metu sub juramento consentiat. *c.* 28. *de Jurejur.* Si verò dos constituta sit in re mobili & fungibili, seu consistente in numero, pondere, mensura, item in immobili quidem, sed dos æstimata sit æstimatione faciente venditionem, eam alienare permittitur maritus, utpote absolutum illius, quasi sibi venditæ, dominium consecutus, ac non ad rem ipsam, si per mortem, vel aliàs, solvatur Matrimonium, sed ad pretium duntaxat reddendum uxoris hæredibus, vel ipsi uxori obligatus. *l.* 10. *l.* 30. *l.* 42. *citt.* modò maritus ex suis bonis acceptam dotem resarcire possit, quæ omnia sunt uxori hypothecata hypothecâ tacitâ & privilegiatâ pro dote; ex quibus, licèt sine culpa mariti dos perierit, resarcitio uxori, vel ejus consanguineis, solutô Matrimoniô facienda est, quia maritus talis est debitor generis, quod non perit, non certæ speciei. Vid. de hac re Haun. *de J. & J. tr.* 4. *c.* 5. & P. Schmier *de Jure Propr. c.* 3. *à n.* 97. Struv. Stryck. Eckolt &c.

5 Sc. 5. Doti correspondere contra-dotem seu donationem propter nuptias, eidem verò opponi bona paraphernalia seu parapherna uxoris, & affine esse dotalitium. *Donatio propter nuptias* seu *Contrados*, Widerlag / Gegen-Steur / Gegen-Vermachung / est id, quod maritus, vel alius ejus nomine, uxori promittit vel constituit in remunerationem & securitatem dotis. De Jure Communi hæc donatio deberet exæquare dotem

tem quantitate, lucro, & fructu. *Nov. 97. c. 1. 2. Nov. 119. c. 1.* Alicubi tamen propter consuetudinem, vel privatas pactiones, solet esse inæqualis, aut etiam omnino nulla: sic videmus, opifices sæpe aliud pro contradote non constituere, quàm artem suam vel peritiam. De cœtero donatio propter nuptias regulatur ferè, sicuti dos, & constitui *debet* à patre (vel avo) ac in ejus defectum à matre; liberè autem *potest* ab extraneo. Rectè constituitur tam ante quàm post Matrimonium initum (sicuti dos) bona tamen propter nuptias donata, si immobilia sint, alienare Matrimonio constante nequit maritus; licèt administratio & ususfructus pertineat ad eundem cum dominio Naturali; dominium verò Civile illorum, at sine usufructu, ad uxorem spectet, sicut dominium Civile dotis ad maritum. per §. 3. *Inst. de donat. l. ult. C. de donat. ante nupt.* Et sicut dos solutô Matrimoniô de Jure Communi redit ad uxorem, vel patrem dotantem. *l. 2. ff. solut. Matr.* ita & donatio propter nuptias redit ad maritum; nisi nempe solvatur Matrimonium propter unius conjugis adulterium quoad thorum & mensam duntaxat, de quo casu infrà. *Paraphernalia* bona (das zugebrachte Gueth) latè & generaliter sumpta, sunt illa, quæ habet uxor ultra vel extra dotem, sive dein ea tradiderit marito sive non. *l. 8. C. de pact. convent.* Si ea, seclusô dotis titulô, tradidit marito, sunt strictè & specificè paraphernalia. *l. fin. C. eod.* & horum dominium retinet uxor, marito autem competit custodia, administratio, & usus, non tamen nisi in utriusque utilitatem, imò usum sibi soli reservare potest uxor, & semel jam concessum marito iterum revocare. per *l. 8. cit.* Si verò hæc bona extra-dotalia uxor nec in administrationem tradidit marito, sed suo arbitrio reservavit, appellantur *Receptitia.* Siquidem ex conventione conjugum pendet, quid dare vel accipere in dotem velint. Si mulier sine mentione dotis permittat maritum frui omnibus suis bonis, hæc potiùs esse pa- us e

raphernalia, quàm dotalia præſumuntur; quia mulier ex ſuis bonis non tenetur ſibi dotem conſtituere, & ideo nec velle præſumitur. Pariter, quæ uxor conſtante Matrimonio ex ſuo patrimonio, pecunia, induſtria acquiſivit, pro paraphernis, quæ etiam facere Receptitia poteſt, haberi debent; ſicut ea, quæ maritus ex ſua pecunia, patrimonio, induſtria comparavit, ipſius ſunt. Licèt conſuetudines & ſtatuta locorum, item pacta dotalia ſubinde aliud obtineant. In dubio, cujusnam induſtriâ, pecuniâ &c. acquiſita ſint, præſumptio ſtat pro marito, quòd nimirum bona conſtante Matrimonio acquiſita ad ipſum pertineant. *l. 51. ff. de donat. int. vir. & ux.* & ibi Stryck. §. 12. *ſeqq.* Si autem ſimul utrique conjugi durante Matrimonio aliqua acquirantur bona per donationem, per mercaturam communi induſtria exercitam &c. appellantur *bona communia*, quorum dominium ad quem pertineat, pendet potiſſimùm ex pactis nuptialibus, vel ſtatutis locorum, vel conſuetudine. *Dotalitium* denique, licèt nonnunquam in alia ſignificatione accipiatur, & pro bonis paraphernis, aut donatione propter nuptias, ut explicant DD. *in c. 4. h. t.* eſt uſusfructus, quem maritus in eventum mortis ſuæ in compenſationem dotis conſtituit in ſuis bonis uxori: Germanicè appellatur Wittumb / Leib-Zucht. Si illo frui velit uxor poſt mortem mariti, dotem repetere ab hæredibus mariti prohibetur. His pro informatione aliqua & terminorum intelligentia præmiſſis

6 Dico 1. Donatio merè liberalis rei propriæ notabilis inter conjuges privatos, qua unus, nempe donans, fit pauperior, alter verò, nempe donatarius, evadit locupletior, de Jure Communi eſt invalida negativè, licèt confirmetur non revocata per mortem donantis. *c. fin. & l. 1. 2. 3. §. &c. ff. h. t.* Ratio eſt, quia vel nimius amor facilè conjuges eò adducere, ut per ex exceſſivas donationes ſe ad paupertatem redigerent, vel denegatio rei ab altero conjuge, deſideratæ ſuſpicionem mino-

ris

ris amoris generare, & sic turbare concordiam conjugalem posset. Adde, quòd amor & obsequia inter conjuges pretiô comparari non debeant. Dixi 1. *donatio*, scilicet inter vivos; nam donatio mortis causâ, cùm ex natura sua semper sit revocabilis, nec transferat dominium ante mortem donantis, valet. *l. 9. l. 11. §. 1. ff. eod.* Nomine donationis etiam intelligitur mediata, ut si maritus donet tertio ea conditione, ut is redonet uxori, item remissio debiti, vel pretii ex re conjugi vendita. 2. *Merè liberalis*, quæ nimirum ob nullam aliam causam, quam ad exercendam liberalitatem, contingit: unde valet Morgengeba, donationes mutuæ in continenti seu intra modicum temporis spatium factæ, donatio remuneratoria non notabiliter excedens merita, donatio in favorem Religionis, v. g. ad fundationem capellæ, sepulturæ sacræ &c. quæ fit causâ pietatis aut commiserationis, v.g. ad reparandam valetudinem conjugis, congruam illius sustentationem, ad refectionem ædium incendiô combustarum, vel quæ fit marito ad consequendum officium, dignitatem &c. vel uxori, ut incedat comptior. *l. 5. 7. 14. 15. 40. &c. ff. eod.* 3. *Rei propriæ*; nam donatio rei alienæ valet in tantum, ut pariat conditionem usucapiendi. *l. 25. ff. eod.* 4. *Notabilis:* siquidem donatio moderata rei non magni momenti tenet. *arg. l. 31. §. 8. l. 42. ff. eod.* uti fieri consuevit ad diem natalem conjugis, in Festo S. Nicolai &c. 5. *Qua donans fit pauperior*, seu de substantia actu habita aliquid amittit: quare maritus validè remittit uxori dotem sibi promissam tantùm, & nondum traditam, vel usuras dotis nondum solutæ promissas. *l. 54. ff. eod.* item conjunx validè repudiat in gratiam conjugis, ut huic obveniat, delatam sibi hæreditatem vel legatum à se necdum acceptatum. *l. 5. cit. §. 13. 14.* licèt validè non renuntiet in favorem conjugis lucris primùm quærendis constante Matrimonio, cùm hoc modo renuntiaret juri jam quæsito per contractum. 6. *Et donatarius*, seu accipiens,

evadit locupletior, quare valet donatio, ſi donetur eâ lege, ut res donata in alium, v. g. in pauperem ſtudioſum alendum, transferatur, ut fundetur lampas ad aram arſura &c. ſi donatio ſit mutua, ſeu reciproca. 7. *Inter conjuges*, ſive veros, ſive putatitios. *l. 3. §. 1. ff. h. t.* Si tamen uterque conjunx nullitatem Matrimonii ſciret; valeret quidem donatio pro foro interno, in foro autem externo Fiſcus auferre poſſet rem donatario in pœnam malæ fidei, in qua ſunt tales putatitii conjuges. *l. 32. §. fin. ff. eod.* pariter valeret probabiliùs donatio, ſi ſolus donans ſciret nullitatem Matrimonii; quia talis cenſetur velle extraneo donare: non verò valeret, ſi ſolus donatarius, non verò donans, ſciret nullitatem, uti &, ſi neuter ſciret, non quia Lex reſiſtit huic donationi, ſed quia donans ob errorem non verè conſentit, cùm non intendat donare extraneo. *l. 32. cit. §. 27.* Per conjuges intellige actuales, non ſponſos de futuro; his enim donatio permittitur. *l. 27. ff. eod.* licèt habeat hanc conditionem imbibitam, ſi Matrimonium ſequatur: pariter licita eſt conjugibus actualibus donatio, collata in tempus Matrimonii ſolùti poſt mortem. per *l. 11. §. 1. ff. eod.* quia cenſetur eſſe donatio mortis causâ. Interim nihil refert, an Matrimonium jam ſit conſummatum vel non. *l. 66. pr. ff. eod.* cùm inter tales perſonas ſæpe ſit ardentior amor, quàm poſt conſummatum Matrimonium, ad exceſſivam donationem impellens. 8. *Privatos*; facta enim à Principe Supremo, vel ejus uxore, ſubſiſtit. *l. penult. C. h. t.* quod P. König *h. n. 14.* cum Tiraquello & Zaſio extendit in Germania etiam ad Illuſtres conjuges, ſaltem Comites, & Principes, qui ſunt immediati Status Imperii. 9. *De Jure Communi*; quid autem ſit de Jure Bavarico in caſu non exſtantium liberorum, & poſtea ſupervenientium, diſcere potes ex *Tit. I. a. 15.* Land-Recht / & ibi ex Cancell. Schmid. 10. *Eſt invalida*, ita ut donans nullam contrahat

hit obligationem, vel naturalem vel civilem, ſed ſemper pro libitu revocare donationem poſſit; illicita tamen non eſt, quia irritata ſine prohibitione: unde donatarius rem ſibi donatam retinere poteſt, quamdiu non revocatur; quæ revocatio cùm poſt mortem donantis fieri non ampliùs queat, donatarius irrevocabiliter fit dominus. 11. *Negativè*, h. e. nondum omnino firma; poſitivè autem & omnino invalida non eſt, cùm poſſit per mortem donantis, etiamſi traditio rei donatæ non eſſet ſecuta, ſine alio actu confirmari & convaleſcere. *Nov. 162. c. 1. c. fin. cit.* Unde dixi 12. *licèt confirmetur per mortem donantis*: qua confirmatione ſecutâ retrotrahitur ad tempus, quo facta eſt. *l. 25. C. h. t.* ita ut fructus rei donatæ & traditæ tam naturales quàm induſtriales ab eo tempore cedant conjugi donatario; quia fructus ſequuntur poſſeſſionem. *arg. §. ſiquis à non domino Inſt. de R. D.* Sed hanc confirmationem intellige, ſi res donata 500. ſolidos non excedat; quoad exceſſum enim, ſi ſine inſinuatione apud Judicem facta eſt, non convaleſcit. *l. 25. cit.* 13. *Non revocata*; nam donanti liberum eſt revocare, rémque donatam & traditam, ſi adhuc exſtet, *vindicare* pro libitu. *l. 5. §. ult. l. 33. §. 1. ff. h. t.* Si jam ſit conſumpta, & quidem bona fide, tunc condicere *condictione ſine cauſa. l. 5. §. ult. & l. 33. citt.* ſi mala fide, agere *actione Legis Aquiliæ. l. 37. ff. eod.* Facta autem revocatione fructus tantùm induſtriales manent donatario. *l. 17. ff. d. t.* naturales verò cum re reſtituendi ſunt donanti, ne contra prohibitionem Legis donatarius fiat ditior.

Oppones 1. Uxor ratione ſubjectionis conjugalis 7
tenetur ad omnia obſequia marito exhibenda: ergo donatio etiam remuneratoria reſpectu uxoris eſt irrita. 2. Legatarius ſtatim fit dominus legati à die mortis, quam obiit legans, licèt res legata nondum ſit tradita: ergo conjunx illud repudians in gratiam conjugis, ut illi ob-

Digitized by Google

veniat, privat se jure jam quæsito, & fit pauperior, consequenter non valet hæc repudiatio. Dein in *l.* 3. §. *fin. l.* 4. *ff. h. t.* dicitur de marito, qui rem sibi donandam uxori donari jubet, quòd idem faciat, *ac si rem acceptatam, & suam factam uxori dedisset:* ergo si rèpudiet hæreditatem, vel legatum, in favorem uxoris, idem facit, ac si donaret rem suam uxori: ergo talis repudiatio est nulla. 3. Leges irritantes donationem inter conjuges sunt odiosæ: ergo strictæ interpretationis, consequenter exaudiendæ de conjugibus post consummatum Matrimonium; præsertim cùm loquantur tantùm de donatione inter virum & uxorem, *uxor* autem in sensu proprio non sit nisi post consummatum Matrimonium; antea enim vocatur vel conjunx vel sponsa de præsenti. 4. In *l. Papinianus* 23. *ff. h. t.* dicitur, quòd hæres mariti non possit conveniri super eo, quod uxori promisit per stipulationem maritus, *licèt durante voluntate maritus decesserit:* ergo per mortem donantis non confirmatur & convalescit donatio per traditionem nondum completa, licèt ante mortem non revocata. R. ad 1. Argumentum probaret tantùm, quòd maritus uxori non possit facere donationem remuneratoriam; non verò, quòd illa fit irrita, si fieri posset. Deinde *N. Ant.* licèt enim uxor subjecta sit marito quoad legem conjugij, multa tamen obsequia ei præstare potest, ad quæ non tenetur, & quæ ab aliis uxoribus ejusdem conditionis sine culpa non exhibentur suis maritis. Ad 2. *dist. Ant.* statim fit dominus legati completè & absolutè. *N. Ant.* imperfectè & quasi conditionatè, si acceptet legatum. *C. Ant. & N. Conseq.* Ante acceptationem legati non habet jus absolutè quæsitum. Si priùs acceptaret legatum vel hæreditatem, & tunc primùm cederet eam uxori maritus, utique hæc cessio foret invalida, quia æquivaleret donationi, & cedens fieret pauperior; non verò si nunquam acceptavit pro se. Jussio, qua maritus donaturum sibi jubet

do-

donare uxori, de qua loquitur *l. 3. & l. 4. citt.* involvit virtualiter duos actus, quorum uno tacitè acceptatur donatio pro se, altero transfertur in uxorem, & sic res vel jus jam acquisitum amittitur: Repudians autem hæreditatem vel legatum, nondum acceptatum, non amittit rem vel jus jam completè & absolutè acquisitum. Quare *N. Conf.* Ad 3. Leges circa sponsos de præsenti aliquid disponentes exaudiendæ etiam sunt de viro & uxore, quando militat eadem ratio, & vicissim. *l. 5. v. quamvis C. de bonis, quæ liberis.* Voces *vir* & *uxor* non sunt curandæ; cùm in sensu proprio verè etiam vocentur & sint *conjuges*, utpote quos non concubitus facit, sed consensus de præsenti expressus. Ad 4. Illa *l.* 23. est correcta per *Nov.* 162. *cit. c. 1. pr. & §. 1.*

Quæres 1. Quid requiratur, ut donatio inter conjuges confirmetur morte naturali donantis? 2. An etiam confirmetur illius morte civili? 3. An quoque juramentô donationi adjectô? R. ad 1. requiri, ut donatio non sit revocata à vivo, & ut donans moriatur ante donatorium. *c. fin. & l. 32. ff. h. t.* Sufficit autem revocatio tacita, ut si donans rem donatam vendat, leget, donet alteri; det pignori, vel subijciat hypothecæ speciali (nam per hypothecam generalem non revocatur) *l.* 12. *C. eod.* si insigniter ingratus sit donatarius: si divortium ex displicentia factum, nec Matrimonium postea redintegratum sit &c. Molin. *tr. 2. d. 289. n.* 12. Sanch. Palao &c. Si donatarius moriatur ante donantem, donatio evanescit penitus. *c. fin. cit.* Ad 2. R. respectu Fisci, cui cedunt bona (non verò respectu donantis, cui semper revocare licet) confirmatur per mortem civilem, ita ut Fiscus revocare non possit rem donatam conjugi, sed ut huic maneat, nisi donans revocet ante mortem naturalem. *l. 13. §. 1. ff. l. 24. C. h. t.* puta, si mors civilis consistat in hoc, quòd donans deportetur seu mittatur in exilium, si damnetur ad metalla, seu fiat servus pœnæ. Si verò emittat Professionem Religiosam in Re- 8

ligione incapaci poſſeſſionis bonorum temporalium, confirmatur ſtatim: ſi in Religione capaci, primùm per mortem naturalem profeſſi; quousque donationem cum conſenſu Superiorum revocare ſemper poteſt profeſſus. Excipe caſum, quo uxor donavit marito, & is poſtea damnatur confiſcatione bonorum; tunc enim donatio non convaleſcit, ſed evaneſcit, uti notant DD. in *l.* 24. *cit.* Ad 3. R. cum diſtinctione: vel juramentum eſt adjectum ipſi donationi tantùm, ita ut juraverit conjunx, ſe alteri conjugi donare hanc catenã auream v. g. vel pro objecto habuit non-revocationem, ſeu donans juravit, ſe non revocaturum donationem. In priori caſu donatio nullo modo confirmatur aut convaleſcit; quia juramentum non tam eſt promiſſorium quàm aſſertorium, quo affirmatur donatio, quæ fit de præſenti; neque juramentum tale aſſertorium, utpote merè acceſſorium, magis ſtringit, quàm donatio ipſa tanquam principale, & habet hanc conditionem imbibitam, ſicut ipſa donatio, *ſi de Jure poſſim donare*, conſequenter juramentum non obſtat revocationi futuræ, quam Jus permittit. In poſteriori caſu eſt juramentum promiſſorium, & obſtat (ſaltem in foro conſcientiæ) donanti, ut absque peccato revocare nequeat. *c.* 28. *de jurejur.* cùm non-revocare peccatum non ſit. Atque in hoc ſenſu confirmat hoc juramentum, quod fertur in non-revocationem, donationem factam, at in meis principijs, *ad Tit. de jurejur. n.* 48. *ſeqq.* traditis, non in *linea & ratione donationis*, quaſi hæc ita convaleſcat, ut pariat obligationem Juſtitiæ, ſed in *linea & ratione juramenti* tantùm, ita ut tantùm detur obligatio Religionis, quam parit omne juramentum promiſſorium, obſervabile ſine peccato & præjudicio tertij. Atque hoc modo intelligi volo doctrinam ad *Tit. de Donationibus. n.* 10. 12. 13. in eundem quidem ſenſum, ſed non pari claritate expreſſam.

§ 4 Dico 2. Solutô Matrimoniô quoad vinculum per mortem naturalem conjugis alicujus, vel per ingreſſum Re-

Religionis, vel propter impedimentum dirimens, quod priùs latuit, nunc verò detectum est, dos restitui debet uxori, vel, si mortua sit ipsa, ejus hæredibus; & donatio propter nuptias marito, vel ejus hæredibus, salvô tamen beneficiô competentiæ, quod debetur viro superstiti, congrua aliàs sustentatione destituto, & seclusis pactis dotalibus, vel consuetudine contraria, aut statuto locali. Communis ex *l. un. C. de rei uxor. act. l. 2. 7. & fin. C. solutô Matrim. l. 11. seqq. ff. eod. c. 1. & fin. h. t.* Ratio, quia dos datur intuitu & ex causa Matrimonij, ad ejus ferenda onera: si ergo hæc causa tollatur, datum revocatur. *l. 1. seqq. ff. de condict. causâ datâ.* Ex verbis Assertionis notanda & explicanda sunt sequentia. 1. *Propter impedimentum dirimens, quod latuit,* seu ignoratum fuit à contrahentibus, vel probabili errore non subesse credebatur; si enim scienter, vel ex ignorantia crassa, cum impedimento contraxissent Matrimonium, dos, & donatio propter nuptias cederet Fisco in pœnam. *l. 4. C. de incest. & inutil. nupt.* nisi nempe ætas minor eos excusaret, & legitimam ætatem nacti statim ab invicem discessissent. 2. *Dos*, sive profectitia sit, sive adventitia; quamvis enim de Jure Communi dos profectitia, quæ constituta est à patre filiæ nondum emancipatæ, revertatur ad dotantem. *l. 4. C. solut Matr.* quia verò passim vel per statutum vel per consuetudinem filia censetur emancipata per ipsum Matrimonium, ideo cessat dos profectitia, & redit ad uxorem vel ejus hæredes. 3. *Uxori, vel ejus hæredibus*, nisi nempe, qui dotem constituit, expressè stipulatus sit, ut sibi illa restituatur solutô per mortem Matrimoniô. *l. un. cit.* §. 13. Si uxor mortua reliquit liberos, his, tanquam proximis hæredibus, restituenda est. 4. *Et donatio propter nuptias &c.* hæc enim & dos pari passu ambulant. *l. 9. C. de pact. convent.* 5. *Salvô tamen beneficiô competentiæ* &c. vi cujus vir (aliud privilegium; nempe hypothecæ privilegiatæ in bonis mariti omnibus quo-

quoad ſua dotalia, habet uxor ejuſque hæredes. *l. 30. C. de Jur. dot. & l. 12. C. qui potior in pign.*) vir, inquam, & liberi ejus non tenentur in reſtituenda dote ad plus, quàm ſalva ſuſtentatione congrua & neceſſaria poſſunt, licèt tempore contracti Matrimonij pactum contrarium fuiſſet adjectum; quia humanitatis ratio non permittit, ut inter perſonas adeò conjunctas tam ſevera inſtituatur exactio, ut alter per alterum redigatur ad paupertatem. *l. 12. l. 14. ff. ſolutô Matr.* Hoc tamen beneficium non competit viro putatitio tantùm, neque viro, qui dolô ſe fecit impotentem ad reddendam dotem, neque alijs mariti hæredibus, quàm liberis ipſius. Ubi autem ſolvi dos debet, hæredes mariti tenentur alere viduam, usque dum illa ſolvatur; quia ſuccedunt in onera mariti realia. 6. *Secluſis pactis dotalibus, conſuetudine, ſtatuto*: nam per hæc ſuperſtes conjunx præmortuæ dotem, vel præmortui donationem propter nuptias, conſequi poteſt aut totam, aut ex parte.

10 Quæres, an uxor nunquam poſſit repetere dotem nondum ſolutô, ſed conſtante adhuc Matrimoniô? R. poteſt 1. caſu quo vir diſſipat bona ſua, & vergit ad inopiam, at culpabiliter, non caſu fortuito. *arg. Nov. 97. c. 6. pr. c. 7. h. t.* quia periculum, ne quoque dos pereat cum gravi detrimento uxoris, præcavere licet. Et hinc tali caſu uxor cautionem vel fidejuſſoriam vel pignoratitiam pro ſecuritate dotis, etiam ſtante Matrimonio, rectè petit; imò, ſi hanc offerat maritus, tenetur eam acceptare uxor, ac dotem relinquere marito, licèt eam exigere non poſſit absque dicta cauſa. *arg. l. 1. & 2. C. ne fidejuſſor. & c. 7. cit.* Ex quo ultimo DD. etiam eruunt, dotem, ſi reſtituatur uxori, non debere relinqui in ejus manibus, ſed apud ſequeſtrum deponi, vel credi Mercatori, qui ſalvâ dotis ſubſtantia illius fructus reddat marito ad ſuſtinenda Matrimonii onera. 2. Si bona mariti propter crimen inferantur Fiſco. per *l. 31. ff. ſolutô Matr.* Addunt tertium caſum, quo liberi anterio-

ris Matrimonii, vel parentes, fratres aut sorores, destituuntur alimentis, vel ex captivitate redimi illâ possent. *l. 73. ff. de Jur. dot.*

Dubitabis, an solutô Matrimoniô etiam alia bona præ- 11
ter dotem restituenda sint uxori vel ejus hæredibus? R. omnino. De *paraphernalibus*, & *Morgengeba*, nemo prudenter ambigit, quia pleno jure ad uxorem pertinent, licèt quoad ista non habeat uxor in bonis mariti privilegiatam hypothecam, sed communem tantùm & non privilegiatam. *l. fin. C. de pact. convent.* Controversia tamen movetur de *acquæstibus*, seu *lucris*, constante Matrimonio acquisitis. Qua in re cum majori & meliori DD. calculo discrimen facio inter acquæstus, bona, & lucra, quæ stante Matrimonio obvenerunt utrique conjugi junctim, v. g. ex donatione, hæreditate, legato &c. intuitu utriusque facto, vel per negotiationem pecuniis aut bonis utriusque exercitam, item communi & ferè æquali industria, labore, studiô, parsimoniâ, uti fit apud quosdam opifices, & mercatores: ac inter lucra, quæ obvenerunt intuitu unius tantùm, v. g. uxoris, vel per negotiationem pecuniis unius exercitam, item unius ferè, v. g. viri industriâ, labore, studiô, officiô, arte; uti contingit apud Officiales & Ministros Principum, Advocatos, Medicos, Consiliarios, excellentes Pictores &c. In priori casu illa lucra, tanquam communia utrique, dividenda sunt, & medietas uxori vel ejus hæredibus, altera verò medietas marito vel hujus hæredibus reddenda. per *c. 2. h. t.* De Jure Bavarico quid statutum sit, casu quo sine liberis decedit unus conjugum, vid. *Tit. 1. a. 1. 4. 10.* Land-Recht. In posteriori verò non item, sed acquæstus & lucra cedunt illi, cujus unius intuitu, vel pecuniis, vel industriâ & labore acquisita sunt, ut à contrario desumitur ex *cit. c.* Sed hæc intelligenda veniunt seclusis specialibus pactis, consuetudinibus, vel statutis locorum. per *Titt. de Pactis dotal. ff. de Pact. convent. C. & c. fin. h. t.* In dubio præsumptio

sum-

ſemper ſtat pro marito quoad omnes acquæſtus & lucra conſtante Matrimonio acquiſita, quòd ad ipſum pertineant. *l. 51. ff. h. t.* Oppones: inter ſocios ſemper dividi debent lucra. *l. 29. ff. pro Socio.* Sed conjuges habent ſe *inſtar eorum, qui ſocietatem contrahunt. c. 2. cit.* ergo ſemper acquiſita in Matrimonio lucra inter ipſos dividi debent. R. Diviſio lucrorum apud illos ſocios tantùm procedit, qui habent ſocietatem communicativam bonorum, qualis inter conjuges non datur, ſed tantùm ſocietas individua vitæ, & contortium cohabitationis, atque corporum. *arg. l. 1. ff. de Rit. Nupt.*

12 Dico 3. Solutô Matrimoniô quoad thorum tantùm vel cohabitationem absque delicto vel culpa unius ex conjugibus, ut ſi unus cum conſenſu debito alterius ingrediatur Religionem, ſuſcipiat Ordinem ſacrum &c. idem prorſus de reſtitutione dotis, ac donationis propter nuptias, paraphernalium, lucrorum &c. tenendum, quod hucusque diximus de caſu ſoluti Matrimonij quoad vinculum. DD. communiter per textus Juris pro priori aſſertione allegatos. Accedit *c. 1. h. t.*

13 Dico 4. Solutô Matrimoniô quoad thorum & cohabitationem, ſeu factô divortiô, propter unius adulterium, dos vel donatio propter nuptias non eſt reſtituenda parti adulteræ, ſed eam lucratur innocens per ſententiam Judicis, ac ſimul id, quod dedit, recuperat: niſi, qui conſtituit dotem, ſpeciali reſervatione eam ad ſe reverti voluerit, aut niſi pars adultera innocenti fuerit reconciliata expreſsè vel tacitè, aut niſi adeſſent liberi partis adulteræ, ex hoc vel alio Matrimonio. Text. & DD. *in c. 4. h. t. l. 8. §. 4. 5. C. de Repud. Nov. 117. c. 8. & 9.* Quare, ſi uxor commiſit adulterium, maritus lucratur dotem, & recuperat donationem propter nuptias ab uxore: & econtra, ſi maritus ſit adulter, uxor lucratur donationem propter nuptias, & recuperat dotem ſuam a marito. Dixi 1. *Propter unius adulterium*, nempe perfectum & formale. Dixi 2. *Dos:* non autem bona

para-

paraphernalia, quæ manent adulteræ, ut habet communis; quia pœnalis diſpoſitio, qualis eſt hæc de amiſſione & privatione dotis, non eſt extendenda ultra verba Legum. *c. 15. c. 49. de R. J. in* 6. Leges autem ſolùm *dotis* faciunt mentionem: & licèt *c. 4. cit.* dicat, *dotem vel dotalitium* repeti poſſe, per dotalitium tamen non intelligenda ſunt bona paraphernа, ut volunt Adverſarij, ſed vel donatio propter nuptias, vel pretium & æſtimatio dotis, vel alia bona ex pactis dotalibus, ſeclusô adulteriô, uxori debita: ſic juxta Jus Bavar. *tit. 1. a. 6.* uxor adultera amittit donata à viro, morgengebam, & medietatem lucrorum, quando aliàs ipſi deberetur: quæ medietas etiam de Jure Canonico amittitur. *c. 10. de conſuet.* Dixi 3. *Innocens:* hinc ſi maritus conſenſit in adulterium uxoris, vel culpabiliter cauſam dedit, aut ſi uterque ſit reus adulterij, non lucratur dotem &c. per *c. 6. & fin. de adulter. l. 39. l. 47. ff. ſolutô Matrim.* Dixi 4. *Per ſententiam Judicis;* cùm hæc amiſſio dotis &c. habeat rationem pœnæ; pœna autem privativa non incurratur ante ſententiam Judicis. per *c. 19. de hæret. in* 6. Id concedo, quòd pars innocens, ſi dotem jam traditam habeat, illam retinere valeat absque ſententia Judicis. per *c. 4. cit.* poſſitque ſe tueri exceptione adulterij adverſùs adulteram, ſi repetat dotem: licèt nocens ante ſententiam non teneatur tradere, vel donationem propter nuptias reſtituere. 5. *Niſi, qui conſtituit dotem* &c. ſic revertitur ad patrem, qui filiæ nondum emancipatæ (ubi per Matrimonium non emancipatur) conſtituit dotem, & ad extraneum, qui ſub reſervatione, ut ad ſe redeat, dotem conſtituit. 6. *Niſi pars adultera fuerit innocenti reconciliata;* de qua reconciliatione vide ſupra *n. 11. v. & non remiſſum. Tit. præced. de Divortijs.* modò reconciliationi non adjiciatur pactum, ut ſalvum maneat jus ex adulterio quæſitum innocenti ad dotem & donationem propter nuptias. Secluſo tali pacto per reconciliationem recuperatur dos, & donatio propter

nuptias, aliáque propter adulterium amissa, licèt divortium & privatio fuisset facta per sententiam Judicis, ut habet communis; quia *c. 4. cit.* non distinguitur, an reconciliatio ante vel post sententiam fiat, & hæc dispositio est favorabilis ac sublativa pœnæ, adeóque latè interpretanda. per *c. 15. cit.* Demum 7. *nisi adessent liberi* &c. Si enim exstarent, pars adultera amitteret quidem dotem, vel donationem propter nuptias, ea tamen quoad proprietatem non accresceret innocenti, sed solùm quoad usumfructum, proprietas verò cederet liberis. *Nov.* 117. *c.* 8. §. 2. cui conformiter interpretandum venit *c. 4. cit.* ut Jura concordentur Juribus.

TITULUS XXI.

De Secundis Nuptiis.

SUMMARIUM.

1. *Quid intelligatur per secundas Nuptias.*
2. *In harum detestationem quas pœnas statuerit Jus Civile in fœminas binubas.*
3. *Et quas in favorem liberorum prioris Matrimonii: harum aliquæ etiam viduos ad secunda vota transeuntes afficiunt.*
4. 5. *Secundæ nuptiæ de Jure Canonico sunt licitæ, modò moraliter constet de morte prioris conjugis.*
6. *An usus Matrimonii novi sit licitus in dubio, utrùm non vivat adhuc prior conjunx.*
7. *An in secundis nuptiis licita sit benedictio nuptialis Sacerdotis.*
8. 9. *Quas pœnas à Jure Civili statutas in fœminas binubas sustulerit Jus Canonicum.*

Scien-

SCiendum 1. per *ſecundas Nuptias*, quæ ſæpius poſt primas, de quibus hucusque egimus, per mortem unius conjugum diſſolutas celebrari ſolent, intelligi omnes, quæ ab eadem perſona repetuntur non tantùm ſecundâ, ſed etiam tertiâ, quartâ, vel ulteriori vice, etiam vigeſimâ. Sic ex D. Hieron. & Boërio refert Menoch. *de arbitrar. Jud. l. 2. cent. 5. caſu 417. n. 5.* quòd fœmina quædam, poſtquam priùs jam cum viginti & uno ſucceſſivè Matrimonium contraxerat, denuo nupſerit viro, qui & ipſe jam viginti uxores habuerat & ſepelierat. Quoad modum differunt nuptiæ ſecundæ à primis, quòd in ſecundis de Jure Communi non repetenda ſit benedictio nuptialis. *c. 1. & 3. h. t.* quæ nihil eſt aliud, quàm preces & ceremoniæ ab Eccleſia præſcriptæ, in ſolennitate nuptiarum adhiberi ſolitæ. *can. 1. cauſ. 30. q. 5.* 1

Sc. 2. A Jure Civili varia eſſe ſtatuta contra tranſeuntes ad ſecunda vota ſeu ad ſecundas nuptias, maximè contra fœminas binubas, quorum aliqua in odium ac deteſtationem ſecundarum nuptiarum, & principaliter in pœnam binubentium fœminarum, alia verò principaliter in bonum ac favorem liberorum prioris Matrimonij, & ſecundariò ac indirectè tantùm in pœnam convolantium ad alterum Matrimonium tendunt. In *l. 1. & l. 2. C. h. t.* & alibi non tantùm graviter interdicitur viduæ, ne præproperè & intra *annum luctûs*, h. e. annô à morte mariti nondum expletô, nubat, ſed etiam, ſi intra hoc tempus nubere præſumat, ſequentibus punitur pœnis. 1. Efficitur infamis. 2. Non poteſt titulô dotis, vel ultimæ voluntatis, in novum maritum plus conferre, quàm tertiam partem ſuorum bonorum, licèt nulli exſtent liberi prioris Matrimonij: ſi exſtarent liberi prioris Matrimonij, reliqua bona his ſervanda forent; ſi non exſtent, hæredibus legitimis cedunt: imò licèt uxor ultra tertiam bonorum partem per donationem inter vivos 2

largiretur marito novo, nihilominus, quia hæc donatio non valet, nisi morte confirmetur, & sic obtineat vim ultimæ voluntatis, etiam hæc donatio evanescet. 3. Fit incapax acquirendi ex hæreditate, legato, vel alia suprema voluntate cujusque, nisi novus maritus ei aliquid relinquat. 4. Redditur inhabilis ad succedendum ab intestato consanguineis ultra tertium gradum: proinde nec consobrino suo succedit; quia ab hoc distat quarto gradu juxta computationem Juris Civilis, quæ in successionibus hæreditariis attendenda est. 5. Amittit omnia per ultimam voluntatem quamcunque vel per donationem propter nuptias â priori viro acquisita tam quoad proprietatem, quàm usumfructum (quamvis hunc retineat, si post annum luctûs primùm nubat) quæ proin consanguineis prioris viri ab intestato venientibus addicuntur. Ratio, cur Jus Civile ita persequatur ac puniat præproperum transitum fœminæ ad secundas nuptias, principalis est periculum confusionis seminum, & incertæ prolis. *l.* 11. §. 1. & 2. *ff. de his, qui not. infam.* secundaria autem est reverentia erga priorem maritum, quem lugere convenit, licèt maritus non teneatur vicissim lugere uxorem. per *l.* 9. *ff. eod. & l.* 1. *cit.* Unde, quia neutra ratio reperitur in viris, intra annum ad aliud Matrimonium transeuntibus, leges autem tantùm loquuntur de fœminis, hæ pœnæ non tenent viros. *Nov.* 22. *c.* 22. cùm neque in correlativis, ubi non reperitur eadem ratio, extensio facienda sit ad non expressa. Ad has pœnas fortè meliùs referes, quàm ad *n. seq.* afferendas, quòd fœmina, licèt in statu viduitatis gaudeat honore & privilegiis mariti defuncti, ijs tamen privetur, si nubat viro inferioris dignitatis. *l.* 13. *C. de dign. lib.* 12. *Nov.* 22. *c.* 36. etiamsi nubat huic post annum luctûs.

8 Sc. 3. Ab eodem Jure Civili directè & principaliter in favorem liberorum prioris Matrimonii, ac indirectè in secundi pœnam, statuta esse sequentia. 1. Vidua bi-

nu-

nuba (ſive intra ſive poſt annum luctûs) etiam bonorum omnium, quæ titulô lucrativô, nempe ſponſaliorum, nuptiarum, liberalis donationis, ultimæ voluntatis, à priori marito acquiſivit, vel ex ſucceſſione liberorum prioris Matrimonii, proprietatem amittit (ſolo uſufructu retento) quæ proprietas reſervanda eſt dictis liberis. *l. 3. pr. & §. 1. C. h. t.* quæ lucra nuptialia licèt Jure Antiquo potuerit inter præfatos liberos inæqualiter dividere. *d. l. 3.* hodie tamen hæc facultas per *Nov. 2. c. 1. & Nov. 22. c. 25.* ſublata eſt. 2. Prohibetur de ſuis bonis plus dare in dotem, vel per ultimam voluntatem relinquere, novo marito, vel titulô ſponſalitiæ largitatis, vel quocunque alio in eum plus conferre, quàm in unum ex liberis prioris Matrimonii, ſcilicet ultra portionem filialem, einen Kinds-Theil/ & quidem, ſi inæquales inter illos portiones feciſſet, non plus, quàm cui ex liberis minimam (modò hæc attingeret legitimam) reliquit. *l. 6. & 10. C. eod.* Utrùm verò liberis ſecundi Matrimonii plus valeat relinquere, quàm liberis primi Matrimonii, diſputatur. Imperator in *Nov. 22. cit. c. 48. pr.* ſuadet æqualitatem, cum quo & ego. Hæ duæ pœnæ afficiunt etiam viduum ad ſecundas nuptias tranſeuntem. *l. 5. pr. & §. 1. C. eod.* quia pugnat eadem ratio, & favor liberorum æquè in patre ac matre procedit. 3. Mulier ſecundò nubens amittit tutelam, vel curatelam, liberorum prioris Matrimonii. *l. 2. & fin. C. quando mulier.* Si tutorem alium non petierit a Judice, & ſuſceptæ priùs tutelæ (utì poteratſuſcipere, quamdiu non nubit *ll. citt.*) rationes non reddiderit, incidit in pœnas nubentium intra annum luctûs. *Auth. Eisdem C. h. t.* Putant quidem aliqui, talem binubam, ſi à marito fuiſſet conſtituta executrix teſtamenti, etiam executione privari, ſicut tutelâ. Sed Sanch. *l. 7. d. 88. num. 14.* id rectè negat. 4. Privatur educatione liberorum, ita ut â matre binuba ſeparari, & in alio loco pro educatione col-

locari poſſint (niſi aliud habeat conſuetudo loci) & pro exigentia circumſtantiarum etiam ſubinde debeant. *l.* 1. *C. ubi pupilli. Nov.* 22. *c.* 38. *Nov.* 117. *cap.* 7. Sed hæ poſteriores duæ pœnæ locum non habent in viduo ſecundas nuptias celebrante. Neque patre vivo liberis datur Tutor vel Curator, niſi eosdem emancipaverit. per *l.* 18. *C. de Jure deliber.* manétque pater legitimus adminiſtrator, gaudens uſufructu maternorum bonorum, licèt proprietas pertineat ad liberos. *l. fin. de bonis Maternis.* Præterea notandum eſt, quòd hæ pœnæ omnes, principaliter in favorem liberorum prioris Matrimonii ſtatutæ, iis non exſtantibus, vel ante parentem binubum mortuis, evaneſcant & ceſſent.

§ Dico 1. Secundæ nuptiæ ſunt licitæ. 2. Si morali certitudine conſtet, conſortem thori eſſe demortuum. Pars prior eſt de Fide ex illo 1. *Cor.* 7. *ſi dormierit vir ejus, liberata eſt : cui vult, nubat : tantùm in Domino.* Et ex 1. *Tim.* 5. ubi S. Paulus vult viduas *juniores nubere.* Et quia Paulus nullum excipit tempus, nec illicitum erit viduæ intra annum luctûs nubere. Conſonat *can.* 8. Concilii Generalis Nicæni, atque conſtans & univerſalis Eccleſiæ praxis. Pars poſterior fundatur in *c.* 2. *h. t. c.* 19. *de Sponſal.* & communi Auctorum, ex ea ratione, quòd abſente morali certitudine ſit periculum Matrimonii nulliter contrahendi, & gravis præjudicii imminentis conjugi fortè adhuc viventi. *Moralis certitudo* autem habetur per atteſtationem Magiſtratûs tam Civilis, aut Militaris, quam Eccleſiaſtici: Parochi, qui defunctum ſepelivit: Notarij publici: duorum teſtium de viſu: unius teſtis de viſu roboratam alijs adhuc indicijs gravibus: & per famam communem ſuffultam conjecturis: ac per indicia alia, ſi plura ſimul concurrant, ac ſufficiant ad violentam præſumptionem: cujusmodi indicia, conjecturæ,

ad-

adminicula ſunt plures teſtes de auditu, periculoſa præ-lia & obſidiones, quibus interfuit, aut ſi in loco peſte infeſto moratus eſt is, de cujus morte dubitatur, ac in-ſuper jam diu non comparuit, nihilque de eo auditum, aut innotuit de vita; imò unus teſtis de viſu, vel fama communis, ſufficere poteſt in caſu, quo certa probatio haberi nequit. *arg. l. 5. §. 6. ff. de re Militari.* Sanch. *l. 2. d. 46. n.* 12. Vid. Gobat *Theol. Experim. tr. 9. à n.* 312. Si Parochus dubitet, num adſit ſufficiens probatio de morte prioris conjugis, non aſſiſtat ſine recurſu ad Ordinarium: ſi re intellecta & iſte dubitet, nec audeat abſolutè dare licentiam aſſiſtendi novo Matrimonio, poteſt ad novas nuptias aſpiranti deferre juramentum, quo confirmet, ſe nec ſcire, nec credere, conjugem adhuc vivere. Reiffenſtuel *h. t. n.* 21. licèt talis conjunx aliàs, utpote in cauſa propria, legitimus teſtis non ſit.

Oppones 1. In *c. 8. cauſ.* 31. *q.* 1. dicitur, ſecundis nuptiis pœnitentiam eſſe conſtitutam. Et *can. 9. ſeq.* ex S. Chryſoſt. ſic legitur: *ſecundam accipere ſecundùm præceptum Apoſtoli eſt, ſecundùm veritatis autem rationem verè fornicatio eſt. Sed cùm permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honeſta fornicatio:* ergo ſecundæ nuptiæ ſunt illicitæ. Confirmatur: Jus Civile prohibet, ac punit viduam intra annum luctûs tranſeuntem ad ſecundas nuptias: ergo non licent. 2. In *c. fin. §. porro. Ut lite non conteſt.* ſic habetur: *tamdiu alteruter conjugum exſpectetur, donec de ipſius obitu veriſimiliter præſumatur:* ergo ſufficit veriſimilitudo, id eſt, probabilitas de morte conjugis. Confirmatur: prudenter & licitè operatur, qui ſequitur opinionem probabilem, imò etiam minùs probabilem. 3. In *c. 19. cit.* plus non requiritur, quàm ut ad ſecunda vota tranſire volentes *certum nuntium recipiant de morte virorum:* ergo unus nuntius ſeu teſtis de viſu ſufficit. 5

R. ad 1. Ibi dictatur pœnitentia non propter ſecundas nuptias ſecundùm ſe, ſed propter affectum inordinatum & concupiſcentiam binubentium. Adde, quòd dictus *can. 8.* ſit deſumptus ex Concilio particulari Neo-Cæſareenſi: ſed Concilium particulare non facit Jus. *Canon 9.* non eſt deſumptus ex S. Chryſoſt. ſed ex Authore Operis imperfecti. Dein cum *Gl.* communiter explicatur in hoc ſenſu, quòd tranſitus ad alias nuptias vivente adhuc priori conjuge, & per libellum repudij, qui nunc in Lege Nova eſt ſublatus, repudiatâ eſſet fornicatio: quia verò in Lege Antiqua dictus libellus repudij erat permiſſus, ideo fortè reſpectu illius temporis vocatur honeſta fornicatio, quamvis neque tum propriè fornicatio fuerit; cùm *honeſta fornicatio* in terminis repugnet. Ad *Confirmat.* Jus Canonicum correxit Jus Civile, utpote fovens peccatum incontinentiæ ſub pœnis prohibendo ſecundas nuptias, utì videbimus. Ad 2. Ibi per tò *veriſimiliter præſumatur* juxta Interpretes intelligitur certitudo moralis, ut evitetur contradictio Jurium, & periculum nullitatis Matrimonii. Dein ibi non agitur de Matrimonio priùs contracto certè valido, ſed ob litem ratione impedimenti motam dubiô, imò quod per ſententiam jam eſt declaratum nullum: quo caſu utique minor certitudo requiritur de morte conjugis, probabiliùs putatitij tantùm. Ad *Confirmat.* uſus opinionis probabilis non eſt licitus, ubi Jus requirit certitudinem, utì in præſenti caſu. *c. 2. c. 19. citt.* Item quando cederet in præjudicium Matrimonij jam aliquando validè contracti, utì hìc fieret, contra quod non admittuntur niſi probationes plenæ, & certitudo moraliter obtinibilis. *arg. c. fin. de ſent. & re jud.* Ad 3. tò *certum nuntium* in *neutro genere* intelligendum eſt, ita ut certam relationem, non perſonam ſignificet; cùm unus teſtis regulariter non ſatis probet, ſaltem non ſuffultus aliis indiciis, in præjudicium tertii, utì docuimus in *Tit. de Teſtibus.*

Quæ-

Quæres, an uti liceat Matrimonio ijs, qui cum dubio vel ſola probabilitate de morte prioris conjugis contraxerunt, vel quando ſupervenit dubium, aut notitia, quòd vivat adhuc prior conjunx? R. 1. Si uterque, dum contraxit, rationabiliter dubitavit, neuter poteſt licitè petere & reddere debitum conjugale, niſi ex juſta cauſa dubium practicum deponatur. Si unus tantùm dubitavit, ſtante dubio reddere quidem licitè, at non petere poteſt. Sumuntur hæc ex *c. 2. h. t.* ℟. 2. Si dubium rationabile ſupérvenit Matrimonio bona cum fide jam contracto, tenentur conjuges in veritatem inquirere, vel ſaltem ille, cui ſupérvenit dubium, ac interim à petendo debito abſtinere, quamvis reddi poſſit petenti, qui non dubitat: ſi verò poſt diligentem inquiſitionem veritatis perſeveret dubium, rectè illud, quatenus practicum eſt, deponitur, & tam petitio, quàm redditio, debiti evadit licita. Quòd ſi autem certa notitia ſuperveniat, quòd prior conjunx adhuc vivat, aut vixerit adhuc tempore contractûs, Matrimonium ſecundum fuit nullum, & abſtinendum utique ab omni commercio carnali, utut bona fide fuerit priùs contractum. Ita paſſim DD. ex *c. 2. cit. & c. 44. de ſent. Excom.* Itaque ſi prior conjunx adhuc vivat, reſtaurandum eſt cum illo Matrimonium, eíque cohabitandum: ſi nunc quidem non vivat ampliùs, vixit tamen tempore, quo alterum Matrimonium eſt contractum, iſtud per novum conſenſum convaleſcere ac inſtaurari poteſt: quod ſi non faciant putatitii conjuges, ſeparandi ſunt. Oppones. In dubio tutior pars eligenda eſt: ergo, ſi ſuperveniat dubium de vita prioris conjugis, illúdque perſeveret poſt debitam inquiſitionem veritatis, petitio debiti non eſt licita, neque redditio, ſi uterque maneat dubius. ℟. Regula in *Antec.* poſita procedit in dubio practico, non ſpeculativo: in hoc non præceptum ſonat, ſed conſilium, niſi jus ſpeciali- 6

ter præcipiat in particulari materia. Interim ut dubium practicum possit deponi, requiritur utique gravis causa, qualis in præsenti casu potest esse possessio cœpta cum bona fide.

7 Dico 2. Secundæ nuptiæ, vel potiùs personæ, transeuntes ad secundas nuptias, prohibentur benedici. *c. 1. c. 3. h. t.* idque procedit, sive uterque pars, vel una tantùm, jam aliquando Matrimonium contraxerit, & benedictionem nuptialem receperit, sive vir, sive fœmina; quia in *c. 3. cit.* adhibetur particula disjunctiva *vel*, ibi: *vir, vel mulier, ad bigamiam transiens, non debet à Presbytero benedici.* Ratio fortè est; quia alias quoque benedictiones, & consecrationes solennes, uti virginum, Ecclesiarum, altarium, non vult Ecclesia repeti, ne vilescant. Extendit se assertio etiam ad illas personas, quæ contrahendo Matrimonium invalidum fuerunt benedictæ, & postmodum id renovare intendunt inter se, vel cum aliis novum contrahunt; quia benedictio nuptialis non propriè nuptiis, sed personis impenditur: ergo, licèt nuptiæ fuerint invalidæ, benedictio tamen validè data est personis. Et hinc non procedit argumentum, quo utuntur Adversarii ex *l. 178. ff. de R. J.* quòd deficiente principali deficere debeat & accessorium; negatur enim suppositum, quòd nuptiæ sint principale, cui impertiatur benedictio. Sed dicta procedunt de Jure Communi & Scripto; nam consuetudo circa hanc benedictionis ceremoniam varia est teste Gobat *tr. 10. num. 564.* In multis locis adhiberi solet, quando unus contrahentium, sive vir sive fœmina, numquam recepit: in Diæcesi Frisingensi, ut habet Rituale illius *cap. 9. membro* 1. §. 8. usus permittit quidem dictam benedictionem, si eam sola fœmina nunquam recepit, prohibet tamen, si solus vir nunquam recepit, bene tamen fœmina: seu, concedit, si solus vir secundas celebrat nuptias, & prohibet, si sola fœmina: à fortiori autem

tem prohibet, si utraque pars jam fuit aliquando benedicta in aliis nuptiis. Ut cujuslibet Diœcesis consuetudo tibi innotescat, in qua vivis, inspice diligenter Rituale illius, vel ex peritis discere labora, ne impingas.

Dico 3. Pœnæ à Jure Civili directè in odium secun- 8
darum nuptiarum, quas vidua celebrat intra annum luctûs, decretæ, & à nobis *n.* 2. recitatæ, à Jure Canonico sublatæ sunt, adeóque Jus Civile est correctum. 2. Non verò sublatæ sunt illæ, quæ principaliter spectant favorem liberorum, à nobis *n.* 3. relatæ. Pars prior quoad pœnam infamiæ est clarè decisa in *c.* 4. *& fin. h. t.* Et quia in reliquis pœnis primi generis reperitur eadem ratio, quam ibi allegant *c.* 4. *& c. fin. citt.* nempe permissio Apostoli, & potestas mulieri concessa mortuô virô nubendi alteri, ac insuper libertas Matrimonij à Deo & Christo in remedium concupiscentiæ indulta, cui non minùs obstant reliquæ pœnæ, ac infamia, ita ut vidua, si non liberè posset transire ad secundas nuptias, sæpe exponeretur periculo incontinentiæ & gravium peccatorum, ideo communissima DD. contra Cynum, Bald. Barbos. *in Addit. ad c. fin. cit. n.* 5. etiam reliquas pœnas docet esse abolitas. Excipio ultimam, quam per modum appendicis adjeci, nempe de privatione honoris, quam subit vidua nubens viro, qui sit inferioris dignitatis, quàm prior maritus fuerit, quia neminem scio, qui hanc abolitam asserat, nec videtur esse propriè pœna, sed potiùs necessarium consequens ad præsentem statum. Excipiunt etiam communiter casum, quo vidua intra annum luctûs fornicatur, & sic ijsdem pœnis subijcitur, quibus subjacet de Jure Civili intra eundem annum transiens ad secundas nuptias. *Nov.* 39. *c.* 2. §. 1. nam Jus Canonicum patrocinatur tantùm nuptijs secundis, quæ per se licitæ sunt, non verò fornicationi. Id indulgeo fornicanti, quòd ante sententiam, saltem decla-

ratoriam criminis, non teneatur reſtituere, quod à marito accepit titulô lucrativô &c. cùm pœnæ privantes jure quæſito non incurrantur ante omnem ſententiam. Pars poſterior, quam tenent plerique contra Felin. & Abb. in *c. 10. n. 19. 20. de conſtit.* probatur partim negativè, quia Jus Canonicum ea, quæ Jus Civile circa ſecundas nuptias in favorem liberorum prioris Matrimonij ſtatuit, nullibi legitur ſuſtuliſſe, partim poſitivè ex *c. 67. de appellat.* ubi comprobatur amiſſio tutelæ, quam mater binuba ſecundùm Jus Civile incurrit, partim quia juſtiſſima cauſa, ne ſcilicet parentes binubi negligant liberos prioris Matrimonij, addicendo totam ſubſtantiam novis conjugibus, exigit nihil immutari circa ſaluberrimas leges Juris Civilis.

9 Oppones 1. contra primam partem aſſertionis. *c. 4. & c. fin. citt.* ſunt correctoria Juris, & ſolùm exprimunt pœnam infamiæ: ergo ad reliquas non extendenda. per *c. quæ à Jure. de R. J.* in *6. & l. 32. §. fin. de Appellat.* etiam propter identitatem rationis. 2. contra ſecundam partem; reliquæ pœnæ primi generis ſunt abrogatæ à Jure Canonico, licèt earum mentio non ſit facta, ſed tantùm infamiæ: ergo etiam pœnæ ſecundi generis ſunt abrogatæ, licèt earum mentio non fiat in Jure Canonico. 3. Jus Canonicum voluit conſulere libertati ſecundarum nuptiarum tollendo primi generis pœnas: ſed etiam ſecundi generis pœnæ obſtant, & aliquo modo impediunt libertatem ſecundarum nuptiarum: ergo ſuſtulit etiam iſtas. R. ad 1. Si identitas rationis eſt expreſſa in lege, utì in præſenti, item ubi extenſionem exigit favor publicæ utilitatis, & animarum, extendenda eſt lex ad caſus non expreſſos, in quibus reperitur eadem ratio, & concurrit favor publicus, ac animarum. Ad 2. *N. Conſ.* Leges enim odioſæ, utì ſunt correctoriæ, non ſunt extendendæ ad ea, quæ propriè non comprehenduntur ſub ijs, quæ abrogantur: pœnæ autem

autem ſecundi generis non ſunt propriè pœnæ, ſed potiùs favores, principaliter ſpectantes bonum liberorum prioris Matrimonij. Ad 3. N. *Min.* & ſuppoſitum, quòd ſint propriè pœnæ. Certè non poſſunt parentes prudenter conqueri de imminuta libertate tranſeundi ad ſecundas nuptias, ſi per leges conſulatur ipſorum liberis, quod ipſi ex æquitate naturali tenerentur quidem, ſed ſæpe omitterent facere, cœco & inordinato amore poſterioris conjugis in transverſum acti.

O. A. M. D. G.



Index Rerum & Verborum.

Prior Numerus *Romanus* Titulum, *Cifræ* autem numeros marginales indicant.

A.

ACquæſtus. XX. 5. 11.
Actus legitimi an conditionem recipiant. V. 4. 5.
Accuſare Matrimonium quinam poſſint. XVIII. 3. 4.
Adoptio quid & quotuplex. XII. 2. 3.
Quænam fundet cognationem Legalem. 4. ſeqq.
Et ſit impedimentum dirimens Matrimonij. 5. ſeqq.
Adulterium quando impedimentum dirimens Matrimonij. VII. 1. ſeqq.
Non ſufficit ad penitus diſſolvendum Matrimonium. XIX. 3. 4. 5.
Bene tamen ad divortium, etiam perpetuum. 10. ſeqq.
Modò ſit perfectum, formale, cognitum, non remiſſum. 11.
Nec innocens poſtea labatur in idem ſcelus. 13.
Spirituale an ſufficiat ad divortium, & ad quale. 15. 17.
Ætas requiſita ad Sponſalia de futuro. II. 3. ſeqq.
Et ad Sponſalia de præſenti. 7. ſeqq.
Quid ſit ætatem ſuppleri à malitia. 2. 7.
Affinitas carnalis unde oriatur, & quid ſit. XIII. 2. 3. XIV. 18.
Triplex illius genus. 19.
Alia eſt legitima, & ex copula licita, alia ex illicita. 19.
Orta ex copula licita dirimit Matrim. usque ad 4. gradum. 25.

De

De Jure Naturali in nullo gradu. 26. 27.
Ejus lineæ, gradus, perſonæ. 20. ſeqq.
Regula illam cognoſcendi. 24.
Orta ex copula illicita dirimit uſque ad 2. gradum. XIII. 4.
Superveniens Matrimonio privat jure petendi debitum conjugale. 5.
An impedimentum hoc, & privatio dicta incurratur ab ignorante. 6.
Quomodo probetur affinitas ex copula illicita. 7.
Legalis affinitas. XII. 3. 4. 7.
Affines inter ſe diſtant lineis & gradibus. XIV. 20.
Quomodo lineæ & gradus dignoſcendi. 22. ſeq.
Eorum nomina, & diſtantia. 21.
Ancilla, ſeu ſerva. IX. 1. 5. 6. X. 1. 2.
Arbor Affinitatis. XIV. 23.
Conſanguinitatis. 6.
Arctitudo fœminæ. XV. 2. ſeqq. 8. 9.
Arrha Sponſalibus adjecta. I. 20.
Arrogatio fundat cognationem Legalem. XII. 2. 3. 5. ſeqq.
Auctoritas Judicis in diſſolutione Sponſalium. I. 70. 71.
In divortio inſtituendo. XIX. 10. 13. XX. 13.

B.

Banna. III. 2.
Baptiſmus inducit cognationem ſpiritualem. XI. 2. 6. 7. 9. 10. 14.
Benedictio Nuptialis quid. III. 3. XXI. 1.
Quibus & ubi impertienda. III. 9. XXI. 7.
Bona communia inter conjuges. XX. 5. 11.
Parapherna, & Receptitia uxoris. *ibid.*

C.

Caſtitatis votum ſolenne & ſimplex. *vid.* Votum.
Catechiſmi impedimentum. I. 92.

Cauſa,

Cauſa, & ſub ea contractum Matrimonium. V. 1. 16.
Cauſæ ad diſpenſationem impedimentorum neceſſariæ. XVI. 13. 22. 26. 35. 36.
Ad divortium inſtituendum. XIX. 5. ſeqq. 15. ſeqq.
Ad Sponſalia diſſolvenda. I. 48. ſeqq.
Debent eſſe ſufficienter notæ. 70. 71.
Clandeſtina Sponſalia & Matrimonium. I. 24. III. 1. ſeqq.
Clandeſtineitas impedimentum Matrimonii. III. 1. ſeqq. 10. ſeqq.
Clerici quinam & unde inhabiles ad Matrimonium. VI. 3. ſeqq.
Cœlibatus quibus & quo Jure præceptus. 3. 4.
Cognatio triplex. XI. 1.
Carnalis ſeu naturalis. *vid.* Conſanguinitas. Affinitas.
Legalis quid, quotuplex, & unde orta. XII. 1. 3.
Inter quas perſonas dirimat Matrimonium. 4. ſeqq.
Spiritualis quid, quotuplex, & unde orta. XI. 2. 3. 4.
Inter quas perſonas dirimat Matrimonium. 4. 6. 9.
Non dirimit contractum, nec privat jure petendi debitum conjugale. 7. 8.
Cohabitatio an ſanet nullitatem Matrimonii. I. 115.
Moleſta eſt cauſa divortii. XIX. 15.
Compenſatio adulterij carnalis & ſpiritualis non datur. 17.
Communitas per procuratorem levans prolem de Baptiſmo. XI. 15.
Commutatio Voti. XVI. 27.
Concubina. I. 86.
Conditio quid & quotuplex. V. 1. 2.
Non vitiat Matrimonium vel Sponſalia, ſed ſuſpendit, ſi ſit honeſta & de futuro contingente. 3. ſeqq. I. 17. ſeq.
Non ſuſpendit Matrimonium, ſi ſit neceſſaria, vel intrinſeca, vel impoſſibilis, vel turpis. V. 7. ſeqq. licèt ſuſpendat Sponſalia. 11. Vitiat ſeu irritat Matrimonium, ſi turpis ſit, de futuro, & contraria ſub-

ſubſtantiæ Matrimonij, uti & ſi impoſſibilis, eidem repugnans. 12. An pro turpi ſit habenda & actum vitiante, quæ excludit Matrimonium, vel ſtatum Religioſum aut Clericalem. 13. 14. Quid cenſendum de hac: duco te, ſi te virginem invenero. 6. Quid de hac: duco te, ſi partem prolis in hæreſi educari permittes. I. 131. Item de hac: duco te, ſi caſtitatem perpetuam mecum ſervabis. I. 79. 80.

Conditio ſervilis impedimentum Matrimonij IX. 5. 6.

Confeſſarius impedimentum inter conjuges intelligens. XVI. 56.

Confeſſio copulæ illicitæ an probet affinitatem. XII. 7.

Confirmationis Sacramentum inducit cognationem ſpiritualem. XI. 2. 6.

Conjuges putatitij. XV. 7. XIX. 9.

Veri, at impotentes. XV. 6.

Per errorem ſeparati propter impedimentum putatitium. 11.

Conjugicidium quando impedimentum Matrimonij. VII. 2. 5.

Conſanguineam ſponſæ vel uxoris ſuæ cognoſcens. XIII. 4. 5. 6.

Conſanguineorum nomina. XIV. 4.

Conſanguinitas quid. 1. 2.

Habet lineas, & gradus. 3.

Quousque dirimat Matrimonium Eccleſiaſtico. 10. 11.

Quousque Naturali Jure. 13. ſeqq.

Conſenſus Matrimonialis qualis eſſe debeat. I. 86. ſeqq.

Fictus, & invalidus. 88. ſeqq.

Parentum in Sponſalibus & Matrimonio. 31. 32. 81. ſeqq.

Mutuò ſolvuntur Sponſalia 51. 70.

Conſuetudo introducit & abrogat impedimenta Matrim. 95. ſeqq.

Continentia. *vid.* Cœlibatus. Caſtitas.
Contra-dos. XX. 5. 9. 13.
Copula carnalis quid. XIII. 2. XIV. 18.
Criminis impedimenta impedientia. I. 92.
Dirimentia. VII. 1. ſeqq.
Hæc non incurruntur ab ignorante. 3. 5. 6. 7.
A quo diſpenſentur. 8.
Cultûs diſparitas impedimentum Matrimonij. I. 124. ſeqq. XVI. 31.

D.

Damna reſarcit ſponſus per culpam impediens Matrimonium. I. 42.
Dataria Romana : quando & quomodo diſpenſatio in impedimentis Matrimonij ab illa ſit petenda. XVI. 11. 38. ſeqq.
Debitum conjugale petere non prohibetur baptizans vel levans propriam prolem. XI. 7. 8.
Bene tamen cognoſcens conſanguineam uxoris. XIII. 5. 6.
Et ſciens impedimentum dirimens. XIX. 9.
Deceptio quando reddat Matrimonium invalidum. I. 102. ſeq.
Defloratio fœminæ. I. 6. ſeq. 9. 10.
Deformitas ſponſæ ſuperveniens Sponſalibus. I. 67. 68.
Delictum vel defectus occultus. 57.
Demonſtratio, & ſub ea contractum Matrimonium. V. 1. 17.
Denuntiationes Matrimonio præmittendæ. III. 2. 4. ſeqq.
Quis in ijs diſpenſet. 6. 7.
Pœnæ illas omittentium. 8.
Deſponſatio clandeſtina duplex. III. 1.
Dies Sponſalibus adjecta. I. 17.
Diſpenſatio in genere quid : requirit cauſam. XVI. 9. 13.
Aliqua vocatur *in forma pauperum*. 12.

In impedimentis Matrimonij impedientibus. 19.
Maximè in voto Caſtitatis & Religionis. 20. ſeqq.
In interdicto Eccleſiæ & tempore feriato. 18.
In impedimentis dirimentibus. 11. 31. ſeqq.
In publicis pro foro etiam externo. 11. 38. ſeqq.
In occultis pro foro interno tantùm. 11. 32. ſeqq.
In impedimento Criminis. VII. 8. XVI. 31. 33.
In Matrimonio Rato. XIX. 6. 7. 8.
Eam petens quid exprimere debeat. XVI. 14. 37.
Illam petendi & exequendi praxis. 23. ſeqq. 38. 46. 49.
Petere tenetur ſponſus culpabiliter ponens impedimentum. I. 52.
Diſpenſatio in radice Matrimonij competit Papæ. XVII. 17. 18.
Diſſolutio Sponſalium ex quibus cauſis. I. 48. 51. ſeqq. 70. 71.
Matrimonij. *vid.* Matrimonium. Divortium.
Divitiæ uni ex Sponſis ſupervenientes. 67. 68.
Divortium inter conjuges quoad thorum &c. XIX. 1. 2.
Perpetuum licet ferè propter adulterium tantùm. 10. 11. 12.
An etiam propria auctoritate. *ibid.*
Modò dimittens non & ipſe ſit vel fiat reus adulterij. 13.
Dimittens, non dimiſſus, poteſt mutare ſtatum. 14.
Temporale licet propter plures cauſas. 15. ſeqq.
Donatio inter virum & uxorem. XX. 1. 2.
An, quando, & quomodo ſit nulla. 6. 7.
Quando confirmetur morte. 8.
Donatio propter nuptias. 5. 9. 13.
Donum Matutinale. 2. 11.
Dos quid, quotuplex, à quo conſtituenda. I. 6. ſeqq. XX. 3. 4.
Ejus dominium apud quem 4.
Reſtituenda ſolutô Matrimoniô. 9. 13.

INDEX.

An etiam peti possit constante Matrimonio. 10.
Dotalitium. 5.
Dubium de impedimento Matrimonij an reddat istud illicitum vel invalidum. I. 100. 101. XXI. 6.
Dubium de potentia coëundi, & valore Matrimonij. XV. 6. 8. seqq. XXI. 6.

E

Ecclesiæ vetitum, seu interdictum. I. 92. XVI. 1. 3. 6. seqq.
Effectus Matrimonii validi. XVII. 1. 2.
Matrimonii invalidi. XIX. 9.
Legitimationis. 9. seqq. 15. seq.
Epilepsia an obstet Sponsalibus & Matrimonio. VIII. 5. seqq.
Episcopus non potest statuere impedimentum dirimens. I. 95. 96.
Quando dispensare in voto valeat. XVI. 20. 21.
Et in impedimentis dirimentibus Matrimonii. 32. 38. 39. 43. &c.
Praxis dispensationis Episcopalis. 46. seqq.
Est Judex in causis Matrimonialibus. XVIII. 7.
Error quid & quotuplex. I. 102.
Quando sit impedimentum dirimens Matrimonii. 103. seqq.
Putantis subesse impedimentum. I. 107. XV. 11.
Curiæ Romanæ an vitiet Rescriptum. XVI. 40.
Evnuchi an personæ habiles ad Matrimonium. XV. 4.
Executio & executor dispensationis in voto castitatis. XVI. 27.
In impedimento publico Matrimonij. 39. 40.
In impedimento occulto. 43. 44. 45.
Dispensationis ab Episcopo factæ. 49.
Expensas resarcire debet sponsus per culpam impediens Matrimonium. I. 42.

Digitized by Google

F.

Fictè promittens Matrimonium. I. 6. seqq.
Fidelis cum infideli Matrimonium. 124. seqq.
Filii. *vid.* liberi.
Formula petendi & exequendi dispensationes. XVI. 23. seqq. 38. seqq. 46. seqq.
Fornicatio sponsorum non est contra Justitiam. I. 37. 38.
Dat jus resiliendi à Sponsalibus. 62. seqq.
Conjugum. *vid.* Adulterium.
Fornicator non-Sponsus. I. 9. 10.
Fraternitas spiritualis XL. 4.
Legalis. XII. 3. 7.
Frigidi. Frigiditas quoad Marrimonium. XV. 1. seqq.

G.

Gradus Affinitatis. XIV. 20. seqq.
Consanguinitatis. 3. 4. 6.
Quomodo dignoscendi. 5. seqq. 20. seqq.
An computandi secundùm Jus Canonicum. 9.
Qui sint prohibiti quoad Matrimonium. 10. seqq. 25. seqq. XIII. 4.
Simplex, & mixtus seu inæqualis. XVI. 33.
Græci Clerici quid habeant speciale. VI. 4.

H.

Hæreditas sub conditione excludente Matrimonium vel statum Religiosum aut Clericalem. V. 13. 14.
Hæresis dat causam resiliendi à Sponsalibus. I. 62.
Et Divortij inter conjuges. XIX. 15. 17.
Hæretici validè contrahunt Matrimonium clandestinè. III. 15. seqq.
Et cum alio impedimento Juris Ecclesiastici. I. 98. 99.
Item cum Catholicis. 129. 130.
Etiam cum pacto de parte proljum educanda in hæresi. 131.
Non tamen Sponsalia cum Catholicis. 26.

Hectica an obstet Sponsalibus & Matrimonio. VIII 1. seqq.
Hermaphroditi an habiles ad Matrimonium. XV. 4.
Homines proprii. IX. 1. 2.
Honestatis publicæ justitia, vel impedimentum. I. 35. 43. seqq. 132. seqq.
Quas personas afficiat, & quamdiu duret. 45. 132. seqq.
Non agit retro. 135.

I.

Ignorantia tam Juris quàm facti excusat ab impedimento Criminis. VII. 3. 5. 6. 7.
Defectûs, vel morbi contagiosi, dat jus resiliendi à sponsalibus. I. 56. 57. 62. 64. 67. VIII. 2. 3.
An excusat ab incursione affinitatis, vel privatione debiti petendi peccantem cum consanguinea uxoris. XIII. 5. 6.
Voti continentiæ Ordinibus sacris annexi. VI. 10.
Ignorans impedimentum, in quo dispensatum postea est, an & quomodo de illo edocendus sit. XVI. 54. 55.
Illegitimi. *vid.* Liberi.
Impedimenta Matrimonij dirimentia & impedientia I. 91. seqq.
Alia Juris Naturalis, alia Ecclesiastici. 94. XVI. 15. 28.
A quo statui possint Dirimentia. I 95. 96.
A quo Impedientia. XVI. 3. 6.
Quomodo tollantur. I. 97. *vid.* Dispensatio.
Non ligant hæreticos, quæ sunt Juris Ecclesiastici. I. 98. 99.
Impedimentum dirimens Ætatis. II. 1. seqq. Affinitatis. XIII. 2. 3. 4. XIV. 18. seqq. Cognationis Carnalis seu Naturalis. XIV. 9. seqq. Cognationis Legalis. XII. 3. seqq. Cognationis Spiritualis. XI. 2. seqq. Conditionis. V. 12. IX. 5. 6. Clandestineitatis. III. 1. 10. seqq. Criminis. VII. 1. seqq. Cultûs disparis seu Religionis. I. 124. seqq. Erroris. I. 103. seqq. Honestatis publicæ. I. 35. 43. 132. seqq. Impotentiæ XV.

XV. 1. 2. ſeqq. Ligaminis. IV. 1. ſeqq. 8. ſeqq. Metûs. I. 110. 111. Ordinis. VI. 5. ſeqq. Raptûs. I. 119. Voti ſolennis. VI. 12. ſeqq.

Impedimentum impediens Cathechiſmi, & Criminis ſeptemplicis. I. 92. Sponſalium. IV. 2. ſeqq. Vetiti ſeu Interdicti Eccleſiæ. XVI. 1. ſeqq. Voti ſimplicis. VI. 16. ſeqq.

Impotentia quoad Matrimonium quid & quotuplex. XV. 1. ſeqq.

Sola antecedens & perpetua dirimit Matrimonium. 4. 5.

Si ſuperveniens ſit, quid liceat conjugibus. 6.

Si certa ſit, quid agendum. 7.

Si dubia, quid agendum, & quomodo probanda. 8. 9. 10.

Si per errorem exiſtimata. 11.

Impuberes qui dicantur. II. 1.

Validè, at non firmiter, contrahunt Sponſalia. 3. ſeqq. 6.

Eorum Matrimonium non valet. 7.

Habet tamen vim Sponſalium. 8.

Ordinibus ſacris initiati an obligentur ad caſtitatem. VI. 7.

Infans Sacris Ordinibus initiatus. *ibid.*

Infidelis qui dicatur. I. 123.

Cum fideli nulliter contrahit Matrimonium. 124.

Non poteſt eſſe Patrinus. XI. 12.

Si convertatur ad Fidem, & alter conjunx maneat in infidelitate, an diſſolvatur Matrimonium. I. 126. ſeqq.

Ingenuus. *vid.* Liber.

Interdictum Eccleſiæ impedimentum impediens Matrimonii. XVI. 1. 3. 6.

Invitus SS. Ordinibus initiatus. VI. 7.

Judex Eccleſiaſticus in cauſis Matrimonialibus. XVIII. 7. 8.

Ejus auctoritas an requiratur ad diſſolvenda Sponſalia, vel divortium faciendum. I. 70. 71. XIX. 10. 13. XX. 13.

L.

Largitas Sponſalitia. I. 21.
Legatum ſub conditione excludente Matrimonium vel Religionem. V. 13. 14.
Legitimatio prolium. XVII. 2. 9. ſeqq. 14.
Quomodo facienda à diſpenſante in impedimento. XVI. 45. 49.
Legitimitas,& ejus effectus. XVII. 2. 4. 5.
Legitimi liberi quinam. 3. 5. ſeqq.
Lepra quid, an obſtet Sponſal. & Matrimonio. VIII. 1. ſeqq.
Liber cum ſerva contrahens Matrimoniũ. IX. 5. ſeqq. X. 1.
Ex libero ventre nati. X. 1. ſeqq.
Liberi legitimi. XVII. 3. 5. ſeqq.
Illegitimi, nempe naturales, ſpurij, adulterini, ſacrilegi, inceſtuoſi, nefarij, ex damnato coitu orti. 3.
Naturales legitimantur per ſubſequens Matrimonium. 9. ſeqq.
Cœteri per Reſcriptum Principis &c. 14. ſeqq.
Et per diſpenſationem in radice Matrimonij. 17. 18.
Liberi à quo alendi, ſi conjuges ſeparentur per divortium. XIX. 19.
Licentia aſſiſtendi Matrimonio loco Parochi. III. 22. 23.
Lineæ Affinitatis. XIV. 20. ſeqq.
Conſanguinitatis. 3. 4.
Lucra conjugum. XX. 2. 11.
Lues Gallica, ſeu Venerea, an obſtet Matrim. VIII. 1. ſeqq.

M.

Machinatio in mortem conjugis eſt impedimentum. VII. 2. 5.
Maleficiati, maleficium. XV. 1. ſeqq. 11.
Malitia quando ſuppleat ætatem. II. 2. 7.
Mancipia an habilia ad Matrimonium. IX. 1. ſeqq.
Manus ſeptima. XV. 8. 9.

INDEX.

Matrimonium quid & quotuplex. I. 72. 73. 75.
Ejus cauſæ, & miniſter. 74.
Legitimum, Ratum, Conſummatum &c. 75.
Inter fideles eſt Sacramentum. 73. 74. 126.
Licèt abſolutè poſſint contrahere, quin ſit Sacramentum. 77.
Et ſub conditione ſervandæ caſtitatis &c. 79. 80.
Fuit verum Matrimonium inter B. V. & S. Joſ. 72. 79.
Validè & licitè contrahitur per procuratorem. 84. 85.
Item cum dubio juris, vel opinione de exiſtente impedimento. 100. ſeq.
Non valet contractum à parentibus pro liberis. 81.
Quamvis conſenſum parentum deceat peti & obtineri. 82. 83.
Non valet fidelis cum infideli. 124.
Duorum infidelium an ſit ſolubile. 126. ſeqq.
Valet Catholici cum hæretica. 129.
Licèt accedat pactum de parte prolium educanda in hæreſi. 131.
Qualem exigat conſenſum. 86. ſeqq.
Matrimonium ſecundum. *vid.* Nuptiæ.
Matrimonium invalidè contractum eſt diſſolvendum. XIX. 9.
Vel reſtaurandum ſublatô impedimentô. XVI. 50. ſeqq.
Quomodo ſit reſtaurandum. I. 89. 90. 115. ſeq. XVI. 50. ſeqq.
An coram Parocho & teſtibus. 57. III. 28. 29.
An reſtaurandum ex errore diſſolutum. XV. 11.
Matrimonium validè contractum & conſummatum eſt inſolubile. XIX. 3. 4. 5.
Ratum diſſolvitur per Profeſſionem Religioſam. XIX. 6.
Et per diſpenſationem Pontificis. 6. 7. 8. VI. 12. 13.
Non verò per ſuſceptionem Ordinis ſacri. VI. 5. 6.
Etiam Conſummatum diſſolvi poteſt quoad thorum. XIX. 1. 10. ſeqq.

Matri-

Digitized by Google

Matrimonium ſub conditione initum. V. 3. I. 79. 80.
Matrimonium Clandeſtinum. III. 1. 10. ſeqq.
Semper prohibitum, hodie irritatum. 11. 12.
Etiam illorum, qui ſtudiosè exeunt ad alium locum. 14.
Nec habet vim Sponſalium. 27.
Valet tamen hæreticorum. 15. ſeqq.
Matrimonium impuberum valet in vim Sponſalium. II. 8.
Matrimonium accuſare, vel contra teſtificari qui poſſint. XVIII. 3. ſeqq.
Matrimonij validi effectus. XVII. 1. 2.
Subſequens legitimat proles priùs ſuſceptas. 9. ſeqq.
Matrimonii impedimenta. *vid.* Impedimenta.
Matrimonij promiſſio quandoque impedimentum dirimens. VII. 3. 4. 5.
Matrimoniales cauſæ ad Judicem Eccleſiaſticum pertinent. XVIII. 7.
Mater ſerva parit ſervos. X. 2.
Matrina. *vid.* Patrinus.
Metus quid & quotuplex. I. 108. 109.
Qualis obſtet Matrimonio. *ibid.* & ſeqq.
An etiam non directè incuſſus ad Matrim. extorq. 112.
An obſtet Jure Naturali. 113. 114.
Quomodo purgetur. 115. 116.
Qualis & quomodo obſtet Sponſalibus. 17.
Metu ſuſcipiens Ordines Sacros. VI. 7.
Milites coram quo contrahant Matrimonium. III. 21.
Miſerabiles quoad diſpenſationem quinam dicantur. XVI. 12.
Modus quid. V. 1.
Adjectus Matrimonio. 15. I. 79. 80.
Adjectus Sponſalibus. 17.
Morbus contagioſus, Gallicus. &c. VIII. 1. ſeqq.
Morgenatica, Morgengeba. I. 25. XX. 2. 11. 13.
Mors conjugis quomodo debeat eſſe certa. XXI. 4. 5. 6.

N.

Nuptiæ quid. I. 72.
Certis diebus prohibitæ. XVI. 2. 4. 5.
Secundæ. XXI. seqq.
Licèt prohibitæ, & punitæ à Jure Civili, 2. 3.
Tamen licitæ propter Jus Canonicum. 4. seqq. 8. 9.
An & quando benedicendæ. 7.

O.

Obligatio fictè promittentis Matrimonium. I. 6. seqq.
Occisio conjugis est impedimentum Matrimonij. VII. 2. 5.
Opinio probabilis de existentia impedimenti non facit, ut Matrimonium contrahatur illicitè vel invalidè. I. 100. seq.
Oratores quid exprimere debeant in petitione dispensationis. XV. 14. 23. 26. 37.
Ordo Clericalis sacer & non sacer, majores & minores. VI. 2.
Sacer obligat ad vitam cœlibem, & quo Jure. 3.
Obligat ex voto Ordinibus ab Ecclesia annexo. 4.
Dirimit Sponsalia, etiam contracta. I. 53.
Et Matrimonium contrahendum, non verò Ratum. VI. 5. 6.
Quid, si collatus sit infanti, puero, metum passo, positivè invito, aut ignoranti. 7. 8. 9. 10.

P.

Pactum de servanda castitate in conjugio. I. 79. 80.
De parte prolium educanda in hæresi. 131.
Papa quandoque legitimat ad effectus civiles. XVII. 15.
Dispensat in radice Matrimonij. 17. 18.
Et in Matrimonio Rato. XIX. 6. 7. 8.
Et in impedimentis Matrimonij. XVI. 18. 19. 31.
Parapherna, vel paraphernalia bona. XX. 5. 11. seqq.

Parentum conſenſus non ſufficit in liberorum Matrimonijs. I. 29. 30.
An ſaltem neceſſarius in ijsdem. 31. 32.
An neceſſarius in Sponſalibus, vel ſufficiens. 67. 68.
Parochus neceſſariò aſſiſtit Matrimonijs. III. 10. ſeqq.
Quis ille ſit. 18.
Quomodo debeat eſſe præſens. 24.
Quis ejus vices ſupplere valeat. 22.
Partus ſequitur ventrem quoad ſervitutem &c. patrem verò quoad nobilitatem &c. X. 2. ſeqq.
Paternitas ſpiritualis. XI. 4. Legalis. XII. 3. 4. 7.
Pauperes qui in ordine diſpenſationem in forma pauperum. XVI. 12. 33.
Peregrini an validè contrahant Matrimonium. III. 12.
Periculum corporis & animæ cauſa divortij XIX. 15.
Peſtis an obſtet Sponſalibus & Matrimonio. VIII. 1. ſeqq.
Phthiſis an obſtet Sponſal. & Matrim. *ibid.*
Pœna Sponſalibus adjecta. I. 22. 23.
Pœnæ binubentium. XXI. 2. 3. 8. 9.
Clandeſtinè contrahentium Matrimonium. III. 26. XVII. 5.
Contrahentium in gradu prohibito, vel cum voto caſtitatis. XIV. 12.
Omittentium denuntiationes. III. 8.
Et benedicentis nuptias, vel aſſiſtentis contra Jus. 9.
Raptoris. I. 118.
Pœnitentiaria S. Romana. XVI. 11.
Quando & quomodo ab ea ſit petenda diſpenſatio. 23. ſeqq. 41. ſeqq.
Pœnitentiæ injungendæ à diſpenſante. 12. 33.
Polygamia. IV. 8. ſeqq.
Polyviria. ibid.
Poteſtas patria, & maritalis. XVII. 1.
Praxis petendi & exequendi diſpenſationes. XVI. 21. 38. 46.

Princeps Sæcularis an impedimenta Matrimonij ſtatuere poſſit. I. 95. 96.
Probatio contra Matrimonium. VIII. 6.
Procurator ad Sponſalia. I. 27. 28.
Ad Matrimonium. 84. 85.
Levans prolem in Baptiſmo. XI. 14. 15.
Profeſſio Religioſa dirimit Sponſalia. I. 53.
Et Matrimonium contrahendum, atque Ratum. VI. 12. 13. XIX. 6.
Proles. *vid.* Liberi.
Prolem propriam baptizans vel levans. XI. 7. 8.
Promiſſio qualis in Sponſalibus. I. 5. 11. ſeqq.
Matrimonii ficta. 6. ſeq.
Matrimonii quando inducat impedimentum dirimens. VII. 3. 4. 5.
Proxeneta. *vid.* Procurator.
Puberes, & pubertas: II. 1.
Qualis ſufficiat & requiratur ad Matrimonium. 7. ſeqq.
Puer SS. Ordinibus initiatus. VI. 7.

R.

Raptus quid & quotuplex. I. 117.
Quando ſit impedimentum dirimens Matrimonii. 119.
Et an pariter obſtet Sponſalibus. 122.
Habet quoque locum, ſi fœmina rapiat virum. 120. 121.
Quibus pœnis ſit obnoxius. 118.
Reconciliatio cum conjuge adultero. XIX. 11. XX. 13.
Regulæ cognoſcendi gradus conſanguinitatis & affinitatis. XIV. 5. 24.
Repudium, & libellus Repudii. XIX. 1. ſeqq.
Reſciſſio Sponſalium. I. 49. 56. ſeqq.

S.

Sacerdos debet eſſe, qui pro parocho aſſiſtit Matrimonio. III. 22.
Sævities conjugis cauſa divortij. XIX. 15. 18.

Sedu-

Seductio fœminæ absque promissione. I. 9.
Senes an ad Matrimonium habiles. XV. 4.
Septennium completum requiritur ad Sponsalia. II. 3. seqq. 9.
Septima manus. XV. 8. 9.
Servi quotuplicis generis. IX. 1.
Nascuntur ex matre serva. X. 2.
Servi cum libera an valeat Matrimonium. IX. 2. seqq.
Spadones an ad Matrimonium habiles. XV. 4.
Sponsa duorum, *vid.* Sponsalia cum duobus vel duabus.
Sponsa, vel Sponsus, fornicans. I. 37. 38. 62. seqq.
Sponsa, & Sponsus, ad quid obligentur. 39. seqq.
Discedens, vel absens sine consensu alterius. 58. 59.
An & quomodo cogi possit ad implenda Sponsalia. 41.
An injustè resiliens condemnari in expensas &c. 42.
Sponsalia de futuro quid. I. 2. 3. 5.
Requirunt acceptationem & repromissionem. 13.
Quando & quibus modis censeantur contrahi. 5. 11. 12.
Ficta quid operentur. 6. seqq.
Gravi metu extorta valent. 14. seqq.
Sub conditione, modo, ad diem inita. 17. 40. 41.
Sub conditione, si Papa dispensaverit. 18.
Vel hoc modo: *non ducam aliam, nisi te.* 19.
Clandestina. 24.
Inter Raptorem & Raptam. 122.
Contracta per Procuratorem &c. 27. 28.
A parentibus pro liberis. 29. 30.
A liberis sine consensu parentum. 31. 32.
Ab impuberibus. II. 3. seqq.
A Catholico cum Hæretica. I. 26.
An necessariò præmittenda Matrimonio. 33.
An firmentur per arrham. 20.

An per pœnam adjectam, & hæc valeat. 22. 23.
A quibus injri possint ritè. 25.
Obligant graviter ex Justitia. 36.
Ad quid obligent. 37. 39. seqq.
Quando danda executioni. 40. seqq.
Ad hanc rectè compellit Judex Eccles. 41. 42.
Solvuntur, etiam jurata &c. mutuo consensu. 51.
Item per superveniens impedimentum. 52.
Per Professionem Religiosam, & Ordinem sacrum. 53.
Per ingressum in Novitiatum ex parte non ingressi. 60. 61.
Per lapsum temporis. 54. 55.
Per fornicationem sponsæ vel sponsi. 62. seqq.
An etiam per oscula, tactus impudicos &c. 66.
An per dolum commissum vel deceptionem. 56. 57.
An per absentiam vel discessum unius. 58. 59.
Per quam mutationem supervenientem. 67. 68.
An per supervenientem deformitatem, divitias, & per contradictionem parentum. 67. seqq.
Quomodo de causa resiliendi, vel dissolvendi sponsalia, constare debeat, ac utrùm requiratur auctoritas Judicis. 70. 71.
Sponsalia de futuro cum duobus vel duabus. IV. 1. seqq.
Præferenda semper sunt prima. 3. 4. 5.
Non solvuntur, sed suspenduntur per subsecuta sponsalia de præsenti. 6. 7.
Sponsalia de præsenti cum duabus vel duobus. 2. seqq.
Statum mutare dimissus conjunx non potest. XIX. 14.
Sterilitas. XV. 1. 4.
Stipes in Consanguinitate & Affinitate. XIV. 1. 21.
Supplica. *vid.* Praxis. Formula.

T.

Tempus Sacratum impedimentum impediens. XVI. 2. 4. 5.

Digitized by Google

Adjectum Sponſalibus. I. 17.
Quo implenda ſint Sponſalia. 40. 41.
Quo exſpirent Sponſalia. 54. 55.
Teſtes ad valorem Matrimonij neceſſarij. III. 10. ſeqq.
Quales eſſe debeant, & quomodo præſentes. 24. 25.
Quales admittantur contra Matrimonium. XVIII. 5.
Teſticulis carentes an habiles ad Matrim. XV. 4.
Triennium ad probandam impotentiam. 6. 7. 9. 10.

U.

Vagi ubi poſſint contrahere Matrimonium. III. 12. 18. 20.
Vetitum Eccleſiæ impedimentum Matrimonii. XVI. 1. 3. 6. ſeqq.
Vota varia obſtant Matrimonio. XVI. 16.
Solennia caſtitatis dirimunt contrahendum. VI. 4. ſeqq. 12. 13.
Simplicia caſtitatis, Religionis ingrediendæ, SS. Ordinum, cœlibatûs impediunt, & quomodo. 15. ſeqq. Simplicia tamen in Societate JESU dirimunt contrahendum, non verò contractum. 14.
Votum ſolenne caſtitatis eſt annexum Ordinibus Sacris ab Eccleſia. VI. 4. ſeqq.
Votum Religionis ingrediendæ emittens poſt Sponſalia jurata an teneatur priùs contrahere Matrimonium Ratum, & deinde ingredi Religionem. 20. 21.
In votis, maximè reſervatis, quis diſpenſet, & quæ ſint reſervata. XVI. 17. 20. 21.
Vel commutet & quomodo. 27.
Ex quibus cauſis. 22.
Praxis petendi & exequendi diſpenſationem. 23 ſeqq.

Vis quid & quotuplex. I. 108. *vid.* Metus.
Virginis defloratio, imprægnatio. I. 6 seqq.
Quid, siquis Matrimonium contrahat sub hac conditione: si te virginem invenero. V. 6.
Uxor quæ dicatur. I. 2.
Fugiens ob sævitiem mariti. XIX. 18.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google